

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.


+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Library
of the
University of Wisconsin



Digitized by Google
OTTO HARRASSOWITZ
BUCHHANDLUNG

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBI LAINEZ

SECUNDI PRAEPOSITI GENERALIS SOCIETATIS JESU

DISPUTATIONES TRIDENTINAE

AD MANUSCRIPTORUM FIDEM EDIDIT ET COMMENTARIIS HISTORICIS INSTRUXIT

HARTMANNUS GRISAR S. J.

HIST. ECCL. IN UNIVERSITATE OENIPONTANA PROF. P. O.

TOMUS II.

DISPUTATIONES VARIAE AD CONCILIUM TRIDENTINUM SPECTANTES.
COMMENTARII MORALES ET INSTRUCTIONES.

OENIPONTE.
TYPIS ET SUMPTIBUS FELICIANI RAUCH.
MDCCCLXXXVI.
RATISBONÆ, NEO-EBORACI ET CINCINNATII APUD FR. PUSTET.

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBI LAINEZ

SECUNDI PRAEPOSITI GENERALIS SOCIETATIS JESU

DISPUTATIONES TRIDENTINAE

AD MANUSCRIPTORUM FIDEM EDIDIT ET COMMENTARIIS HISTORICIS INSTRUXIT

HARTMANNUS GRISAR S. J.

HIST. ECCL. IN UNIVERSITATE OENIPONTANA PROF. P. O.

TOMUS II.

DISPUTATIONES VARIAE AD CONCILIUM TRIDENTINUM SPECTANTES.
COMMENTARII MORALES ET INSTRUCTIONES.

OENIPONTE.
TYPIS ET SUMPTIBUS FELICIANI RAUCH.
MDCCCLXXXVI.
RATISBONÆ, NEO-EBORACI ET CINCINNATII APUD FR. PUSTET.

Digitized by Google

P. Lethielleux 4 rue Cassette **Paris**; Burns & Oates 28 Orchard Street **London W.**; M. H. Gill and Son 50 Upper Sackville Street **Dublin**; Ch. Beyaert-Storie **Bruges**; Vve Casterman **Tournai**; Libreria della Propaganda (F. Melandri); Libreria Religiosa (Antonio Saraceni) Via dell'Università 13 **Roma**; Administracion de la Ciencia Cristiana (D. Antonio Quilez) Villanueva 6 **Madrid**; Joaquim Antonio Pacheco, Livraria Catholica **Lisboa**; Angel Estrada 196—Bolivar—204 **Buenos Aires.**

Digitized by Google

355974
APR 25 1939
DNT
LIA
2

ANTONIO . MARIAE . ANDERLEDY

QUI

SOCIETATI . JESU . UNIVERSAE

VICARIA . POTESTATE . REGUNDAE . DATUS

OMNIGENAE . DOCTRINAE . STUDIA

ARDORE . NOVO . INTER . SODALES . PROVEHIT

HARTMANNUS . GRISAR

TENUEM . STUDIORUM . FRUCTUM

NON . TENUIS . OBSERVANTIAE . TESTIMONIUM

D.

Digitized by Google

Digitized by Google

Conspectus materiae tomi secundi.

Prolegomena hujus tomi.

Caput I. Prolegomena ad quattuor vota priora primae partis.

1. Ad primum votum (De novo concilio non indicendo).
2. Ad secundum votum (Quomodo haeretici audiendi in concilio).
3. Ad tertium votum (Quid sit definitum, quid definiendum).
4. Ad quartum votum (De minuta bullae indictionis concilii).

Caput II. Prolegomena ad quintum votum de calice laicorum.

1. Status quaestionis historicus.
2. Ordo rerum quae in disputatione exponuntur. Varia ad eandem pertinentia illustrantur.
3. Historia ejusdem controversiae de calice laicorum post Lainii orationem.

Caput III. Prolegomena ad reliqua quinque documenta primae partis.

1. Observatio generalis.

2.—3. Ad documentum VI. (De reformatione papae per concilium) et documentum VII. (Papam regere *universalem ecclesiam).*

4. Ad documentum VIII. (Contra haereticos Galliae).
5. Ad documentum IX. (De indulgentiis).
6. Ad documentum X. (De Joan. Grimanii patriarchae doctrina circa praedestinationem).
7. Ad documenta XI. et XII. (De justitia imputata. Vota selecta).

Caput V. Prolegomena ad Disputationes et morales instructiones secundae partis.

Digitized by Google

I.

Vota et dissertationes, quae ad concilium Tridentinum pertinent.

Pag.

I. An nondum finito concilio Tridentino novum concilium oecumenicum sit indicendum 1

II. An et quomodo audiendi sint in concilio haeretici, disputandumve sit cum eis 17

III. Quidnam sit definitum in concilio Tridentino et quid supersit definiendum 21

IV. De Pii Papae quarti bulla ¦celebrationis concilii „Ad concilii regimen" de die 29. Novembris 1560 21

V. Consultatio de calice laicis porrigendo 24

Caput 1. Status quaestionis 24

„ 2. Si calix concedendus est, utrum concedendus sit per summum p< tificem, an per concilium . . . 27

„ 3. Praemittenda quaestioni priori, in qua disputatur, an *generalis* concessio calicis fieri debeat . . 29

„ 4. Demonstratur generalem concessionem fieri non debere 33

„ 5. Supponenda ad decidendam alteram quaestionem, scil. an *particularis* usus calicis concedendus sit 37

„ 6. Rationes contra particularem concessionem stabiliuntur 40

„ 7. Aliae rationes 47

„ 8. Respondetur ad argumenta, quae particularem concessionem calicis suadere videntur . . . 55

„ 9. Alia adversariorum argumenta expenduntur. Conclusio 64

„ 10. Votum de decreto calicis mutato 69

„ 11. Votum de decreto iterum correcto . . . 71

„ 12. Votum in solemni sessione datum; ejus rationes . 73

VI. An pontifex reformandus sit per concilium 74

Caput 1. Quod id fieri non possit de jure 75

„ 2. Quod de facto nunquam fiet ac ne fieri quidem potest 83

Digitized by Google

Pag.

„ 3. Quod nulla sit necessitas 85
„ 4. Quod nulla sit utilitas, atque adeo quod multae sequantur inutilitates atque detrimenta, si ita fiat 86

VII. Auctoritates, quae dicunt, papam regere aut pascere universalem ecclesiam 89

VIII. Contra haereticos Galliae perturbatores
1. Ragionamento alla regina contro Pietro Martire . . 94
2. Adhortatio ad principem Condaeum ad rem concilii Tridentini promovendam 103
3. Commentarius, ne templa haereticis concedantur, admonens 105

IX. De Indulgentiis quaestiones quinque (occasione executionis decreti Tridentini) 111
1. Quaestio. Quae causa dicatur magna pro danda indulgentia plenaria 112
2. „ Quibus verbis debeat concedi indulgentia pro defunctis 117
3. „ Quidnam sit agendum de jam concessis indulgentiis 125
4. „ An verba *de injunctis poenitentiis* debeant adjungi concedendis indulgentiis 126
5. „ Quid de indulgentiis, quae conceduntur coronis 131

X. Suffragium de Joannis Grimanli, patriarchae Aquilejensis, doctrina de praedestinatione, in concilio Tridentino cum processu ejusdem patriarchae propositum 137

XI. Disputatio de justitia imputata
1. Status quaestionis 153
2. Argumenta pro sententia auctoris 158
3. Expenduntur argumenta ab adversariis in concilio prolata 166

XII. Vota theologica selecta ex actis concilii Massarellianis a Theiner editis.
1. De reali praesentia Christi in eucharistia . 193
2. De sacramento poenitentiae 197
3. De sacrificio Missae
 A. Missa est verum sacrificium 204
 B. De sacrificio a Christo in coena oblato . . . 212
4. De reformatione ecclesiae
 A. Primum votum de reformatione 214
 B. Alterum votum de reformatione 221

Digitized by Google

II.

Disputationes morales. Instructiones.

			Pag.
I. Disputatio de usura et variis negotiis mercatorum			227
Caput	1.	Quanti momenti sit res, de qua agitur	227
„	2.	Qualis debeat esse doctor rei propositae	229
„	3.	Qualis auditor	231
„	4.	Disputationis divisio	233
„	5.	Definitio usurae	234
„	6.	Usuram vetari lege tum divina tum humana	236
„	7	Usuram vetitam esse lege naturali	238
„	8.	Quam noxia sit usura	241
„	9.	Casus, qui videntur usurarii et non sunt	243
„	10.	Casus usurarii, qui tales ex usurae definitione cognoscuntur	254
„	11.	De usura in cambiis. Definitio	258
„	12.	Quotuplex sit cambium	259
„	13.	Quaenam species contractus sit cambium	261
„	14.	De fine cambii	262
„	15.	Quomodo cognosci possit, an cambium licitum sit necne	264
„	16.	Applicatio methodi dictae ad genera cambiorum varia	266
„	17.	Genera cambiorum illicita	269
„	18.	Genera dubia cambiorum. Divisio	273
„	19.	Quomodo fiat cambium Besansonis, quod illicitum esse probatur	274
„	20.	Diluuntur argumenta in favorem cambii Besansonis prolata	285
„	21.	Quam novicum sit idem cambium	288
„	22.	Quomodo cambium Besansonis possit corrigi	290
„	23.	Rationes contra cambium Besansonis correctum solvuntur	291
„	24.	Reliqua genera cambiorum dubia	294
„	25.	Usura in venditione ad tempus vel anticipata solutione	298
„	26.	De emptione anticipata solutione	309
„	27.	Remedia contra usurae vitium	313
„	28.	Conclusio	320
II. Tractatus de simonia ad Paulum Papam Quartum.			
Caput	1.	Licet pro usu potestatis spiritualis aliquid accipere ad sustentationem ministri	322

Digitized by Google

Pag.

Caput 2. Non licet accipere commodum quasi pretium usus potestatis spiritualis 326
„ 3. Ea quae objici solent expenduntur . . . 345
„ 4. Non licet accipere pro usu gratiae vel potestatis spiritualis commodum temporale in certa summa taxata juxta gratiae qualitatem, etiamsi non ut pretium accipiatur 349
„ 5. Objectiones nonnullae diluuntur 371
„ 6. Conclusio 380

III. De vectigalibus quaestiones theologicae.

Caput 1. Varia genera exactionum 383
„ 2. Sententiae doctorum de conditionibus ad justitiam exactionum necessariis 384
„ 3. Nostra sententia 393
„ 4. Objectiones aliquae rejiciuntur 399

IV. De beneficiis ecclesiasticis instructio ad usum confessariorum.

Caput 1. De pluralitate beneficiorum 401
„ 2. De residentia 410
„ 3. De pensionibus 414

V. De muneribus episcopalibus rite obeundis instructiones diversae.

Caput 1. Instructio visitationis dioecesium . 417
Quae interroganda sint circa simplicem clericum 421
Quae circa parochum aut alium clericum habentem beneficium aut beneficia . . . 424
De casibus reservatis 428
De irregularitate, de concionatoribus, circa ecclesiam 429
Circa monasteria monalium, hospitalia, scholas congregationes et populum 431
Circa meretrices. De praeceptis ecclesiae. Circa Hebraeos, infideles, zingaros etc. . . . 432
„ 2. De officio examinatoris 435
De titulo ordinandorum 436
De aetate et tempore ordinandorum . . 436
De impedimentis ordinandorum . . . 437
De scientia examinandorum 440

VI. Institutionis scholaris christiani lineamenta 442

Caput 1. De iis quae ad religionem spectant . . . 447
„ 2. De natura apta 455
„ 3. De exercitio 462
„ 4. De adminiculis externis . . . 463

Digitized by Google

Pag.

VII. De fuco et ornatu mulierum 464
Caput 1. Quo sensu a nobis vox fuci et ornatus sumatur 464
„ 2. De ornatu moderato et de excessivo . . . 465
„ 3. Quando ornatus et fucus licite adhiberi possit . 465
„ 4. Quando venialiter per fucum et ornatum peccetur 468
„ 5. Saepe peccata mortalia per fucum et ornatum committuntur 469
„ 6. Rationes pro fuco vel ornatu superfluo considerantur 485
„ 7. Remedia contra abusum fuci et ornatus . . 495

VIII. Documenta ad bene interpretandam scripturam sacram . 501

X. Monita pro iis, qui concionandi munus suscipiunt . . . 506

X. Ex lectionibus de oratione
Lectio 20 543
Lectio 21 549
Specimina diversa ex aliis lectionibus de oratione . . 555

Index nominum utriusque tomi 561

Digitized by Google

Prolegomena ad alterum tomum.

Caput I. Prolegomena ad quattuor vota priora primae partis.

Quattuor haec scripta eatenus cohaerent, quatenus omnia ad praeparationem concilii Tridentini denuo aperiendi spectant. Pius papa IV. vixdum ad solium pontificium evectus erat die 26. Decembris 1559, quum statim, consultore et adjutore sancto suo nepote ac secretario status, Carolo Borromaeo, apud animum suum statuit concilium oecumenicum ad optatum finem perducere. Et sane magno huic pontifici Deus reservatam voluit gloriam, victis tandem maximis difficultatibus, conficiendi negotii, quod supra quam dici potest religioni christianae salutare erat.

Primum votum ad unam ex istis difficultatibus pertinet. Mota haec erat ab aula caesarea, atque in eo consistebat, quod imperator, secus ac papa intendebat ac res ipsa postulabat, omnino vellet, ut concilium indiceretur non tamquam continuatio synodi anno 1552 suspensae, sed tanquam novum, proprium atque a priore distinctum concilium; idque propter protestantes fieri debere ajebat. Ejus consiliarii quippe, partim occulti protestantes[1]), ipsi persuaserant, non venturos esse protestan-

[1] Cf. Janssen J., Geschichte des deutschen Volkes tom. IV. (Freiburg 1885) p. 122.

Digitized by Google

tes, si priores conventus cum suis decretis considerarentur tamquam pars immutabilis unius ejusdemque magnae et oecumenicae illius synodi; nimium conqueri protestantes, se in prioribus sessionibus non fuisse sufficienter auditos, neque posse ab iis in antecessum jam exigi, ut seipsos damnarent. Inculcabat imperator, magni omnino interesse, ut quam plurimi repraesentantes novae fidei ad synodum venirent; curandum quoque, ut major numerus episcoporum et principum partem in concilio haberet, quod tunc eventurum spes erat, si concilium tanquam novum convocaretur; erga suspensum enim adeo male affectas esse nonnullas aulas, ut, exemplum Galliae secutae, ejusdem decreta accipere nollent. Neque id monere imperator omisit, papam ea ratione multo majorem gloriam adepturum, quam si cum dubia exitus spe antiquam synodum continuare tentaret. Denique et hoc affirmabat, „intermissionem seu suspensionem concilii biennii excurrentis flexu fuisse definitum; jam vero ab ea octo ferme annos excurrisse, neque de ea prorogatione quidquam sancitum."

Quae omnia acrius erant expressa in sic dicto „libello reformationis", quem Ferdinandus Stanislao Hosio, nuntio apostolico Viennae tradidit die 20. Junii 1560.[1] Erant in eodem memoriali et alia puncta proposita, quae papae displicere debebant; verum ea hoc loco non sunt memoranda.

Ad illas observationes circa concilium continuandum vel denuo inchoandum Pius IV. in amica sua epistola ad imperatorem brevius quidem respondet, quam ad alias difficultates ac propositiones ab eodem imperatore factas, sed tamen aperte voluntatem suam continuandi concilii significat.[2] Exceptionem suspensionis synodi ultra biennium protractae ita tollit: „Quod dicitur concilium per duos tantum annos

[1] Hoc documentum prima vice integrum exhibetur apud Sickel, Zur Geschichte des Concils von Trient (Wien. 1872) p. 55 ss. Fragmenta ex eo decerpta dederant Raynaldus ad a. 1560, n. 55, Pallavicinius, l. XIV. c. 13 nn. 10 ss., alii.

[2] Maximam hujus epistolae partem, sine data, refert Raynaldus ad. an. 1560 n. 56.

Digitized by Google

fuisse suspensum, quumque jam lapsi octo alii fuerint, per quos nulla nova sit facta suspensio, continuari id concilium non posse, sed novum institui debere, ea res non ita se habet; suspensio enim a concilio facta est ad biennium, a Julio vero III. facta fuit ad suum et sedis apostolicae beneplacitum; in hoc tamen concilium et pontifex convenerunt, ut expectari deberet finis bellorum atque opportunius tempus. Quod quum nunc advenerit, consecuta ubique jam pace, certe concilium Tridentinum pristinas vires suumque vigorem, si id pontifici videatur, resumere potest." Sed conferri cum hac responsione possunt quae ipse habet Lainius in primo suo voto p. 5 hujus tomi.

Simili ratione de continuando concilio sermo erat in primo documento publico pontificis, quo concilium imminens annuntiabatur, scilicet in bulla „Ingemiscimus semper" ed. d. 20. Novembris (cfr. infer. p. 3., nota), per quam orbi christiano preces publicae pro celebranda synodo praescribebantur.

Quibus praemissis, jam de proxima occasione scribendi primum votum Lainii pauca haec accipe. Die 15. Novembris 1560 celebratum est consistorium, in quo papa retulit, tractatus de cogenda synodo cum principibus habitos ad felicem exitum esse perductos; praeterea memoratam bullam in antecessum annuntiavit, indictis etiam peculiaribus jejuniis et pietatis exercitiis pro urbe Roma. „Necnon injunxit", ita Raynaldus ad fidem actorum consistorialium narrare pergit n. 67, „reverendissimis Dominis [cardinalibus] Saraceno, Puteo et sancti Clementis [Cigada] et aliis theologis, ut conficerent bullam, quae confecta legeretur in consistorio ut alias fuit factum." — Atque haec est bulla „Ad ecclesiae regimen", qua patres concilii Tridentum convocantur, edita die 29. Nov. 1560. Primum votum Lainii diebus praecedentibus exaratum est.

Antequam enim bulla in consistorio proponeretur, ejus schema in congregatione canonistarum et aliorum theologorum praesente papa praelegebatur. Inter invitatos erat et Lainius, praepositus generalis societatis Jesu. Quid

Digitized by Google

ipse de proposita quaestione censeret, non minori cum libertate et fortitudine quam prudentia ac reverentia in primo suo voto aperte edixit. Non defuisse, maxime ex ordine canonistarum, qui ab eo dissentirent, ex ipso voto liquet. Aliunde non habemus notitiam hujus consultationis, quum et in historia a Pallavicinio conscripta et in monumentis a Sickel editis silentio praetermittatur.[1]

Sic igitur confectum est primum Lainii votum, quod quia in forma integra hic prostat (pp. 1—16), intelligens lector ipse ex argumentorum gravitate atque ex scriptionis perspicuitate tuto aestimare poterit.

Vota secundum et tertium ex argumenti natura ad ipsam illam consultationem pertinent; neque a verisimilitudine abhorret, ambo fuisse per eandem occasionem a Lainio conscripta; unde et factum videtur, ut in eodem codice msc. conjuncta reperiantur.

Votum II. exponit quaestionem de protestantibus in concilio audiendis. Quoniam Lainius id omnino agebat, ut quae antea jam sancita Tridenti fuerant, publice ac solemniter admitterentur tanquam legitime et immutabiliter definita, facile excipi contra eum poterat exceptumque proculdubio est, stante hoc postulato desperandum esse, qui tantopere desideraretur, protestantium adventum. Hinc posita quaestio: liceatne contra jam definita disputare. Respondet Lainius: „Audiendi sunt haeretici (exceptis iis qui omnino obstinati et deplorati sunt), ut doceri et erudiri possint, non autem, ut mutentur bene statuta de fide“ (p. 20).

[1] Cfr. tamen quoad caetera acta Romana ac pontificia Pallavicinium l. XIV. c. 14 ss. et Sickel (l. cit.) p. 84 ss. Die 12. Octobris Prosper de Arco, orator imperatoris apud pontificem, ad imperatorem scribit: „Hic quotidie conventus habentur a reverendissimis cardinalibus et episcopis de rebus concilii, resque varie ac diversimode tractatur; sed quum nesciant, quomodo Gallicanis occurrant novitatibus, nisi Tridentini concilii suspensionem tollant, exspectat Stas S., si quid melius inventum aut excogitatum fuerit per majestatem vestram.“ (Sickel p. 102).

Digitized by Google

Votum III. speciatim refert, quidnam sit in prioribus sessionibus concilii definitum, breviterque indicat, quid adhuc supersit definiendum. Probabile est, votum contra eos dirigi, qui in congregationibus Romae habitis asserebant, „parum referre, de novo incipere concilium, quod hucusque pauca decisa a concilio Tridentino sint.“ (p. 9).

Quae tanquam pars altera hujus voti apparet (p. 21) hac praefixa inscriptione: „Quaenam inconvenientia sequantur ex eo, quod nondum finito nec confirmato concilio Tridentino novum indicatur“, ea primitus proprium ac distinctum votum fuisse videtur; quod quum tamen nonnisi brevis quaedam delineatio primi nostri voti esset, non putavimus integrum imprimendum esse.

Majoris momenti conspicitur esse votum quartum, quod refertur ad bullam convocationis jam editam die 29. Novembris 1560.

Praelatus, cujus nomen tacetur[1]), ex auctore quaesierat, quidnam esset respondendum, si ab adversariis objiceretur, ex bulla non constare, utrum papa velit continuare concilium an de novo indicere.

Qui in praeviis consultationibus Romanis cum Lainio voce et scripto pro continuanda synodo egerant, post editam bullam aliquid difficultatis inde experiri debebant, quod ipsorum animadversiones pro aperta continuatione prioris concilii factas parum curatas viderent; papa scilicet rebus omnibus mature perpensis ad majus ecclesiae bonum conducere judicavit, si ea in causa imperatori, Gallis ac protestantibus quodammodo gratificaretur ac concilium non tam aperte ut continuationem suspensae synodi convocaret. Id afflicto ecclesiae statui Lainius quoque tribuere potuit, vera ac genuina principia exposuisse contentus; praesertim quum bulla nihil de iis, quae jam definita erant, in concilio retractandis contineret.

Lainius se, ut alibi semper, ita etiam in hac quaestione tractanda virum perfectae obedientiae exhibuit.

[1] Lainius eum alloquitur: „Dominatio Vestra Rma.“

Digitized by Google

Quemadmodum enim in praeliminaribus tractibus media in acri sua oppositione contra novum concilium sincere professus fuerat, „paratum se esse veneranter suscipere decretum Smi. de hac re et illud cum Dei gratia pro virili tueri, quovis proprio judicio deposito“ (infra p. 16), ita nunc, edita jam bulla de hac re saltem non tam clare loquente, quemadmodum ipse desiderabat, aperte ac simpliciter declaravit, „christiano viro tantum incumbere onus eam bene interpretandi et cum Dei gratia tuendi“ (pp. 21—22). Paucissimi profecto sunt principes, qui gaudere possint consiliariis adeo ab omni animi perturbatione ac partium studio liberis tantaque fortitudine, sinceritate ac pietate munere suo fungentibus.

Quomodo Lainius ipse huic a se proclamatae obligationi bullam tuendi, rationibus ex ipso ejus contextu erutis, satisfecerit, et quamnam rationem speciatim praelato illi, pro quo votum exaravit, scite suaserit ad bullam contra protestantium difficultates defendendam, id ex ipsa Lainii scriptura lector facile colligit (pp. 21—23).

Quum Joannes Franciscus Commendonus, episcopus Zacynthiorum, tunc missus esset ad principes protestantes, ut eos ad concilium invitaret, conjicere possumus, votum pro hoc praelato fuisse conscriptum. Is, teste Latino Latinio (apud Raynald. ad an. 1560, n. 75), die 13. Decembris Roma profectus est; unde etiam tempus scriptionis circiter erui potest.

Neminem latet, Pium IV. aulis principum et haereticis frustra omnino morem gessisse; nam praeterquam quod protestantes pontificis invitatu non venerunt, papa ne apud catholicos quidem id est consecutus, ut indulgenti sua concessione omnem oppositionem tum in ipso concilio tum in aulis principum e medio tolleret, hispanis iterato petentibus, ut concilium aperte declararetur tanquam prioris synodi continuatio, Gallis e contra adeo vehementer reclamantibus, ut ne admittere quidem vellent quae in priori concilio jam erant synodaliter statuta. Imperator animo erat a continuatione concilii averso; unde etiam factum est, ut nec ipse papa saltem in foro publico

Digitized by Google

ex statu cujusdam ambiguitatis emerserit. Hispani tandem cum papa in eo acquieverunt, ut continuatio sub finem concilii exprimeretur ac priora decreta etiam solemniter approbarentur. Caeterum antiquiora haec decreta etiam ante obtentam approbationem pontificiam ex parte synodi confirmata dici possunt, quod in ultima sessione cuncta solemniter praelegerentur.[1]

Adeo, in negotiis synodicis etiam, erat serviendum tempori ac principibus catholicis alias de ecclesia bene meritis.

Exemplaria mscr. nobis obvia quod attinet, quattuor haec vota continentur in illo volumine, quod in prolegomenis ad tom. 1 (p. 25*) signavimus sub littera A eique ceu fasciculi originales erant affixa. Descripta quidem aliena manu apparent, sed Lainius ipse plures correctiones manu sua adhibuit votis II., III., IV., unde conjecturae locus est, schemata seu primos illos conceptus esse, ex quibus deinde exemplaria, quantum necesse erat, describebantur.

In codice praecedebant vota II—IV, quod tamen non impedire debere visum est, quominus voto primo locum primum concederemus, propter ejus materiam alias eidem debitum. Praeterea solum hoc primum votum verba praefixa habet: Illustrissime et reverendissime domine. Reliqua autem tria (vel potius quattuor) quasi unum totum efformabant, sicuti ex titulo communi a dorso ultimi folii eisdem apposito apparet.

Caput II. Prolegomena ad quintum votum de calice laicorum.

1.

Status quaestionis historicus.

Quaestio de calice laicis concedendo, quae in concilio Tridentino agitata est, non quidem ad primas summique momenti causas in synodo tractatas pertinet, attamen inter eas jure censetur, quae omnium studia maximopere excitabant et suspensos animos diutissime tenebant. Immo

[1] Pallavicinius lib. XXIV; c. 8., nn. 6—7.

Digitized by Google

„nihil est unquam", sic scribunt oratores caesarei,[1] „majori contentione et clamoribus in concilio actum."

Quaerebatur, an renovanda esset ecclesiae antiquae praxis, quae saeculis XII. et XIII. paulatim cessaverat, juxta quam laicorum cuique licebat sub utraque specie sanctissimi sacramenti particeps fieri; atque ideo haec quaestio proposita est, quia imperator Ferdinandus I., Bavariae dux Albertus V. et plurimi patres sacri conventus, optime de re catholica sentientes, pro isto usu saltem in quibusdam regionibus restabiliendo fervidis precibus instabant, tanquam si efficax remedium esset ad vacillantes catholicos contra haeresim Lutheranam obfirmandos et ad lapsos in ecclesiae gremium revocandos. A petitione sua non deterrebantur per experientiam cum Calixtinis in Bohemia factam, qui quantumvis a concilio Basileensi concessionem calicis obtinuerant, tamen ecclesiae reconciliati non sunt, sed e contrario ita in erroribus suis persistebant et gratia oblata abutebantur, ut Pius papa secundus dictam concessionem solemniter revocare coactus fuerit.[2]

Nulla nobis nota est elucubratio, quae majori cum copia ac claritate omnia momenta evolvat in concilio Tridentino circa petitionem calicis in considerationem vocata, quam Lainii *Consultatio de calice laicis porrigendo,* infra pag. 24—74 impressa. Scripta est Tridenti tempore concilii, auditis omnibus quae utrimque, tum a patronis tum ab adversariis calicis proferebantur, et praeter authenticas formulas propositionum, de quibus disceptabatur, ipsa vota Lainii de singulis prolata fideliter refert.

Quae omnia in eo conspirant, ut calicem concedendum esse omnino negent.

[1] Tempore videlicet, quo controversia de jure divino episcoporum nondum exorta fuerat. Vide oratorum litteras ad caesarem Ferdinandum datas 18. Sept. 1562 apud Le Plat, Monumenta conc. Trid. tom. V. p. 503.

[2] De usu antiquae ecclesiae et de historia calicis apud Hussitas legantur quae scripsimus in „Innsbrucker Zeitschrift für katholische Theologie" [Acta theologica Oenipontana] anno 1882 p. 696—705 et 708—713.

Digitized by Google

Horum votorum primum maximeque extensum ab auctore dictum est in congregatione generali habita die 6. Septembris 1562. Eum autem successum haec oratio consecuta est, ut post eandem amicorum calicis spes evanuerit, fore ut concilium communionem sub utraque specie sive ipsum permitteret sive summo pontifici instanter commendaret permittendam; in fine videlicet controversiae contenti esse debebant, ut haec causa a concilio simpliciter ad sedem Romanam remitteretur.[1] Inde oratores caesarei animositate abrepti ad Ferdinandum I. haec perscripserunt de Lainio et de Hispanis aliis, qui, Lainio praesertim auctore, contra calicis usum sententias dixerant: „Quod ad calicis negotium attinet, credimus majestatem vestram caesaream aliunde etiam intellecturam, quantum omnes studium, diligentiam ac labores adhibuerimus, ut quod cupiebamus consequeremur . . (Verum) Hispanos ita adversarios habuimus omnes, excepto Granatensi, ut non ex zelo christiano, sed veluti ex conjuratione aliqua agere viderentur. Vix enim fieri potest, ut omnes episcopi Hispani idem hoc tempore in hac una re sentiant, quum animadversum sit, alias in dicendis sententiis ipsos non raro inter se dissensisse. Huc accedit, quod ita sententias dixerunt, ut satis apparuerit, eos quasi ex composito omnia

[1] Factum id est sequenti decreto in sessione XXII. die 17. Septembris 1562 sancito:

„Insuper quum eadem s. synodus superiori sessione duos articulos alias propositos et tunc nondum discussos, videlicet an rationes, quibus sancta catholica ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una tantum panis specie ita sint retinendae, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus — et an. si honestis et christianae charitatis consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit et quaenam illae sint — in aliud tempus, oblata sibi occasione examinandos atque definiendos reservaverit, nunc eorum, pro quibus petitur, saluti optime consultum volens, decrevit integrum negotium ad sanctissimum dominum nostrum esse referendum, prout praesenti decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile reipublicae christianae et salutare petentibus usum calicis fore judicaverit."

Digitized by Google

fecisse. Doctor Laynes, Jesuitarum generalis, cui beneficio sanctissimi domini nostri sententiam in concilio dicendi facultas est concessa, non satis habuit longa oratione, licet infirmissimis argumentis nobis, etiam pungentibus verbis, adversari, sed antea multos episcopos, ut idem facerent, inducere conatus est; quod suum propositum etiam in sessione, in ipso templo, non sine scandalo mordicus retinuit."[1]

Lainius melius profecto indolem novae doctrinae Lutheranae motuumque per eandem inter catholicos excitatorum perspiciebat quam isti aulici oratores. Firmiter ei persuasum erat, eo temporis non concessionibus obviam eundum novatoribus, sed e contra omni vi obnitendum esse, atque praesertim receptos probatosque usus ecclesiae summa constantia contra novatorum insaniam defendendos. Ipse non solum agendo cum haereticis et cum vacillantibus catholicis naturam morbi experientia multa didicerat, sed etiam ope epistolarum, quae a sociis sui ordinis ad eum, ut generalem praepositum, ex Germania, Anglia, Gallia, aliisque infectis regnis frequentissimae confluebant, quae remedia ad rem christianam sustinendam adhiberi deberent, optime resciebat.

Et re quidem vera, quomodo concessio calicis adminiculum reconciliandae pacis cum parte Lutherana esse potuit, quum caput novae sectae ipsum, omnimode scissuram retinendam et augendam esse, accerrime declararet, etiamsi omnes concessiones quoad ritum et usus magis indifferentes ab ecclesia Romana fieret? Unam concessionem tantum appetebat, qua obtenta concordia stabiliretur, nempe „ut papa velit papatum suum aboleri."[2] De communione autem sub utraque specie a concilio impetranda Lutherus jam anno 1526 scripserat: Si concilium aliquod istam com-

[1] Litterae supra p. 14* nota 1. allegatae.

[2] Haec verba Lutheri sunt in epistola ad Melanchthonem data 26. Augusti 1530: „Summa, mihi in totum displicet tractatus de doctrinae concordia, ut quae plane sit impossibilis, nisi papa velit papatum suum aboleri." De Wette, Epistolae Lutheri, tom. IV. pag. 147.

Digitized by Google

munionem permissurum esset, tum suos ea uti non debere, immo in contemptum concilii debere eos aut unam speciem sumere aut nullam, omnesque execrare, qui ob concilii auctoritatem ad utramque speciem accederent.[1] Quae verba haeresiarchae in discussione concilii Tridentini de calice recitata sunt.

Ceterum novatores lutherani maxima industria usum, utriusque speciei, ubicunque poterant, introduci curabant, ea re tanquam medio utentes, ut reliquas suas falsas atque subversivas doctrinas sensim atque sine tumultibus inter catholicos propagarent.

Namque, quum ipsi solum tam piam et antiquam consuetudinem, scilicet sanguinis Christi sumendi, commendarent, multi catholici, alias non satis instructi, initio quidem non adeo magnam differentiam inter catholica et lutherana sacra intercedere putabant, atque praeterea quin id adverterent ad novas res moliendas et ad contemptum avitae ecclesiae excitabantur. Verum etiam in solo usu utriusque speciei a Lutheranis commendato haereticus anguis latebat; nam quum Lutherus primis quidem annis dogma suum de specie utraque saepius mutasset, denique eam doctrinam amplexus est, divina lege praecipi et ad necessitatem salutis pertinere, ut praeter hostiam calix a fidelibus sumeretur. Sic dicti autem Sacramentarii ulterius adhuc progressi autumabant, non totum praesentem esse Christum sub alterutra specie, ideoque sub una tantum communionem omnino suscipi non posse.

Nihilominus Ferdinandi I. praedecessor, imperator Carolus V., desiderio sincerissimo unionis restituendae repletus, consiliantibus viris pacificis magis quam perspicacibus, in diaeta Augustana a. 1530 calicis usui a summo pontifice impetrando favebat; immo alienus non erat ab opinione, etiam coelibatus legem a papa saltem pro Germaniae regionibus abrogandam esse.

[1] Vide dissertationem Spittleri scriptoris protestantici: Geschichte des Laienkelches (Historia calicis laicorum, in operibus ejus collectis ed. Stuttgardiae 1834, vol. VIII) pag. 367.

Digitized by Google

Sancta sedes, quamquam reconciliationis remedia, quae vera essent, minime respuebat, tamen provide ac caute circa illas concessiones agendum esse semper monui Pontifices Clemens VII. et Paulus III. per se quidem eorum parti magis adhaerebant, qui, probe noscentes statum rerum Germanicarum, cum cardinali Hosio episcopo Varmiensi dicebant, calicem non esse nisi primum cuneum, ope cujus scissura efficeretur, alterum autem cuneum immediate secuturum esse, videlicet confessionem Augustanam. Verumtamen quum Carolus imperator in famoso *Interim* Augustae anno 1548 publicato auctoritate perperam sibi arrogata sumptionem sub utraque specie sanxisset (cui legi etiam indultum caesareum pro sacerdotum matrimonio adjunxit), Paulus III., ob majora mala vitanda precibus imperatoris cedere se debere ratus, legatos pontificios in Germaniam misit restituendae pacis ecclesiasticae causa, qui etiam sub quibusdam conditionibus communionem calicis laicis permittere ex facultate Romana sibi data valuerunt.

Exitus vero bonam intentionem pontificis plane fefellit; nam, ut ait Pallavicinius,[1] „vix erat, qui facultatum usum a nuntiis poscerct.“ Unus autem ex nuntiis, Sebastianus Pighinus, episcopus Ferentinus, certiorem fecit cardinalem Farnesium, se peragrasse superiorem Germaniam non sine periculo, infectos Lutherana lue in perfidia obduruisse et paucos ad religionem catholicam reversos, spesque tenues eorum in castra ecclesiae traducendorum affulgere, nisi caesarea majestas magis strenuam operam ad id contulerit.[2]

Tamen non deerant in Germania viri catholici apud aulam plurimum valentes, qui, sicuti novis semper colloquiis de religione publice instituendis operam navabant (quae res non solum frustranea sed etiam nociva atque periculosa erat), ita etiam concessionum viam ineundam pervicaci quadam indulgentia commendare non fatigabantur; iis demum clandestini haeretici sese sociabant; cuncti-

[1] Hist. conc. Trid. lib. XI. c. 2. n. 16.
[2] Raynaldus Annal. ad a. 1548 n. 72.

Digitized by Google

que simul imperatorem Ferdinandum, qui Carolo a. 1556 in imperio successerat, quique non obstante animo suo omnino catholico ad compromissa nimium inclinabat, eo deduxerunt, ut brevi ante ultimam aperitionem concilii Tridentini libellum illum sic dictum reformationis ad pontificem dirigeret (a. 1560).

In eo praeter caelibatus sacerdotum abrogationem et alias complures innovationes imperator usum utriusque speciei pro terris suis haereditariis a Pio IV. summis precibus postulavit.[1]

Respondit papa, cuncta ea reformationis capita ad concilium remittens, „debere majestatem suam, ut tractetur de illis rebus, quae ex aliorum suggestione commemorasset, id est de communione sub utraque specie, connubio sacerdotum etc., et ut super his divino instinctu definiretur, quod ad unitatem sit ecclesiae, omnibus impedimentis loci, temporis, personarumque praecisis, quantum quidem ad eam spectaret, isti oecumenico Tridentino concilio consentire; neque enim ullum securius neque praesentius remedium afflictis Germaniae rebus inveniri posse.“[2]

[1] Quomodo status etiam religiosus illarum terrarum, in quibus quam plurimi inveniebantur, qui fluctuabant inter catholicam et lutheranam religionem, caesarem ad petitiones suas moverit, expositum est in dissertatione nostra altera jam citata: Zeitschrift für kath. Theologie a. 1882 pag. 76—84, ubi etiam a pag. 40 plurima de historia calicis tempore Lutheri habentur.

De libello imperatoris vide supra pag. 8* not. 1.

Hosius Varmiensis, qui tunc temporis nuntii apostolici munere apud aulam Viennensem fungebatur, aegre obtinuit, ut in primo schemate hujus libelli aliqua mutarentur, quae „ex odio (ita ait) proficisci videbantur“; de caelibatu imperatorem ibidem locutum fuisse sicuti Lutheranum, idem affirmat. Quo spiritu autem consiliarii Ferdinandi in eo scripto elaborando ducerentur inter alia eorum verba de concilio continuando demonstrant, quae juxta Sickel (pag. 69 ss.) in votis praeparatoriis occurrunt: „Pontifex forte non serio tractat rem, nec se subjicit concilio .. ut tenetur secundum decreta conciliorum Constantiensis et Basileensis.“

[2] Cf. Sickel n. 50; Raynald. Annal. ad a. 1560 n. 56.

Digitized by Google

Concilium Tridentinum jam in penultima sessionum periodo de communione calicis agere inceperat.

Anno nempe 1551 ante sessionem XIII. propositae patrum examini fuerant quaestiones dogmaticae de communione sub utraque specie[1]; verum in eas inquiri vix coeptum erat, quum totum negotium statim in aliud tempus differebatur; petente nimirum oratore caesareo, comite de Montfort, concilium statuit, ut adventus protestantium iterum exspectaretur, quod hi desiderassent, de articulis in synodo tractandis audiri, eumque in finem postulassent, ut sibi plena loquendi libertas cum publica securitate, quam salvum conductum appellant, concederetur. — Sed frustra omnia.

Post sessionem autem XVI., celebratam die 28. Aprilis 1552, concilium ipsum progressum suum suspendit propter tumultus ac bella, nominatim propter subitam invasionem, quam perfidissimus ille Saxo Mauritius hostiliter in fines Tirolenses fecit.

Quum deinde, longo decem annorum spatio interjecto, post sessionem XX. iterum proponerentur schemata de communione sub utraque specie, eaque et dogmatica et disciplinaria, alia omnino facta fuerat rerum facies, aliaque evaserat synodi conditio quoad eos qui ab ecclesiae fide discesserant; adeo enim omnia erant apud protestantes in pejus permutatata, ut aperte sibi jam nihil com-

[1] Legitur in sessionis XIII. „Decreto prorogationis definitionis quattuor articulorum de sacramento eucharistiae et salviconductus protestantibus dandi“:

Eadem sancta synodus . . . inter alios ad hoc sacramentum (Eucharistiae) pertinentes articulos, diligentissima veritatis catholicae inquisitione tractatos, plurimis accuratissimisque pro rerum gravitate disputationibus habitis, cognitis quoque praestantissimorum theologorum sententiis, hoc etiam tractabat:

An necessarium sit ad salutem et divino jure praeceptum, ut singuli Christi fideles sub utraque specie ipsum venerabile sacramentum accipiant;

et an erraverit sancta mater ecclesia, laicos et non celebrantes sacerdotes sub panis specie dumtaxat communicando;

et an parvuli etiam communicandi sint.

Digitized by Google

mune cum concilio esse declararent. Quae rerum conversio in dijudicanda hac disputatione de concedendo calice inprimis est attendenda; persuasum enim perspicacibus ac sapientibus viris erat, inde a bello Schmalcaldico omnem unionis spem fuisse penitus exclusam, praesertim ex quo nationis germanicae dissidium, quod bellum latius patefecerat, conventione Passaviensi ac pace religiosa Augustana (1555) sancitis legibus stabile evaserat. Fieri itaque debuit, ut quae novis in rerum adjunctis concederentur, multis viderentur suspecta ac periculosa, quod nimirum probatae ac venerabiles institutiones desererentur, quin ulla spes utilitatis animarum offerretur.

Qui nomine imperatoris concilio in ultima periodo a. 1562 et 1563 intererant, nempe Antonius de Müglitz, archiepiscopus Pragensis orator primus, Sigismundus de Thun orator secundus, et Georgius Drascovič episcopus Quinqueecclesiensis orator pro regno Hungariae, nihil antiquius habuerunt, quam ut patres ad tractandum de postulatis caesareis in sacro conventu citius permoverent. Quod quum non assequerentur, legatis nempe proponentibus articulos quosdam reformationis sine suspectis postulatis Ferdinandi (11. Martii 1562), imperator alterum libellum reformatorium ad deputatos oratores suos misit, in quo praeter alia denuo articulum de calice laicorum et de conjugio sacerdotum plane importune urgebat; simul oratores jussit aliorum principum oratores et praelatos sibi faventes in causae societatem vocare dictumque libellum suo imperatorio nomine synodo ad tractandum et decernendum proponere.

Juverit ex isto libello ea hic adscribere, quae ad introducendum usum utriusque speciei spectant.

„Quod ad populum attinet, sperant viri prudentes ac pii, posse illum in disciplina catholicae fidei retineri, si ea concederet s. synodus Tridentina, quae jure concedere potest. Non quod caesarea majestas vestra [totus libellus formam consultationis imperatori traditae prae se fert] pro se personaque sua cupiat ullum priscae ecclesiae ritum mutari, satis enim ipsa est in fide catholica divino auxilio confirmata; sed quidquid hac in re consulit, facit id omnino publicae tranquillitatis causa, nulla habita ratione sive commodi, sive affectionis ullius. Fundamentum autem ejus sui consilii putant isti pii viri esse, quia populus uti rudis

Digitized by Google

est, ita minus intelligit subtiles illas haereticorum assertiones; sed crassiores aliquot articulos, qui veritatis speciem aliquam prae se ferre videantur, pertinaciter arripere solet, ab iisque se nullo modo divelli permittere. Ejuscemodi autem articuli sunt: de utraque specie in coena Domini, de esu carnium, de conjugio sacerdotum, ac si quid rerum similium. Haec quoniam in sacris scripturis aliquam veritatis evidentiam habere putantur, ob eosdem articulos, cum ad vulgi illecebras explicati sint, credit populus etiam reliqua sectariorum prava dogmata (etiamsi ea non intelligat) recta esse atque salutaria.

. . . Populus nulla re magis devincitur ad sectariorum nova instituta, quam quod legit scriptum esse: *Accipite, comedite; accipite, bibite.* Haec verba s. textus de utraque specie adeo fixe tenaciterque insederunt animis vulgi, ut decies mori mallent homines atque extrema perpeti, quam ullam admittere de una specie restrictionem. Vidimus passim multos homines, qui cum caetero essent Christiani, tamen ob hoc tam expressum Dei verbum, ut ipsi loquuntur, ad sectarios a nobis transire maluissent, ut liceret utraque specie uti, quam manere apud nos una contentos. Audiuntur etiam haud raro passim in mediis gregibus sectariorum versantes, qui palam confitentur, se recta ad papistas velle transire, si apud hos integrum esset sub utraque specie eucharistiae sacramentum sumere. Movet istos homines devotio expressi textus, et quod audiunt, apud Graecos utriusque speciei usum inde usque ab initio fuisse. Quin etiam ipsum Constantiense concilium testatur diserte, eum fuisse morem communicandi sub utraque in ecclesia primitiva a quo nec alii scriptores graves dissentiunt. Multa solent a multis in hanc sententiam afferri, quae consulto praetereuntur; non enim disputandi, sed reverenter admonendi causa, haec a nobis dicuntur, ut eo diligentius cogitetur, quid pro sananda infirmitate seductorum hominum expedire possit. Hoc autem certum est, ipsam quidem communionem Dominici corporis esse institutam ex jure divino; laicum vero vel sub una communicari vel sub utraque, non divini, sed positivi juris esse, res ipsa docet; nec hoc dissimulavit Basiliense concilium, cum affirmat ecclesiam ordinare posse, quomodo ipsis non conficientibus eucharistia administraretur, prout pro reverentia ipsius sacramenti et salute fidelium viderit expedire; sive enim sub una specie, sive sub duplici quis communicet, secundum observationem seu ordinationem ecclesiae, proficit digne communicantibus ad salutem.

Nec dubium est, quin eo quoque respexerit Paulus tertius Romanus pontifex, cum omnibus per Germaniam episcopis concessit facultatem sub utraque specie communicandi hos, qui devotionis suae causa sub utraque mallent quam sub una communicari, minime profecto eam facultatem largiturus, nisi utramque vel alterutram speciem in laica communione indifferentem jurisque humani, non divini, statuisset esse.

Quod cum ita est, cur non posset uti sua potestate mater ecclesia?

Quanta infirmitas sit in plerisque hominibus, etiam catholicis, argumento esse potest vel hoc ipsum utriusque speciei tam ardens desi-

Digitized by Google

derium. Cui si mater ecclesia consulere posset aliarum consensu nationum, spes magna fore videretur, hac tam benigna concessione pontificis titubantes in officio retineri et relapsos erigi paulatimque ad gremium sanctae matris ecclesiae posse reduci.

Sunt qui arbitrentur, eadem ista occasione et Bohemos et Ruthenos et Graecos ad unitatem catholicae ecclesiae sponte redituros esse, quandoquidem et ipsi, tot haereses sectasque pertaesi, ad concordiam Christiani orbis aspirare videantur. Quod omnipotens Deus, Pater misericordiarum aliquando perficere dignetur!" (Le Plat, Monum. conc. Trid. tom. V. pag. 248 ss. Cf. Sickel in Archiv für österreichische Geschichte a. 1871 tom. 54 pag. 3 ss.)

Inter hasce tempestates moderatores concilii, quibus unice jus competebat res tractandas ad synodum deferre, viam justam et quietam quaestionis de communione pervestigandae firmiter tenebant. Ubi tempus ad proponendam quaestionem de calice conveniens nacti erant, initio mensis Junii 1562, propositiones ad illam materiam pertinentes efformarunt.

In iis propositionibus, quas primus legatus, Hercules cardinalis Gonzaga, omnium legatorum nomine post sessionem XX. patribus fecit die 6. Junii 1562, quaestio disciplinaris de calice laicis concedendo his verbis erat concepta:

„II. Articulus. An rationes, quibus sancta catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una tantum panis specie, ita sint retinendae, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus."

„III. Articulus. An, si honestis et christianae charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quaenam illae sint."[1]

Reliqui tres articuli schematis propositi ad veritatem dogmaticam referebantur nec multum ab iis differebant, qui olim fuerant exhibiti anno 1551.[2]

Juxta morem synodicum res primum tractari coepit in congregationibus theologorum. Initium dicendi fecit Alphonsus Salmeron, theologus pontificius, qui doctrina

[1] Apud Theiner II, 7.

[2] Supra pag. 20* not.

Digitized by Google

dogmatica fuse exposita, calicem non esse concedendum censuit. Eum exceperunt alii 62 theologi, qui et ipsi, servato ordine suo, in 21 congregationibus in ecclesia s. Mariae, Majoris dictae, a 10. ad 23. Junii habitis libere de argumento sunt locuti. Ultimus disputavit Theutonius, natione Lusitanus, presbyter saecularis, qui pro facienda concessione peroravit.

Propter summam theologorum de quaestione disciplinari dissensionem, patres in congregationibus generalibus, in quas protinus convenerunt, satis habuerunt de sola doctrina dogmatica agere. Memoratos tres articulos dogmaticos in quatuor extenderunt, quos varie etiam mutatos tandem in sequenti sessione (XXI.), die 16. Julii 1562, propositis quattuor anathematibus solemniter approbarunt.[1]

Interim salebrosa atque impedita quaestio disciplinaris de calice magis conquievit usque ad 22. mensis sequentis, quo die nova schemata de ea sunt patribus distributa. Verum

[1] Hisce terminis decretum conceptum est:

„Canon I. Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos christifideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti sumere debere, anathema sit.

Canon II. Si quis dixerit, sanctam ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.

Canon III. Si quis negaverit, totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur, anathema sit.

Canon IV. Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem anathema sit.

Duos vero articulos alias propositos, non tamen excussos, videlicet: an rationes, quibus sancta catholica ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una tantum panis specie, ita sint retinendae, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus; et an si honestis et christianae charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quaenam sint illae, eadem s. synodus in aliud tempus, oblata sibi quam primum occasione, examinandos atque definiendos reservat "

Digitized by Google

exinde longe impeditior ac difficilior fieri coepit, quod oratores caesarei concessionem vehementer urgerent, iisque dux Bavariae propria petitione accessisset. Die ergo 22. Augusti articuli superius pag. 23* relati (II. et III.) majoris claritatis gratia in eam ampliorem formam redacti proponebantur, quae in Consultatione Lainii p. 25 s. exhibetur.

In proponendis articulis cardinalis Gonzaga retulit patribus, „quod a multis diebus quotidie fere oratores caesarei maximopere egerint apud ipsos legatos nomine caesareae majestatis, ut illi duo articuli de communione sub utraque specie, qui in praecedenti sessione remanserant indiscussi, proponerentur patribus, petentes, ut ipsa communio sub utraque specie concederetur“ . . . „et quod maxima ratio habenda esset caesareae majestatis, in cujus fide (inquit), pietate, religione, prudentia quantum fidendum sit, nemo est, qui ignoret; nam (ut patres sciunt) hoc sacrum concilium absque suae caesareae majestatis favore et auctoritate congregari non potuisset, neque absque eadem bonum exitum atque optatum et salubrem finem habere posset. Quare patres haec omnia maturo judicio perpendere debent, et ea postmodum deliberare, quae eorum conscientiis temporum conditionibus convenire videbuntur.“[1]

Primus cardinalis legatus, qui hisce verbis sese aperte fautorem calicis ostendit, satis sciebat, etiam summum pontificem Pium IV. a communione sub utraque permittenda non alienum esse. Quamquam enim pontifex magnam utilitatem ex concessione calicis minime exspectaret, tamen eo inclinabat, ut in hac parte desideriis obsecundaretur imperatoris, quippe cujus benevolentia rei ecclesiasticae conservanda multo pluris ponderare videbatur, quam nocumentum inde forsitan secuturum, si concessio calicis iterum fieret, praesertim quum talis concessio circa rem per se licitam versaretur et insuper toti mundo aperte ostenderet, non stare per pontificem Romanum vel concilium, ut pax et unio religiosa inter populos christianos non redintegraretur.

[1] Theiner, Acta Concil. Trid. II, 88.

Digitized by Google

Absoluta examinatione canonum et doctrinae de missa, patres ipsi continuo, die 28. Augusti, coeperunt de concessione calicis in congregationibus generalibus agere,[1] quum sententiae theologorum jam essent notae ex disputationibus mense Junio habitis. Continuabatur discussio usque ad d. 6. Septembris congregationibusque communiter 166 patres cum jure suffragii intererant.

Magna erat votorum diversitas. Angelus Massarellius, secretarius concilii, qui singulorum patrum orationes paucis est complexus, ad extremum refert, talem fuisse suffragationis exitum[2]: vota affirmativa simpliciter num. 29; affirmativa cùm remissione ad S. D. N. n. 31; affirmativa pro regnis Hungariae et Bohemiae cum remissione ad S. D. N. n. 19; negativa simpliciter n. 38; negativa cum remissione ad S. D. N. n. 10; remissiva simpliciter ad S. D. N. n. 24; dilatoria n. 14; Dubium: unum. Universim n. 166.

Qua in suffragatione Georgius Draskovitius, episcopus Quinque-ecclesiensis, fervidus ac violentus orator caesareus, homo in dicendo calens, pro concedenda communione sub utraque specie bis vehementer peroravit; primo tanquam orator caesaris, quum schema proponeretur, deinde tanquam episcopus in ordine patrum concilii die 2. Septembris.[3] Inter causae patronos praeterea eminebant cardinalis Madrutius; Andreas Sbardellatus (Dudicius), episcopus Tiniensis in Dalmatia; Marini, O. Praed., archiepiscopus Lancianensis in Italia; Casal, O. S. August., episcopus Leiriensis in Lusitania.

Sed et contra concessionem multi graviter ac perspicue dicebant. Ante caeteros duo patres itali excelluisse

[1] Ibid. pp. 95—96.

[2] Ibid. p. 115.

[3] Apposite animadvertit Pallavicinius, locutum esse Draskovitium, „ut satisfaceret illis gentibus, quae, infirmis delirantibus similes, sibi juxta proprium gustum potionem medicatam ab amante et perito medico praeberi vellent.“ L. XVIII. c. 3. n. 5.

Digitized by Google

leguntur: Castagna, archiepiscopus Rossanensis, et Osio episcopus Reatinus.

Silentio praetermittendus non est singularis casus, qui in discussionis progressu incidit. Quum scilicet Riccardus, abbas Vercellensis, ardenter contra communionem sub utraque specie disputando inconsiderate dixisset, propositionem calicem petentium haeresim sapere, primus legatus cardinalis Gonzaga eum statim corripuit, quumque ille adhuc tentaret prosequi, cardinalis ei silentium indixit, quod quum a legatis ipsis haec proposita fuissent, tali oratione eorum dignitas laederetur. Riccardus mox facti poenitens peracta excusatione ea, quae dixerat, publice retractavit.[1]

Qui Riccardum secutus est generalis minorum de observantia, digne atque ex certa animi persuasione adversus petitionem calicis dixit, quod, quamvis caesar decentem laudem a zelo mereretur, ea in parte tamen malis consiliis a recta via abductus esset. — Generalis minorum conventualium contra judicavit, ex causa unionis ecclesiae calicem esse concedendum, quum, asserente caesare, absque hac concessione neque catholici retineri neque errantes recuperari possent. — Generalis ordinis s. Augustini plura de longanimitate et patientia ecclesiae praefatus similiter conclusit, annuendum esse petitioni cum conditionibus propositis. — Iis tandem voto suo accessit generalis servitarum, quod tanta essent Germanorum et Hungarorum in religionem christianam et in sedem apostolicam merita.

Atque in hunc quidem statum adducta tractatio erat, quum Lainius oratorum ultimus, ad dicendum aggrederetur. Ipse prae caeteris concilii patribus de tota quaestione sine controversia accuratissime disputando adeo accommodate ad persuadendum peroravit, ut vel ipsi legati perspectum haberent, articulos propositos esse immutandos atque in novam formam, quae concessioni minus faveret, redigendos, nisi forte spem omnem exitus utcunque tolerabilis abjicere vellent.

[1] Cfr. Palaeottus apud Theiner II, 584.

Digitized by Google

2.

Ordo rerum quae in Consultatione exponuntur. Varia ad eandem pertinentia illustrantur.

Sententia a Lainio in concilio die 6. Septembris dicta universim 9 capita[1] totius Consultationis comprehendit (pag. 24—69). Exordium orator ducit a maxima diversitate opinionum circa propositam de calice quaestionem, quae in suffragatione sese manifestaverat; prodire quidem, ait, ex ea sentiendi varietate ingentem difficultatem rei, de qua agitur; non obstante tamen hoc defectu unionis omnes patres concilii concordes esse in desiderio inveniendi atque statuendi illud, quod in veram utilitatem reipublicae christianae cederet; quod desiderium etiam adversarios calicis favorabiles redderet usui postulato, dummodo ex hoc usu concesso verum aliquod lucrum supernaturale possent attendere; atqui id eisdem merito impossibile videri, e contra damna non levia ex concessione oritura esse (n. 1—3).

Porro Lainius ad hasce duas quaestiones respondet:

I. Si calix concedendus esset, quisnam eum concedere deberet?

II. Videturne consultum, ut concessio fiat, sive universalis ea sit sive particularis?

De prima quaestione disserens hanc solutionem defendit. Quodsi pro universali ecclesia calix introducendus videretur, potius concilii quam summi pontificis esset legem hujusmodi ferre; si autem tantum pro particularibus quibusdam locis novi usus licentia danda esset, melius summus pontifex solus hoc decretum conderet.

Ista tamen quaestio prima solum quasi praeambula est orationis. In qua solvenda quum orator assensuros sibi facilius omnes exspectare posset, quumque postea non sine ordinis rerum dispendio ad hoc dubium reverti liceret, recte illa quidem hoc primo loco expeditur. (n. 5. 6.)

In secunda quaestione enucleanda summum momentum

[1] Juxta capitum divisionem a nobis hic, sicuti etiam alibi, introductam.

Digitized by Google

universae disputationis reponitur. Eam Lainius n. 7 cum suis partibus accuratius sic proponit: an debeat usus calicis concedi omnibus, qui illum voluerint, abrogando legem concilii Constantiensis, an aliquibus sub certis conditionibus et per viam dispensationis illius legis, an vero nulli.

Antequam vero ad quaestionis hujus singulas partes dirimendas sese accingit, nonnulla consideranda praemittit, quae ad responsiones dandas aptissime viam sternere videntur; videlicet determinat, quid in hac quaestione definiri possit tanquam certum et de fide tenendum, quid vero solum tanquam probabile et non de fide; atque ad prius membrum quod attinet, absolute licitum esse, quod calix universaliter introducatur, gravibus verbis inculcat (n. 8. 9.); quod autem alterum spectat, exponit, probabilibus tantum argumentis posse dijudicari, an magis expediat calicem permittere, necne; id esse rem, in qua definienda tam pontifex quam concilium errare posset, quum ad fidem non pertineat, sed sit quaestio de facto (n. 10. 11).

Porro ad tres partes omnem disputationem de quaestione supra posita revocat.

In prima demonstrat, non expedire generalem facultatem quoad usum calicis, neque legem Constantiensem contrariam, quae universalis sit, abrogandam esse (n. 12—15).

In secunda inquirit in convenientiam particularis concessionis, et suppositis quibusdam „necessariis vel commodis ad hoc dubium decidendum“ (n. 16—18), perpensisque omnibus rationibus obstantibus, negantem pariter solutionem statuit, nempe non expedire etiam hujusmodi concessionem pro certis regionibus tantum (n. 19—42).

Tertia denique pars adversariorum argumentis satisfacit. Omnia rationum pondera hic examinantur, quae sive tempore suffragationis patrum, sive antea jam in orationibus habitis atque scriptis oblatis in favorem calicis coram sacro consessu prolata fuerant (n. 43—69). Ex hoc autem examine conficitur, „fortiora esse argumenta, quae convincunt negandum esse calicem, quam quae ejus concessionem suadent“ (p. 40; cf. p. 68).

Digitized by Google

In qua sententia Lainius, ut ipse affirmare se posse arbitratur, „majorem et meliorem partem patrum hujus concilii sequitur“ (p. 69).

Ex adversariis suis Lainius pro consuetudine sua nullum nominat; attamen sicut in Disputatione de jurisdictione episcoporum, ita etiam in hac oratione non ita difficile fuerit, multos dignoscere, quos in refutatione sua tacite respicit. Habemus siquidem vota adversariorum apud Le Plat et Theiner impressa; quorum usum etiam Theiner faciliorem pro isto scopo reddidit, quum, suo more, quae acrius atque magis contrarie catholicorum communi sensui dicta sunt, typorum forma distincta relevare studeret. Sufficiet pauca ex votis patronorum calicis hic adduxisse, subjectisque numeris, ubi Lainius in sua oratione ad singula respondeat, adnotasse.[1]

Drascovitius imperatoris postulatum bina vehementi oratione commendavit; in prima, quae exstat apud Le Plat in Monumentis Tridentinis (V, 459 ss.), ut orator caesareus suffragationem reliquorum inchoavit die 27. Augusti; in altera, quam habuit 2. Septembris et quae apud eundem invenitur (V, 467 ss.), tanquam episcopus votum suum dixit. Affirmat igitur in prima oratione, eos pro quibus calix petatur, esse praesertim „infinitum pene eorum numerum, qui tametsi ab orthodoxa fide non omnino defecerunt, tamen ita infirmi sunt, ut nisi hac provisione illis succurratur, nulla jam illorum salutis spes reliqua esse possit.“[2] Rationem habendam esse contumaciae subditorum imperatoris ac praesertim magnatum, qui publicis diaetis subsidium contra Turcas negarent, donec calix sibi concederetur.[3] Quemadmodum istos secundum Drascovitium concessione amice reconciliandos, sic sacramentarios hae-

[1] Praeterea hoc loco remittimus lectorem ad ea quae supra p. 21* ex libello imperatoris allata sunt.

[2] Conferantur Lainii responsa num. 20 pag. 41; n. 27 p. 47; n. 58 p. 63.

[3] Lainius n. 21 p. 42.

Digitized by Google

reticos eadem concessione fortiter rejectum et profligatum iri, quum eorum negationi verae praesentiae Christi haec communio solemnior, quae sub utraque specie fit, opponeretur.[1] Imperatorem, qui tantopere hunc ritum desiderat, ex longa experientia adeo gnarum esse rerum pro religione tuenda necessariarum atque opportunarum, ut errare in hac sua petitione non sit censendus.[2] Summum pontificem autem non solum non abhorrere a petitione concedenda,[3] sed etiam nihil tam cordi habere, quam ut concilium, memor officii, quod sibi hac recenti aetate incumbit, de re proposita decernat.[4]

Sbardellatus Duditius, quo nemo in concilio audacius, nemo magis saeculari rhetoricorum more pro calice obtinendo declamavit, patribus descripsit desperabundas turbas eorum, qui altera specie privati in aeternum perituri essent.[5] Cum s. Paulo clamavit: „Infirmos in fide suscipite.“[6] Cum Ezechiele adversarios coarguit: „Quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod aegrotum, non sanastis.“[7] Monet, Salvatoris exemplum imitandum esse, qui ovem pereuntem amore actus et misericordia quaesierit.[8] Calamum quassatum et linum fumigans commemorat. „Unicum hoc restat vinculum“, ait, quo dispersos ac mutuo sibi pugnantes filiorum vestrorum mentes ac voluntates arctissimo inter se modo constringere possitis. In vos omnium conjecti sunt oculi, a vobis universus orbis optatam illam et jam diu desideratam concordiam summamque animorum ac voluntatum consensionem avidissime exspectat. Vestram omnes fidem, vestram opem, vestram misericordiam implorant. Ne sitis ita inexorabiles, succurrite labenti et jamjam ruiturae reipublicae christianae, pacem orbi reddite, caritatem restituite, adeste auxiliis, extre-

[1] Lainius n. 69 p. 68.
[2] Lainius n. 35 p. 35; n. 67 p. 66.
[3] Lainius n. 42 p. 54; n. 79 p. 73.
[4] Lainius n. 6 p. 28; n. 29 p. 49.
[5] Lainius n. 35 p. 51: Patres .. egerunt declamatiunculis potius etc.
[6] Lainius n. 56 p. 61.
[7] Lainius n. 47 p. 57.
[8] Lainius n. 46 p. 56.

Digitized by Google

mam hanc nobilissimarum gentium sitim salutari calice restinguite, exardescentem ob hanc unam pene causam ac tot populos pervagantem flammam compescite." (Le Plat V, 472 ss.)

Episcopus Lancianensis (ut alios fautores calicis audiamus, quibus Lainius respondet) adduxit in exemplum Moysen libellum repudii Israelitis permittentem[1] et Paulum apostolum, qui initio caeremonias judaicas tolerasset ac Timotheum ipse circumcidisset.[2] Episcopus Teanensis inter alia mentionem fecit apostolorum commiserantium debilitatem gregis christiani ex Judaeis collecti, ob cujus respectum comestionem suffocati et sanguinis vetuissent.[3] — Episcopus Mutinensis a Spiritu sancto mutuatus est verba: „Misericordiam volo et non sacrificium," et episcopus Civitatis Castellanensis illa alia: „Expandi manus meas tota die ad populum" etc. — Ad exemplum patris filii perditi provocatum est ab episcopo Acciensi. — Rationes, ob quas unius speciei usus olim introductus fuisset, nunc non adesse amplius, affirmatum est ab episcopo Civitatis Castelli. — Non solum imperatorem, sed etiam summum pontificem ejusque legatos juste offendi, si patres calicem negarent, asseveratum est ab episcopo Senogalliensi; immo impium esse, repellere petentes calicem, quum parati forent conditiones necessarias adimplere, declaravit episcopus Calvensis.

Lainii oratio omnia praedicta, sicuti ex Consultatione nostra apparet, ponderavit ac refutavit. Dubitandum tamen non videtur, eam orationem non ipsis illis verbis habitam esse, quibus in consultatione consignata existit. Plurima enim argumenta in hac elaboratione, prout jacet, nimium contracta sunt, et generatim stilus nimis concinnus et brevis in eadem adhibetur, quam ut publicae dictioni accomodatus quomodocunque censeri possit. Ideo nos quidem arbitramur, Lainium tam habilem in dicendo et tam uberem in conceptibus explanandis variisque modis perpoliendis, in ipsa sententia dicenda lineamentis illis in Consulta-

[1] Lainius respondet n. 55 p. 60.
[2] Lainius n. 56 p. 61.
[3] Lainius n. 56 p. 62.

Digitized by Google

tione contentis vividam quasi faciem tribuisse verumque oratorem egisse facile docendo et affectibus voluntatem movendo.

Et ita intelligitur, quo pacto oratio tantopere placuerit optatumque exitum saltem apud plurimos sortita sit. Confirmationis loco ex epistola Calini, archiepiscopi Jadrensis, data ad Cornarum cardinalem die post orationem a Lainio habitam, haec subdimus: „Die Dominica audivimus generalem Carmelitarum et Lainium. Hic pro suo more docte pie et perspicue, quodque in hoc negotio maximi momenti est, prudenter dixit. . . De re agitur difficillima et ob sententias varias implicatissima. Et quod ego quidem judico, quaestionis decisio summo pontifici remittenda est.“[1] — Cum alias semper, scribit Sacchinius, constantiam rectamque suam mentem palam fecit (Lainius), tum potissimum in hac causa, ubi imperatori et principi bavaro rem perniciosam rei christianae petentibus obnitendum esse existimavit.[2] — Quanam denique ratione etiam oratores caesarei pro successu hujus orationis testimonium tulerint, jam supra pag. 15 audivimus.

3.

Historia controversiae de calice post Lainii orationem.

Ad reliquos fontes pro controversia nostra Tridentina in hocce ultimo stadio describenda accedit ipsa Consultatio Lainii, quam infra edemus. In ea enim post orationem diei 6. Septembris 1562 eventus dierum, qui sessionem solemnem die 17. ejusdem mensis celebratam praecedunt, breviter, sed authentice delineantur, tribus novis votis Lainianis intermixtis.

Primo loco Lainius refert, legatos, „cupidos placendi imperatori in Domino“, aliam formam decreti de calice stabiliendi proposuisse, cujus ipse tenorem verbalem exhibet n. 72 pag. 69; „quum enim viderent, se a synodo dispensationem (i. e. concessionem calicis) non obten-

[1] Baluze Miscellanea ed. Mansi tom. IV. pag. 265. In hac epistola etiam summarium brevissimum orationis Lainianae continetur.

[2] Historia societatis Jesu Lib. VI. n. 83.

Digitized by Google

turos esse", desiderabant ut (quod Calinus supra innuerat) synodus pontifici rem cum approbatione calicis remitteret. Concipiebatur ergo decretum, quo statueretur, „quod sanctissimus dominus noster . . . illis nationibus et populis, quibus sua sanctitas proficuum et utile id fore cognoverit, sub conditionibus . . . etiam ex voto, consilio et assensu hujus sanctae synodi praefatum calicis usum . . . concedere valeat." Ubi verba *etiam ex voto* etc. maxime ob Drascovitii instantias adjecta fuere.[1]

Die 15. Septembris hoc novum schema in congregatione generali cum patribus communicatur. Conditiones pro usu calicis antea propositae iterantur. Quum sententiae de nova formula eodem die summatim dicuntur, pars major suffragantium decretum reprobat, videlicet 79 patres, aliis 69 illud acceptantibus, quattuor indecisis.[2] Displicet parti majori, quod simul cum hac remissione ad sanctam sedem approbatio illa vel commendatio calicis ex parte concilii enuntietur. Hanc etiam rationem voti sui negativi Lainius luculenter atque intrepide exponit (n. 73—75 pag. 69 ss.), paratus interim id „quod a sanctitate sua decretum fuerit, libenter probare."[3]

Mutatum inde est schema decreti in eam formam, quae infra n. 76 p. 71 a Lainio sistitur, omissa videlicet approbatione et commendatione calicis ex parte synodi, et simplici tantum remissione ad pontificem enuntiata; de synodi sententia hoc solum in novo schemate affirmabatur: s. synodus eorum, pro quibus petitur (calix), saluti optime consultum volens, decrevit integrum negotium ss. domino nostro esse referendum etc.

Interim enim oratores caesaris et maxime Drascovitius, ad extremos conatus parati, quo imperatoris nomine

[1] Plura apud Pallavicinium Hist conc. Trid. lib. XVIII. c. 7. n. 12. 13.

[2] Pallavicinius l. c. c. 8. n. 1. Cf. Theiner Acta conc. Trid. II, 128, ubi accuratius sententiae variae recensentur.

[3] De isto Lainii voto Massarellius, concilii secretarius, haec tantum apud Theiner (128) scribit: „Generali societatis Jesu non placuit, ut synodus det consilium summo pontifici, neque placet decretum."

Digitized by Google

saltem aliquid a concilio obtineretur, coetum fere omnium oratorum saecularium, qui Tridenti aderant, convocaverant. Quod conventiculum quum insciis cardinalibus legatis fieret, nonnisi pro valde suspecto et comminatorio haberi potuit. Congregati, Drascovitii oratione irritati, in eo omnes convenerunt, ut in futurum a congregationibus et vel a sessione solemni imminente abstinerent, nisi imperatoris et principum in decernendo de rebus petitis ea ratio haberetur, quae eorum loco responderet.

„Videbantur velle excommunicare synodum"; sic Lainius dictam resolutionem commentatur. (n. 79 pag. 73)

Deinde ab oratoribus caesareis Sbardellatus ad cardinales legatos deputatus est, ut coram iis de injuria caesari illata conquereretur. Igitur post hujus querimonias acres, primus legatus cum sociis suis alterum schema superius significatum proponere statuit, existimans, synodum illud admissuram atque hoc pacto saltem quadamtenus parti imperatoris satisfacturam esse.

Oratores Ferdinandi autem nullibi animos offensissimos celabant et, privatim saltem, ne nimis quidem parcebant ob laesionem honoris et reverentiae caesari factam, ut dictitabant. Ipsum tamen schema, quod veluti ultima tabula remanserat, in suam partem ope interpretationum trahere se posse non diffidebant.

Schema propositum fuit in congregatione generali diei 16. Septembris, hoc est die ultimo ante solemnem sessionem. Primus legatus etiam hac occasione per sermonem brevem concilii patres ad acceptandum decretum permovere tentavit; verum res non ex animo cessit, quum non pauci ejus verbis quasi inopportunis et nimis urgentibus maximopere laederentur. Aperuit etenim patribus, iratos esse oratores, „quod sacra synodus non solum nullam habuerit rationem caesareae majestatis, sed ipsius caesareae majestatis auctoritatem et existimationem conculcatam atque despectam tenuerunt; quum nedum aliquid ex iis, quae ab ipsa sacra synodo petiit, obtinere potuerit, sed ne dignata quidem fuerit, responsum aliquod ei dare, praeter ea quae in sententiis dicendis a quibusdam patribus relata fuerint.

Digitized by Google

Quam ob rem, sic loqui Gonzaga pergebat, neque ipsi oratores caesarei neque quidam alii oratores principum voluerunt ad hodiernam congregationem accedere, dicuntque, ipsos etiam nolle crastinae sessioni interesse. Quod si eveniret, quale scandalum, perturbationem atque incommodum allaturum esset rebus concilii, nemo est qui ignoret. Quare ipsi legati et praesidentes cogitaverunt, ut novo decreto res tota remittatur simpliciter summo pontifici, de cujus mente, quia aliqui dixerunt se dubitare, sciant patres, papam id non aegre laturum. Patres igitur omnia diligenter perpendere velint et ea deliberare, quae reipublicae christianae et praesenti rerum statui expedire judicaverint." [1]

Praeterquam quod haec in detrimentum plenae libertatis concilii multis dicta esse videbantur, offendebat simul festinatio adhibita, qua post propositionem sine mora in eadem adhuc congregatione suffragatio inchoari debebat; repugnantes tamen cardinalis Simonetta prudenti allocutione habita paulo emollivit, ita ut omnia ordine debito peragerentur.

Remissio simplex ad pontificem tandem 98 vocibus contra alias 38 approbata cernebatur.

Lainius non majori sed minori parti adhaesit. Liberis apertisque verbis professus est, decretum, quod alioquin acceptasset, ideo sibi non placere, quia per modum, quo obtinebatur, „aperitur ostium, ut hac via comminandi et se a nobis separandi extorqueant oratores multa contra fidem et bonos mores" (n. 77 p. 72). Hanc sententiam in Consultatione recitat, adjunctis aliis observationibus de decreti formati et propositi circumstantiis, quae sibi displicuissent.

Ventum deinde est ad sessionem solemnem altero die, 17. Septembris. In ea post approbata alia decreta de sacrosancto missae sacrificio, de observandis et evitandis in celebratione missae et de reformatione archiepiscopus

[1] Theiner Acta II, 128.

Digitized by Google

Hydruntinus „legit decretum super petitione caesarea concessionis calicis (praecedenti die acceptatum).

Cui pars major patrum iterum simpliciter adhaesit. Aliter autem sentientium suffragia ita Massarellius apud Theiner (II, 131) refert: „Bracharensi et aliis 30 patribus non placet. Philadelphiensis: Si placet majori parti, mihi quoque placet. Asturicensi et aliis 6 patribus placet remissio, sed non per decretum.“ Episcopi Gerundensis, Buduensis, Dertusensis, Nicosiensis, Imolensis, Achadensis vario modo decreto repugnaverunt.

Lainii votum in istis actis hac forma perhibetur: „Praepositus generalis societatis Jesu dicit, quod per se res non placet, sed si majori parti patrum placuit, mihi placet, hac lege, ut scribatur ad ss. dominum nostrum, quod consulta synodus non est ausa dare consilium.“ Decretum igitur ipse etiam admisit.

Tam modus, quo Lainius nihilominus in sessione solemni difficultates decreti patefecit, quam rationes, quibus per se ad dissentiendum movebatur, magis perspicue in Consultatione nostra produntur. Eas enim rationes, quas in sessione „vitandae prolixitatis et modestiae causa“ non dixerat, illic simpliciter et clare profert (n. 79 p. 73). Summa primae rationis est, quod modus proponendi hoc decretum vel potius „obtrudendi cum precibus armatis, cum minis et sine tempore deliberandi“ non videbatur ei „tela a Spiritu sancto ordita“. Ad quam rationem intimo nexu refertur altera, quam alias jam ab eo audivimus, fundata videlicet in timore, ne oratores illa via synodum quasi „excommunicandi“ adhuc alia nociva ab ea extorqueant (supra p. 36). Tertiam autem rationem in eo inveniebat, quod „haec remissio tacita quaedam approbatio est dispensationis.“

Ut ergo his rationibus exponendis supersederet et assensum praeberet decreto, solus in causa fuisse videtur amor pacis et concordiae, quo repletus monita s. Pauli apostoli sequebatur (Rom. 15, 5; II. Cor. 13, 11; Phil. 2, 2) reliquis sapientibus patribus sententiam propriam accommodans.

Digitized by Google

Ceterum ea omnia, quae de caesaris oratorum factis verbisque ex istis diebus resciuntur, repugnantiam Lainii omnino probant. Non enim solum usque ad sessionem ipsam (in qua tandem apparuerunt) minis atque protestationibus egerunt, illectis in suam partem etiam oratoribus gallis sub spe falsarum reformationum a concilio exprimendarum, sed etiam rationes Lainii supra allatas disertis verbis in suis epistolis confirmarunt. — Id quod exemplo epistolae a Drascovitio ad principem bavarum die post sessionem solemnem datae monstretur. Inter alia namque scribit: „Decretum illud super calicis concessione, tametsi nobis oratoribus non adeo placuerit, cum summa tamen difficultate hic obtentum, immo vero quasi per vim a patribus extortum fuit; continet enim tacitum consensum, ut pontifex maximus calicem petentibus eundem concedere possit. In summa multis cursitationibus, laboribus et sudoribus aliud obtinere non potuimus. Hispani fuerunt praecipui, qui nobis omnibus viribus obstiterunt. Deus illis ignoscat, quia nesciebant quid faciebant.“[1]

At scivisse optime Lainium et reliquos adversarios calicis, „quid facerent“, luce clarius eventus totius negotii ostendit.

Nam Pius IV. pontifex, accepto decreto remissionis sibi factae revera precibus imperatoris et ducis Bavariae cedendum esse arbitrabatur. Die 16. Aprilis 1564 omnibus episcopis, pro quibus petita erat, facultatem concessit, ut communionem sub utraque specie iis ex laicis permittere valerent, qui eam peterent atque conditiones notas expresse appositas explere parati essent.

In Austria hoc indultum pontificium publice in ecclesiis promulgatum est; atque ut id etiam in ecclesia societatis Jesu Vindobonensi fieret, Lainius ipse, obedientiae sacrae memor, Lanojum tunc rectorem collegii in illa urbe erecti hortabatur. Initio quidem successus optatissimus sequi videbatur; verumtamen vel eodem adhuc anno exempla

[1] Sickel. Zur Geschichte des Concils von Trient, pag. 384.

Digitized by Google

multa conspiciebantur majoris proterviae et fallaciae neotericorum austriacorum, qui ope calicis securius fideles in suas partes trahebant et licentiam etiam praedicandi confessionem Augustanam praesumebant.

In Bavaria similiter male res cedebat; devotio populi catholici non augebatur sed minuebatur, paucis tantum novo ritui specie tenus addictis.

E plurimis testimoniis, quae afferri possent, pauca haec seligimus. B. Petrus Canisius primo anno post concilium Tridentinum absolutum per Bavariam inferiorem in locis regioni Ortenburgensi contiguis missiones, quas vocant, peregit; post sacras conciones vero ex 8000 incolis non minus 2281 numerabantur, qui communionem omnino sumere recusabant, sive sub una specie sive sub utraque; calicem autem praeter hostiam petiverunt 101 tantum, reliqui 340, qui communicaverunt, ritu solito unius speciei contenti fuere. Idem b. Canisius de fatis communionis sub utraque specie in territorio Salzburgensi scribit, ex calice concesso rusticos arripuisse occasionem et praetextum, ut vi armorum turbas commoverent et concionatores postularent ad placitum ipsorum docentes; semper eos paratos esse ad parochum violenter tractandum, quo pro suo ipsorum lubitu concionetur.

Ubi catholici plures numero quam haeretici habitabant et quiete cultus religiosus exercebatur, de calice utendo non unus cogitabat. Sic sacerdotes et cives urbis Coloniae teste Lainio eum tanquam superfluum rejiciebant.

Generatim vero nimis, proh dolor, verum erat, quod idem Lainius jam in litteris die 10. Novembris 1564 ad cardinalem Hosium datis affirmat: Concessionem calicis religioni in Germania magis nocuisse quam profuisse; qui ab ecclesia jam divisi sint, inde lucrum suum quaerere et magis procaces evadere, catholicos autem aut ipsos etiam majori indulgere libertati et insolentiae aut persecutionem acriorem perpeti propter fidelitatem erga sanctam ecclesiam.

Quod priores, nempe protestantes, attinet, ii qui verbo et scripto de calicis concessione loquebantur, nonnisi odio, contemptu, irrisione indultum Romanum cumulare sole-

Digitized by Google

bant. Fridericus Palatinus elector scripsit ad Joannem Guilelmum Saxoniae ducem, hanc concessionem esse opus diabolicum venenumque subtile, quo multi simplices perderentur; „putabunt, qui rem non intelligunt, se magnam fortunam cum calice adquisivisse, quum tamen utentes isto indulto in laqueum pessimum diaboli et apostoli ejus incidant.“[1] Concionator autem quidam ecclesiae lutheranae sic fideles suos admonuit: „Quam magna est ira Dei, qui hoc faciendum permisit diabolo et apostolo ejus, ab eo ex inferno in mundum eructato! Calicem offerendo volunt christianos evangelicos perturbare et in abyssum gehennae pertrahere.“[2]

S. Pius papa quintus, qui quartum Pium sequebatur, aegre indultum datum tulit, illud vigere tamen certis ex rationibus sustinuit.

Tandem sub Gregorio XIII., qui post Pium V. anno 1572 pontifex electus est, experientia jam nimis constabat, calicis usum nemini prodesse, plurimis autem nocere. Quocirca dictus pontifex factam concessionem revocavit.

Restat, ut hoc loco pauca quaedam significemus, quae ad editionem nostram Consultationis Lainianae pertinent.

De oratione diei 6. Septembris praeter summarium illud brevissimum, quod exhibet Calinus (v. supra pag. 33* not. 1), notum tantum erat excerptum Massarellianum in actis concilii Tridentini a Theiner editis.[3] Pallavicinius solum aliqua argumenta ex ea oratione affert lib. XVIII. c. 4. n. 21. Le Plat, qui „Monumenta ad historiam concilii Tridentini spectantia“ edidit, etiam ipse eandem non novit, vel saltem non edidit, quum longas orationes adversariorum Lainii in extensum prelo subjiceret. Verum Sacchinius in Historia societatis Jesu lib. VI. n. 83 ss. saltem exordium orationis ad verbum proponit. P. Boero e contra in vita Lainii italice conscripta (p. 262 s.) nihil novi ex

[1] Janssen, Geschichte des deutschen Volkes, Band IV, pag. 149.

[2] Ibid.

[3] Acta II, 114 s. Cf. relationem Palaeotti paucis lineis comprehensam ibid. p. 583.

Digitized by Google

ea oratione profert, quamvis ipse manuscriptam Consultationem sibi praesto fuisse asserat.

Ex quibus omnibus apparet, operae pretium fuisse, ut tandem tota oratio de re tam acriter disputata hoc loco repraesentaretur, praesertim quum totius pugnae religiosae illorum temporum quasi quandam imaginem referat praecipuasque exhibeat normas, quas catholici in resistendo haereticis sequi debuerint. Ceterum, ut jam alibi monuimus (tom. I. pag. 23*), ante aliquos annos hanc eandem orationem cum reliquis partibus Consultationis publici juris fecimus in Actis theologicis Oenipontanis.

In ea prima editione comparanda duos codices manuscriptos adhibuimus, alterum bibliothecae aulicae Monachiensis sine nomine auctoris, signatum in catalogo Cod. lat. 11097, alterum ex archivo nostri ordinis a P. Boero nobis subministratum.

Prior codex, ab italico scriptore coaevo exaratus, mendis abundat et lacunis, etiam integrarum linearum, non caret; posterior multo majoris pretii est, quum ab ipsius Lainii manu emendatus fuerit; tamen, sicuti monachiensis per hunc alterum plerumque corrigi debebat, ita nonnunquam etiam posterioris textus optimas emendationes assecutus est ope codicis prioris. Codex Consultationis, qui praeterea Oeniponte in archivo guberniali asservatur, generatim lectiones nostras confirmat. Madritanus codex ejusdem Consultationis (vide tom. I. p. 29*) inscriptionem habet: „El parecer y consulta, que hizo en el concilio de Trento repugnando al uso de el calice para los seglares.“ Textum nostrum in „Actis theologicis“ impressum hic iterum recudimus, sed revisum et variis in locis ad genuitatem majorem revocatum.

Scriptio quidem Lainii latina valde culta non est; verumtamen non obstante hoc naevo, qui in aliis quoque lucubrationibus ejusdem advertitur, conjecturae locus est, eum totam Consultationem composuisse non solum ut sibi sed etiam aliis, hominibus fortasse summae auctoritatis, vel ipsi aulae pontificiae (cf. n. 80 p. 74) rationem redderet de suo modo sentiendi et suffragandi circa calicem laicorum.

Digitized by Google

Caput III. Prolegomena ad reliqua quinque documenta primae partis.

1. Non pari omnia modo quina haec documenta Tridentinam synodum spectant. Siquidem priora duo ipsas concilii controversias respiciunt ex iisque ortum habent; postrema vero tria nonnisi indirecte, ut inferius videre est, sacri conventus historiam ingrediuntur.

2. Et ad primum alterumque documentum (in ordine nostro sextum et septimum) quod attinet, notum est, non defuisse in concilio, qui importune ac praepostere reformationis negotium urgerent. Falso enim existimantes, ecclesiam celerius innovari, ubi supremi capitis potestas minueretur, Romano pontifici alioquin ad sui ecclesiaeque reformationem paratissimo[1] leges regulasque indicere conabantur, quibus nempe se aulamque suam corrigere teneretur. Inter impetuosos hosce reformationis promotores eminebant oratores regis Galliae. Eorum fuisse videtur assertum illud, de quo Lainius loquitur, videlicet, ideo velle se ut pontifex per concilium reformaretur, „ne quae per concilium gesta essent, possent ulla auctoritate infirmari." (Infra p. 84.) Iterabant voces in praecedentibus conciliis tam saepe auditas, quibus nempe reformatio *„in capite et membris"* facienda proclamabatur, etsi in aperto erat, quam parum utilitatis, immo quantum detrimenti concilia Constantiense et Basileense ecclesiae attulerint supra auctoritatem pontificiam sese ipsa elevantia. Quare recte Tridentinos „istos reformatores in capite" (p. 86) Lainius interrogat: „Quis fructus ejus definitionis tandem erit? Nam non id egit concilium Basileense? Cui tamen nullus pontificum obedivit; quod scilicet nullum sit jus concilii in Romanum pontificem." (p. 86.) E contra, ita eosdem alio loco arguit, „quia concilium Basileense auctoritate summi pontificis gubernatum non est, vidimus tot pepe-

[1] Legantur inter epistolas s. Caroli Borromaei et legatorum a nobis tom. I. editas eae, quae habentur num. 44 pag. 463 (breve Pii IV.), n. 62 pag. 508, n. 57 pag. 499 s., n. 37 pag. 456; coll. n. 51 pag. 485 et n. 46 pag. 466.

Digitized by Google

risse dissensiones in ecclesia Dei, et utinam plures hoc tempore non parturiret!" (p. 83.)

Quibus verbis eam statim subdimus responsionem Lainianam, quae quasi summam in se argumentorum continet, quibus injustos illos conatus retundit: „Pontifex Romanus, ait, qui rector et *episcopus universalis ecclesiae* est, a concilio nec reformari nec judicari potest" (75). „Si id obtinetur, quo isti tendunt, tota gubernatio ecclesiastica dissipabitur ac peribit" (87). Quorum machinationes nunc temporis eo periculosiores censendae sunt, quia hoc praecise „est error Lutheranorum, in ecclesia dominari non principem unum, sed primarios homines" (87).

Ii qui Galliae nomine a concilio postulabant, „fieri reformationem in capite et membris" (ib.), duplici juvabantur ex parte; primum propositionibus legatorum Ferdinandi caesaris, qui privatis colloquiis nullum non movebant lapidem, ut idem assequerentur (quamquam caesaris consilium id erat, ut tantum consentiente ac probante pontifice hujusmodi reformatio capitis fieret)[1]; deinde gallicanorum episcoporum resistentia adversus veram justamque doctrinam de Romani pontificis potestate.

Nolebant ii episcopi, ut in doctrina de ordinis sacramento efferretur, papam regere aut pascere *universalem ecclesiam;* atque ideo vel canonem a cardinali Lotharingio, duce suo, multo labore concinnatum, ut vidimus tomo I. pag. 81*, acceptare detrectabant, quippe qui ea contineret verba, quae „opinionem laederent sentientium, concilium esse supra papam." Legantur hac de re, quae in epistolis s. Caroli Borromaei et cardinalium legatorum praeclare exponuntur tom. I. p. 491. 501. 502. 504. 510.[2]

„Si ab initio," scribit s. Carolus hoc ultimo loco die 17. Februarii 1563, „cum spiritu caritatis et pacis de stabilienda apta forma canonum fuisset actum, Sanctitas sua utique facilius consensisset, ut loco *universalem ecclesiam*

[1] Vide tom. I. pag. 84* s., ubi etiam de oratione a Lainio 16. Junii 1563 circa reformationis negotium habita.

[2] Cf. etiam tom. I. p. 82*.

Digitized by Google

diceretur universum *dominicum gregem* vel *ecclesiam Dei*, sicuti alias memoravi; at re tam acriter in controversiam vocata, nunc eidem omnino necessarium videtur ut terminus *universalem ecclesiam* retineatur, ne videlicet quisquam existimare possit, adversarios victoriam reportasse atque dicta verba quasi inconvenientia demum relicta esse."

3. Haec altera controversia a Gallicanis mota originem documento dedit (VII.), in quo Lainius enumerat „Auctoritates, quae dicunt papam regere aut pascere universalem ecclesiam."

At vero Gallicanismum etiam in praecedenti voto (VI.) vehementibus ictibus impetit, dum videlicet contra „reformatores capitis" loquitur; unde fit quod superiore voto simul hoc alterum illustretur. Praeter jam memorata Lainii effata ista solummodo monita voti sexti hoc loco audiantur: „Moderatricem sectari videremur Sorbonam Parisiensem, quae utinam tam sanae esset doctrinae in hoc, quam in aliis dogmatibus esse solet" (87). „Quandoquidem totum hoc negotium ad discessionem ab ecclesia spectare videtur, videant qui hanc causam urgent, quid mali illos sequatur, qui a Romana ecclesia vel discesserunt, vel illi parum reverenter obedierunt" (p. 88); id quod deinde praesertim ad fata Galliae inde a tempore concilii Basileensis et pragmaticae sanctionis applicat.

Ceterum tristis haec sollicitudo de schismate ex parte Galliae imminente jam ab initio hujus ultimae periodi concilii mentem Lainii occupabat. Ut ex Calini epistola ad Cornarum cardinalem docemur, data Tridenti 17. Augusti 1562, valde verebatur episcoporum Galliae adventum in concilio, quia „graves turbas excitaturi essent, adeo ut oporteret res majoris momenti terminare antequam appellerent."[1] Et in Disputatione nostra de jurisdictione episcoporum haec quasi ingemiscendo scribit: „Utinam Septentrionem (ab ecclesia divisum) Gallia non sequeretur, quam tot mala invenerunt, ex quo occasione concilii Basileensis et pragmaticae sanctionis se ab ecclesia Romana ali-

[1] Baluze, Miscellanea ed. Mansi IV, 249.

Digitized by Google

quatenus coeperunt dividere; quos utinam alii non imitarentur!“ (Tom. I. p. 292).

Votum sextum a Lainio auctoribus legatis cardinalibus exaratum videtur. Cum enim apud legatos Gallorum oratores assidue inquiete pro scopo suo obtinendo insisterent, hoc voto quasi quodam scuto ad sui defensionem instruebantur poterantque alios concilii patres luculenta illa atque nervosa expositione, quam votum praebebat, a falsa semita reformationum nocivarum avocare.

Scriptum ipsum exstabat in codice A, quem superius p. 25* nominavimus.

Ibidem etiam conservabantur folia duo, quae documentum septimum *Auctoritates* etc. continebant. Haec folia, sicuti etiam votum antecedens, ab alia atque Lainii manu consignata sunt; sed in concilio ipsa haec exemplaria adhibita esse videntur; cujus rei clarum vestigium saltem documentum septimum prae se fert, quum in fronte verbum habeat a coaeva manu scriptum „legatorum“; sine dubio scilicet legati isto exemplari *Auctoritatum* in disceptationibus suis cum adversariis utebantur. Hoc loco denique praetermittere nolumus, Lainium in principio sexti voti expresse allegare scriptum aliquod a se compositum pro fine assequendo, ut apparet, qui scopo hujus novae scriptionis simillimus erat;[1] illud autem scriptum probabiliter aliud non est quam pars Disputationis de jurisdictione episcoporum per manus patrum synodi transmittendae.

4. Documentum octavum generali inscriptione *Contra haereticos Galliae perturbatores* insignivimus. Tres elucubrationes Lainii complectitur, quae inter sese intimo nexu historico cohaerent, res autem concilii Tridentini indirecte tantum respiciunt.

Anno 1561, eodem tempore, quo legati pontificii in urbe Tridentina jam praesentes continuationem synodi praeparabant, in Gallia indictus est a regina Catharina

[1] Haec sunt ejus verba: „Pontifex habet plenitudinem potestatis, quemadmodum in alio scripto confirmatum est.“ Pag. 75.

Digitized by Google

Medicaea, loco Caroli XII. filii regnum administrante, conventus Possiaci habendus, ut communi tractatu cum haereticis Galliam tumultu et seditione concutientibus de pace atque concordia ageretur. Quo nuntio accepto, summus pontifex Hippolytum cardinalem Estensem eo mittere decrevit, qui omni studio caveret, ne religio inde detrimentum caperet. Cardinali autem comitem adjunxit Lainium, ut nempe laborum socius et a consiliis foret in gravissimis, quae legatum pontificium exspectabant negotiis. Etenim in Gallia jam de summa rerum agebatur, regina minime haereticis obsistente, sed e contra cum fallaci arte politica januam erroribus „hugenoticis" aperiente. Mense Septembri 1561 conventus, praesente aula regia, initium habuit. Ex parte catholica convenerant multi episcopi et doctores theologiae Sorbonici, quorum omnium nomine praesertim cardinalis Carolus Guisius (Lotharingius) cum adversa parte conflictabatur. Inter haereticos eminebant Theodorus Beza, Petrus Martyr, Marloratus.

Tertia conventus die Lainius ad reginam ceterosque Possiaci praesentes eum sermonem italica lingua habuit, quem integrum prima vice infra lectori praebemus, prouti in originali italico conservatus est. Juverit autem pulcherrimam hanc dignitate gravitateque praecellentem orationem ea narratione adjunctorum collustrare, quam Sacchinius in historia societatis Jesu solito accurato modo et nota arte scribendi exhibet.[1]

„Venit eodem regina mater, Antonius rex Navarrae cum uxore sua Joanna, ejusque frater princeps Condaeus sua item cum conjuge, dux Guisius, ejusque frater dux Aumalae, dux Montmorantius et alii concilii regii principes. Aderant et quinque cardinales, qui priore in conventu interfuerant, Lotharingus, Borbonius, Armeniacus, Guisius, Castillonius, XXV episcopi,, totidem prope doctores; inter quos una cum Lainio quatuor ex iis erant, qui cum legato pontificio venerant. Legatus interesse noluit, nec Turnonius cardinalis. Ac caeterorum quoque plerique abfuissent. quia videbant concilium id ad res fidei tractandas nequaquam legitimum esse, nisi ad majorem avertendam perniciem serviendum tempori censuissent. Postremo advocati sunt haeretici ministri.

[1] Lib. V. n. 199 ss.

Digitized by Google

Ac Beza exorsus dicere significabat, ministros nonnihil commotos, quia jussi essent profiteri, a quonam missi essent et unde potestatem accepissent docendi; tamen ei percunctationi, quo cumulatius faceret satis, velle se de scripto respondere. Ac protinus libellum profert, ut appareret praemeditata loqui. et in quae sui gregis homines convenissent. Demum id unum dixit, defectu praesulum coactos extra ordinem venire ipsos sine ullius impositione manus; nam praesules ecclesiae catholicae pro veris a se praesulibus non haberi, quippe qui non essent ingressi per ostium, sed pecunia irrepsissent; ad haec se a principibus suis et magistratibus lectos esse. Scriptum etiam dedit, quid ab ipsis de Christi Domini praesentia in sacramento concedi posset; quod mutilum longeque alienum ab catholicorum dogmatis erat.

Respondit continuo cardinalis Lotharingus, et sapientissime, ut eos apud reginam et principes, quam meruerant, vocaret in invidiam; persecutus est evidenterque ostendit, insana eorum consilia non ad ecclesiasticae modo, sed ad regiae quoque eversionem potestatis tendere et ad confusionem rerum omnium. Deinde ostendit, quam recte pieque in catholica ecclesia praesulum creatio fieret; unde apparebat, quam absurde inepteque demum per intolerandam superbiam, ut se ipsi intruderent, defecisse veros praesules comminisci auderent.

Locutus est dein Petrus Martyr vernacula Italorum lingua (hac enim, quia Gallice nesciret, voluit eum regina loqui potius, quam latina). Multa impius de divinissimo sacramento fraudulenter disputavit, vetus gladiator, exercitaeque in sanctissimo Christi petendo corpore impudentiae et fraudis. Aususque etiam est honestissimum illum adhortari consessum, ut execranda blasphemiarum suarum portenta in animos admitterent.

Huic quoque cum idem cardinalis ac Espencaeus, Sorbonicus doctor insignis, respondissent, Lainius, quem cardinalis legatus adhortatus erat, ut ipse quoque loqueretur, hunc in modum Italica et ipse recenti lingua conversa ad reginam oratione, coepit: (Hoc loco Sacchinius exordium orationis Lainianae recitat et quidem juxta versionem gallicam nimis liberam.) Deinde pergit: „Haec Lainius quum diceret, vidisses summe omnes attentos, haereticorum incertos vultus, torvosque in oratorem conjectus oculorum; doctores vero gestire ac triumphare catholicos, quod ea audiebant, quae cum dicenda omnes putarent. nemo dicere audebat. Lainius vero alteram partem persecutus validis apertisque rationibus ambages haereticorum expedivit et figmenta dissolvit". . . „Ad horae dodrantem verba fecit, totamque eam orationem dein jussu cardinalis Ferrariensis scripsit; qui eam ita probavit, ut vertendam Gallice et vulgandam curaret. Ex ea ego, quae hic apposui, prope verbum verbo reddens, Latine converti. Visa nonnemini libertas nimia est; plerique tamen divinitus factum, ut ita loqueretur, affirmabant; lateque ac longe faustis hominum sermonibus tota est illa actio celebrata. Regina, quanquam non sine aliquo morsu animi monitum boni consuluit, ex eoque die nunquam conventui postea ac disputationibus

Digitized by Google

interfuit. Catholicis doctoribus valde animi crevere, fidentiusque in posterum pro religionis sanctitate certarunt."

Monitum illud reginae datum, quod intrepidum Lainii animum demonstrabat, eo spectabat, ut abstineret ab hujusmodi congressibus de religione, quippe qui de rebus tractarent ab ecclesiastica, non autem a civili potestate dependentibus. „Non principum saecularium haec auctoritas est; praeterea parum ii quidem subtilitatibus et minutiis occupantur, quae hic considerari debent." Quibus dictis, universale concilium celebrari addidit, utque ad illud deviantes mitteret, reginam serio hortatus est.

Haec pars orationis insigne documentum est Lainii constantiae et fortitudinis, meritoque de eo viro affirmat Ribadeneira: „In Deum utilitatemque ecclesiae matris respectum perpetuo habuit, nulla ut auctoritas neque gratia hominis unquam frangere constantiam potuerit, praesertim quum Dei, qui veritas ipsa est, defendendam causam suscepisset." [1]

In reliqua parte orationis Lainius non solum Petrum Martyrem aggreditur, prouti inscriptio ab ipso addita indicare videtur, sed etiam alios collocutores haereticos, imprimis Theodorum Bezam. Materia autem, quam breviter atque clare evolvit, pertinet ad quaestiones antea coram iis agitatas de episcopatu catholico deque missione a sectariis falso sibi vindicata, maxime autem ad doctrinam de reali praesentia Christi in eucharistiae sacramento.

De manuscripto fasciculo nostro vide quae diximus t. I. pag. 27*. Fasciculus iste, a P. Boero ex archivo societatis Jesu nobis subministratus, a manu Lainio omnino coaeva scriptus est.

Dum Lainius Parisiis religioni, quae in dies magis labebatur, sustinendae maximam adhibet operam, haereticorum quoque antesignanum principem Condaeum, Antonii regis Navarrae fratrem, in solemni admissione alloquitur eumque ut pro componendis religiosis dissidiis suae doctrinae asseclas ad concilium Tridentinum dirigeret, verbis

[1] Vita Jacobi Lainez, p. 175.

Digitized by Google

instantibus hortatur. Quae oratio, ut scripta sibi daretur, princeps petiit. Ita latina lingua consignata nobis asservata est, eamque nos post orationem Possiacensem ex Sacchinii historia societatis Jesu in hoc tomo p. 103 excudimus. Inspicienti hanc *Adhortationem* facile patet, quam apte ibidem rationes delectae atque prolatae sint ad persuadendum homini a catholica religione alieno et politicis solum momentis duci solito.

Idem fere genus argumentorum a Lainio in medium afferri debuit in tertio commentario, qui est pars ultima nostri documenti octavi; intelligimus admonitionem *Ne templa haereticis concedantur* (infra p. 105). Hanc admonitionem, quae tota sua indole lectores politicos et curis reipublicae distentos supponit, direxit ad reginam Galliae, quum adhuc a. 1562 in ejus terris moraretur, ad eamque exarandam inde incitatus est, quod sectarii penes aulam regiam contendebant, ut templa publica in posterum habere sibi liceret. Socius in hisce conatibus, in ipsa regia adhibitis, aderat Lainio P. Polancus, qui tunc temporis pro defendenda religione in Gallia acriter decertabat. Commentarii supra dicti tenor, quem pariter ex Sacchinio desumpsimus, pluries reginam Catharinam directe atque intrepide alloquitur eique demonstrat, quomodo templorum haereticis facta concessio „crimen sit violatae majestatis non Dei solum, sed christianissimi etiam regis“ (p. 108); neque omnino desunt post rationes a salute publica et pacis tranquillitatisque respectu petitas alia argumenta deprompta ex supernaturali regum christianorum obligatione; veluti pag. 109 ubi, praedictis bellis intestinis et ruina aliorum regnorum ruinae consimili, statim addit, „gravissimas Christum comminari poenas iis, qui vel uni e minimis, qui in se credunt, ruinae causam objecerit.“

Neque eventus rei, saltem a principio, Lainii et Polanci desideria contentionesque fefellit. Nam, ut advertit Sacchinius, principibus attente considerantibus sortem aliorum regnorum, quae a haereticorum sectis impetebantur, „ita communi consensu negata templa haereticis, ut Castillonius et quidam alii novorum etsi dogmatum cupidi,

Digitized by Google

hac in re a catholicis minime discreparint. Non ideo tamen haeretici quievere."

5. Quam nono loco ponimus elucubrationem *De Indulgentiis,* ea tota est in solutione quinque dubiorum; respondet vero Lainius cuidam cardinali (Ill^me^ et R^me^ Domine p. 111), qui nomine Pii papae IV. eadem dubia theologis quibusdam alioquin ignotis solvenda proposuerat.

Cum concilio Tridentino autem hoc votum eatenus nectitur, quatenus propositae quaestiones executionem decretorum synodalium de indulgentiis spectabant. Ita saltem Lainius quaestiones ipsas intelligit, conjectans, summum pontificem exoptare, „ut in aliis rebus, ita in hac (nempe quoad abusus ex indiscreta indulgentiarum concessione ortos) concilium, quod confirmavit, executioni mandari."[1] Unde etiam in responsione ad 3. quaestionem pag. 125 synodum Tridentinam allegat reformandasque esse indulgentias jam concessas inculcat, „ut in decreto de indulgentiis asseruit concilium."

Scriptum videtur hoc votum anno 1564, quo Pius IV. concilium confirmaverat.

Ut autem aliqua de momento theologico hujus voti dicamus, in eo praesertim Lainii expositio excellit, quod apte ostendit, quo pacto usus recentioris ecclesiae, quae in elargiendis indulgentiis liberaliorem se exhibet quam antiquitus fuerit, cum praxi elapsi temporis cohaereat, et quomodo iisdem principiis atque olim ecclesia nunc temporis innitatur. Recte auctor affirmat, „minorem causam esse magnam ad hoc, quod hoc tempore concedatur indulgentia plenaria, quam olim" (p. 117), meritoque de globulorum precatoriorum (vulgo rosariorum) usu disserens statuit, indulgentias iisdem additas concedi simul „frequentantibus sacramenta confessionis et communionis, frequentantibus etiam orationes; ex qua re innumerae animae catholicorum in Italia, Hispania, Gallia, Germania, ut

[1] Infra pag. 112, ubi etiam decretum concilii Tridentini, quod huc spectat, in nota exhibetur.

Digitized by Google

nostri (socii scilicet ordinis, cujus caput ipse erat) norunt, ad Deum sunt conversae et vitam mutarunt" (p. 132); nullo igitur modo expedire, ut hujusmodi indulgentiae tollantur, quum e contra ad restaurationem bonae atque christianae vitae fidelium, qui scopus fuit concilii Tridentini, non mediocriter cooperentur. „Ex frequentatione enim orationis et sacramentorum ultra professionem fidei in haereticos hujus temporis, sequitur etiam renovatio et reformatio morum. Quae duo magna causa sunt plenariae indulgentiae, quia ad magnam Dei gloriam et ecclesiae utilitatem cedunt." Quae ideo ex Lainio hic repetita sint ad illorum scilicet nimiam avaritiam condemnandam, qui etiam nostris temporibus conqueri solent, quasi thesauri indulgentiarum largitate inconvenienti erogentur.

Ceterum de Lainii doctrina circa potestatem, quam ecclesia habeat super defunctos, et circa significationem verborum *per modum suffragii* in indulgentiis pro defunctis judicetur ex iis, quae de eadem materia fusius et accuratius disserit Suarius in Disput. 53. de Poenit. etc., sect. 3. Opp. ed. Venet. 1748 tom. 19. pag. 583 s.

De codice, qui *Quaestiones* de indulgentiis continet, vide quae in tomo I. p. 25* dicta sunt.

6. Documentum 10. inscribitur *Suffragium de Joannis Grimanii, patriarchae Aquilejensis, doctrina de praedestinatione, in concilio Tridentino cum processu ejusdem patriarchae propositum.* Necessum est, ut hanc inscriptionem a nobis voto Lainiano appositam paulo elucidemus. Quum anno 1561 de novis cardinalibus creandis ageretur et respublica Veneta apud Pium IV. instaret, ut Joannes Grimanius Aquilejae patriarcha hac dignitate augeretur, summus pontifex precibus reipublicae obsecundari posse ideo negavit, quod patriarcha nondum satis a suspicione errorum circa doctrinam praedestinationis purgatus esset. Per eam occasionem a sacro officio inquisitionis Romanae serio Grimanii opiniones examinatae sunt, eo fine ut, siquidem patriarcha innocens inveniretur, desiderio reipublicae fieret satis. Adhibiti sunt in quaestione tam

Digitized by Google

ardua plures theologi, inter quos generalis societatis Jesu, Lainius. Id autem, unde suspicio illa de Grimanio ortum duxit, erat quaedam epistola a patriarcha olim 17. Aprilis 1547 data ad vicarium suum Utinensem, qua eum jubebat suggestum restituere cuidam concionatori, quem vicarius a praedicando verbo Dei dimoverat ob propositiones de praedestinatione publice prolatas, quae sibi non immerito falsae visae erant; significaverat enim concionator ille, ex divina praedestinatione aut reprobatione adimi potestatem hominibus perdendae vel adipiscendae salutis. In illis ergo litteris Grimanius hujusmodi doctrinae sese assentire indicabat.

Votum a Lainio hisce de litteris compositum in documento nostro 10. publici juris facimus.

Ex ipso ejus textu apparet, decem et octo propositiones, de quibus censuram enuntiat, a Lainio ex illa epistola tanquam nota aliqua dignas selectas esse, censuram autem festinantius, quam voluisset auctor, conscribi debuisse; qua de causa inconcinnitatem etiam laboris sui humiliter excusat. „In procinctu itineris“ quidem (p. 137) rem considerat (i. e. quum jam in promptu esset, ut cum cardinali Estensi in Galliam proficisceretur), et „quae obiter et tumultuarie occurrerunt“ (p. 152) calamo confidit, — verumtamen non solum in judiciis theologicis perspicacia et soliditas summa elucet, sed etiam in aestimando viro in causam vocato et in ejus intentione ponderanda maxima discretio atque circumspectio.

In codice nostro etiam aliorum consultorum suffragia ea occasione scripta conservantur, sed nullum tam copiose et simul tam limate quaestionem tractat quam votum nostri Lainii.[1]

[1] Exempli causa, et non minus ob magni viri memoriam, hic exscribimus votum fratris Felicis de Monte Alto o. s. Francisci, qui fuit postea Sixtus quintus papa.

Ego frater felix Perettus a Monte Alto s. Romanae et universalis inquisitionis theologus, quia vidi, legi et prospexi litteras quasdam R^mi D^mi Joannis Aquilejensis patriarchae sub data Venetiis 17. Aprilis 1547 Utinum Vicario suo directas continentes errores, hae-

Digitized by Google

Sessio Romanae inquisitionis, in qua ea vota coram pontifice legebantur, habita est juxta veterem codicem, quo utimur, die 16. Septembris 1561 et conclusum, ut patriarcha ipse coram quaesitoribus de doctrina sua audiretur. Verum etiam hoc colloquium solemne cum ipso habitum non suspicionem omnem removit. Integra adhuc causa erat, quum patriarcha Romanis judicibus tanquam sibi infensioribus sese subtraxit. A concilio Tridentino rem suam judicari voluit, exposcente idem Veneta republica, quae per oratores suos tum apud pontificem tum apud synodum patrocinium nimis fervidum in favorem patriarchae exercebat. Post magnas difficultates superatas, jussu Pii IV., erga Venetos maxime benevoli, tandem in synodo Tridentina coram judicibus a legatis ex numero patrum selectis causa Grimanii denuo discutiebatur. Die 17. Septembris anni 1563 terminata est, sententia absolutionis solemniter proclamata. Perspexerunt nempe judices, ut Lainianae sententiae in antecessum datae verba adhibeamus, auctorem illarum litterarum „ipsum catholicum esse, et quum non esset in dogmatibus ecclesiae satis exercitatus, scripsisse bona fide et absque pertinacia, quae sibi vera videbantur." (p. 137.)[1]

Codex, qui nobis suffragium Lainii subministravit, idem plane esse videtur, quem Pallavicinius a cardinali

reses et temeritates respective et suas responsiones adjectas non facere satis, eundem patriarcham interrogari et examinari de fide et de articulis contentis in litteris arbitrarer deberi, quo proprio ore, quod cordis est munus, dignoscatur, an ambulaverit in luce, salvo tamen semper meliori judicio. Ex conventu ss. duodecim apostolorum 11. Septembris 1562. Idem frater Felix qui supra manu propria" (Cod. fol. 55b.)

„Responsiones litteris adjectae", de quibus fr. Felix loquitur, inveniuntur in Apologia. quam Grimanius initio processus istius Romae instituti sacro officio tradidit. Etiam haec apologia cum aliis actis ejusdem causae in codice nostro descripta est, fol. 19 ss. Lainius eam cognovisse non videtur.

[1] De historia hujus processus consule Pallavicinii hist. conc. Trid. lib. XV. c. 6. n. 5. 6; lib. XVI. c. 5. n. 8; c. 11. n. 14; lib. XXI. c. 7. n. 9—14; lib. XXII. c. 3. n. 10; c. 11. n. 1.

Digitized by Google

Albitio sibi dono datum esse memorat lib. XXI. c. 7. n. 8. et lib. XXII. c. 11 n. 1. not. e. Nam non solum cardinalis Pallavicinii insignia in exteriori parte habet, sed etiam omnia illa scripta ad processum Grimanii spectantia conservat (manu aequali saec. XVI vel XVII. descripta), quae a Pallavicinio tanquam partes ejusdem codicis memorantur.

7. *De justitia imputata*, quod est materia documenti XI, disputavit coram synodo Tridentina Lainius. 26. Octobris 1546, quum adhuc ut simplex theologus pontificius negotiis concilii interesset. Interfuerunt ejus orationi praeter praesides cardinalis Gienensis, orator caesareus, archiepiscopi novem, episcopi triginta quattuor et ultra quadraginta theologi. Eo tempore celeberrima parabantur decreta sessionis sextae de justificatione. In quibus decretis condendis Lainius tum per haereticorum errorum refutationem tum per controversiarum inter domesticos theologos agitatarum elucidationem generatim maximam partem habebat. Ad domesticas autem de justificatione controversias pertinet ea quaestio specialis, quam in oratione supra dicta solvere satagebat. In medium eam vocaverat Seripandus, doctissimus generalis eremitarum S. Augustini, qui postea, cardinalis factus sub Pio IV., in numerum legatorum synodo praesidentium assumptus est. Is nempe assentientibus confirmantibusque aliis ex suo ordine theologis, opinionem defenderat, ad id ut homini ante tribunal Dei constituto salus aeterna adjudicetur requiri praeter justitiam infusam et merita justi *imputationem justitiae Christi*.[1] Legati praesidentes proprium articulum proposuerunt hac de re confectum, una cum altero articulo, de quibus simul theologi sententias dicerent. Tenor prioris

[1] Cf. Pallavicinius lib. VIII. c. 11., ubi Seripandi doctrinam latius exponit, allegando etiam ejus orationem 13. Julii 1546 habitam (Theiner I, 181), in qua tamen de sola justitia prima (h e. intrinseca nobis) loquebatur, non de secunda, quae sit extrinseca h. e justitia et merita Salvatoris. Juxta ea corrige quae tom. II. p. 158 in nota habentur.

Digitized by Google

articuli infra oculis subjicitur.[1] In ea suffragatione a plurimis opinio Seripandi impugnabatur;[2] rationes autem, quas suo loco Lainius contra hanc justitiam imputatam exposuit, tanti momenti visae sunt, ut post orationem adhuc Disputationem integram de eadem materia conscribere debuerit, argumentis, quae publicae attulerat, magis adhuc expolitis. Eoque modo ortum habuit dissertatio, quam undecimo loco inter Disputationes Tridentinas sistimus. Qua putamus non tam orationem ipsam 26. Octobris habitam repraesentari, quam potius novam elaborationem; quod prodire videtur tum ex amplitudine, tum ex defectu judicii de secundo articulo in codice utroque Tridentino (vide infra p. 192), tum ex iis verbis quae Lainius in fine habet: „Et haec sufficiunt de tota quaestione, in qua improbantur, qui novam hanc induxerant opinionem imputatae justitiae in die judicii, in qua aliqua mira, aliqua nova, quaedam etiam falsa continentur“ (p. 192)[3]. Haec Disputatio a Masserellio, concilii secretario, actis authenticis inserta fuit loco summarii, quod alioquin in scripta sua ex orationibus referre consuevit; in actis autem vidit eam cardinalis Pallavicinius, qui indicare non omisit, unicam eam esse disputationem Lainianam de rebus concilii verbotenus conservatam, quam legere sibi contigisset. (Vide nostrum

[1] Pag. 153. De secundo articulo vide pag. 192.

[2] De voto Alphonsi Salmeronis Massarellius in actis concilii haec refert: „Alphonsus Salmeron soc. Jesu. Quoad primum de justitia imputativa etc. Nos inhaerente justitia formaliter justi summus; sed cum nobis datur, gratis a Deo datur per meritum Christi, qui hujus justitiae meritoria causa est. Quare haec justitia nobis inhaerens non est proprie nostra, sed Dei, sed Christi. Quando igitur comparemus, cum justitia Christi comparemus, non ergo alia imputativa egemus. Praeterea si nos justitia imputativa justificaremur, non essemus vere justi, sed reputaremur, quod falsum est. Quoad certitudinem gratiae utramque opinionem probabilem esse.“ (Theiner I, 256.)

[3] Addendum isti notae quod Lainius pag. 165 in duodecimo argumento candide et audacter advertit: „Quod (illa sententia) ultra positionis et ignobilitatem auctoris primi, qui fuit Lutherus, ut alii notarunt, varietatem habet multam in se et obscuritatem et pugnantiam.“

Digitized by Google

tom. I. p. 105*). Ex Massarellio *Disputationem de justitia* edidit Theiner, sed mendosissime, ut supra p. 26* observavimus; atque hoc judicium nimis severum minime censeri posse, utramque Disputationem nostram et Theinerianam inter sese comparanti facile patebit. In editione nostra tantum nonnullos ex erroribus a Theinero commissis notavimus, inter quos omissiones integrarum linearum occurrunt; plurimos taciti emendavimus, id quod etiam de votis sub num. XII. collectis valet. Generatim autem advertere debemus, quo diutius cum textibus Theineri occupati fuimus, eo magis nos vidisse, documenta Tridentina ab eo edita deplorandum in modum per negligentiam sive suam sive scriptorum, typothetarum et correctorum corrupta esse.

Quod editionem nostram praesentis *Disputationis de justitia* attinet, id unum reliquum est ut animadvertatur, exemplaria duo hujus Disputationis in codice Tridentino (pag. 26*) exstantia saec. XVII vel XVIII. scripta esse codicemque ipsum ad collectionem Mazzolenii olim pertinuisse.

Pulchre de defensione a Seripando post sententias adversariorum adhibita Pallavicinius haec quae sequuntur scribit: „Nimis aegre ferebat Scripandus suum hujusmodi inventum deserere, quasi filium, quem undique oppugnatum videret. Liquet tamen ex multis ejus defensionibus scripto deinceps editis, ipsum per novas interpretationes exceptionesque, more militis veterani ab adversariis pressi, retrocedere quidem, sed fronte semper adversa.“[1]

Vota theologica selecta. Non abs re esse censuimus, ex reliquis votis a Lainio in ipso concilio pronuntiatis, de quibus Massarellii acta a Theiner edita referunt, aliqua seligere eaque complementi gratia votis a nobis editis adjungere (XII.).

Sunt autem tantum summaria quaedam orationum, quarum tenor verbalis non amplius exstat; sed vel ex

[1] Lib. VIII. c. 11 n. 12.

Digitized by Google

tenuibus lineamentis nobis conservatis conjecturam facere licet de gravitate conceptuum et argumentorum, quibus ipsae orationes splenduerunt.

Massarellius, concilii secretarius, solebat illa summaria, dum ipsae orationes habebantur, conficere vel saltem eo tempore animadversiones necessarias conscribere; profecto id quidem non semper cum eadem attentione eodemque successu. Nihilominus optimo jure de bona mente sua et de valore suorum notaminum infra relata verba scribere potuit eodem loco, ubi ipsum primum ex Lainianis *votis theologicis* selectis a nobis in brevem formam redigere incepit: „Aliquos modos (argumentandi a Lainio adhibitos circa eucharistiam) summatim hic annotabo, prout dum ipse protulit hodie sententiam, percipere potui; id quod etiam in sententiis aliorum theologorum recitandis faciam, quando satis ad intentionem meam, imo s. synodi sit, colligere ex discussione dictorum articulorum, quid in summa ipsi theologi senserint, ut deinde sancta ipsa synodus juxta eorum judicium melius dignoscat tum falsitatem articulorum ipsorum tum veritatem catholicae fidei.“[1]

Diverso plane tempore singula ista vota seu orationes a Lainio in concilio dicta sunt. Tria priora, scilicet de eucharistia, de poenitentia et de sacrificio missae, adhuc theologus pontificius protulit, in discussione articulorum ex ordine theologorum primus semper loquens, atque a Salmerone, altero theologo misso a papa, exceptus. De reali praesentia Christi in eucharistia (infra p. 193) disputavit Tridenti 8. Septembris die nativitatis B. V. M. anni 1551, patribus materiam parare incipientibus pro sessione XIII, quae mense sequenti die 11. celebrata est. De sacramento poenitentiae (pag. 197) dixit 20. Octobris 1551, praeparationem sessionis XIV habitae 25. Novembris ejusdem anni inde exorsus. Sacrosanctam missam proprium atque verum sacrificium esse (p. 204) probavit 7. Decembris 1551, quum de definienda hac veritate in proxima

[1] Haec verba praecedunt phrasim: „Ipse igitur D. Jacobus adduxit primum“ etc, a qua Summarium Massarellii (infra pag. 193) exorditur.

Digitized by Google

sessione XV. ageretur; quae tamen definitio atque reliqua acta synodi primum dilata sunt, ob adventum protestantium in sessione XV. exspectatum, et postea in sessione XVI. suspensa cum ipsius concilii solemni suspensione.

Reliqua vota tria pertinent ad ultimam periodum synodi sub Pio IV., in qua Lainius ut generalis cum suffragii jure sacro conventui interfuit. Atque horum primum quidem, in quo demonstratur, Christum in coena se ipsum ut verum sacrificium obtulisse (pag. 212), opposuit die 27. Augusti 1562 sententiae Seripandi et aliorum membrorum concilii hanc doctrinam neganti, idque tanto successu, ut contra eum aliosque praelatos, qui ex sua parte stabant, adversarii opinionem propriam non amplius palam defendere ausi fuerint.[1] Altera ex iis tribus orationibus de canonibus circa abusus in sacramento ordinis seu breviter de reformatione (p. 214) agit; eam habuit die 16. Junii 1563. Cujus materiam ad quaestionem de jurisdictione episcoporum sese simul extendentem jam supra in prolegomenis tomi I pag. 85*—88* consideravimus, ubi etiam judicia Vicecomitis et aliorum allata fuerunt. Ultima denique inter sententias longiores Lainii a nobis impressas, data 2. Octobris 1563, eandem materiam reformationis respicit (pag. 221), sed hic multo magis variam diversissimasque partes disciplinae complectentem.[2]

De hac ultima solum oratione circa reformandos mores et de prima circa eucharistiae sacramentum adhuc pauca quaedam advertere liceat.

Atque ad votum de reformatione quod attinet, tum ipsa haec brevis delineatio ejusdem, tum alia plurima loca Lainii sparsa per duos tomos praesentes, aperte demonstrant, quantopere vir Dei, ecclesiastico zelo repletus, ut mores tum laicorum tum clericorum, suprema curia minime excepta, ad meliorem statum transferrentur desideraverit

[1] Cf. Pallavicinius lib. XVIII. c. 2, ubi etiam de variis formis et de fundamentis hujus sententiae adversae.

[2] Conferatur de hac sententia judicium Calini archiepiscopi tom. I. p. 87*.

Digitized by Google

atque allaboraverit. Legantur ex gr. ea quae juste pariter atque intrepide ipsi pontifici (infra p. 365 ss.) inculcat de simoniae vitio omni ope et severitate summa ex urbe Roma expellendo. Similiter in isto voto de reformatione haec acria verba profert: „Mirum quod Romae offeruntur in concha multa milliaria aureorum et possunt accipi; sed quatrini, qui projiciuntur in concha, quando aliquis baptizatur, non possunt accipi.“ (p. 223.) Ut autem in reformatione cleri recte procedatur, ab educatione bona juventutis ecclesiasticae ex ejus sententia plane incipiendum est. Incontinentiam clericorum provenire ajebat ex defectu educationis. „Educentur juvenes in castitate et habebimus castos sacerdotes.“ Ita in voto decimi sexti Junii 1563. Unde etiam maxime ei probabatur consilium erigendi seminaria clericorum, notandumque est, quod suffragio in favorem seminariorum lato addidit de theologia scholastica in illis palaestris studiorum excolenda: „Statuendi sunt plures magistri in diversis scientiis; laudavitque scholasticos (referentibus actis); nam scholastica scientia valde illuminat intellectum.“ (Ib.)

De prima autem oratione circa eucharistiae sacramentum praeterire non possumus, quae narrat Bartolius, fuisse hanc orationem eandem in qua, ut superius memoravimus, nullum se in concilio patrem ecclesiae vel auctorem allegaturum esse spopondit, cujus doctrinam non ipse ex ejus libris sollicite perlectis tanquam ex fonte hausisset. Eodem scriptore teste orator non minus quam per tres integras horas auditores suspensos tenuit iisque pari modo per doctrinae profunditatem ac per humilitatis sincerae in exordio data documenta sese probavit.[1] Ceterum eodem tempore Lainius jam illa febri quartana laborare incipiebat, quae ex laboribus ingentibus susceptis aucta, inde per decem menses iterum iterumque eum affligebat. Quo majoris pretii apparere debet laus illis diebus eidem simul-

[1] Quum Bartolius et alii ex isto exordio diversa afferant, quae in actis non habentur, aliae relationes eaeque ampliores de hac oratione olim exstitisse videntur.

Digitized by Google

que Salmeroni attributa ab Aegidio Foscarario o. Praedicatorum, viro magnae eruditionis, qui fuit postea episcopus Mutinensis. „Patres magistri Lainez et Salmeron", ita affirmavit, „maximo splendore disputaverunt contra Lutheranos de sanctissimo sacramento eucharistiae; revera felicem me praedico, quod vivere mihi concessum fuerit eo tempore, quo homines duo tam docti atque tam sancti in ecclesia florent."[1]

Hoc cum testimonio sicuti digno epilogo iis, quae de Disputationibus Tridentinis praefanda erant, finis imponatur.[2]

Caput IV. Prolegomena ad Disputationes et morales instructiones secundae partis.

Secunda pars hujus tomi elucubrationes varias Lainii complectitur, quae nullo nexu cum concilii Tridentini rebus cohaerent. Eae tamen quum in codicibus a nobis pervestigatis sese offerrent, ideo praetermittendae non esse visae sunt, quia ad delineandam ex suis ipsius scriptis Lainii nostri indolem maximopere deserviunt. Neque timemus, ne quisquam titulum Disputationum Tridentinarum toti operi inscriptum eo nobis improperet, quod quasi appendicis cujusdam loco post tot scripta majoris momenti interni, et simul paulo majoris etiam limae externae, Tridentina intelligimus, haec alia ingenii Lainiani monumenta adjungamus.

[1] Bartoli, Storia della comp. di Gesù, L' Italia, lib. II. cap. 5. (Opere ed. Torino 1825) pag. 49; ex Polanci hist. soc. Jesu ms.

[2] Alia vota Lainii, quae apud Massarellium occurrunt, in hanc seriem nostram non admisimus, quia plerumque nimis breviter in iis materia orationis vel suffragii restringitur. — Praeterea notandum, orationem Lainii de conceptu immaculato B. V., quae apud plures memoratur, vel ideo hic sisti non posse, quia nunquam habita, scripta vel praeparata nunquam fuerit. Etenim quae in vita Lainii a Ribadeneira compositâ de hujusmodi oratione occurrunt, ea Ribadeneirae non sunt sed ab alio conficta et in primam ejusdem editionem intrusa fuerunt (Vide Bartolium l. c. pag. 39 s.).

Digitized by Google

Quod dictum momentum atque limam spectat, non ii sumus, qui diffiteamur, aliqua quae in hac ultima parte operis lectori tradimus, solummodo tanquam historica documenta magni Lainii considerari debere, ad colendam autem theologiam vel ad praxim dirigendam non tantum hodiedum conducere, quantum propter auctoris famam forsitan credi posset; nonnulla enim ex iis solum quasi primis lineis consignata relicta sunt, plane imperfecta alia videntur, alia denique nimium adjunctis temporis et loci scriptionis adaptata apparent, ita ut generaliorem usum vix atque vix habere possint.

Verumtamen ex altera parte (ut aequi simus) omnia ea scripta simul comprehensa satis dilucide demonstrant, quanti pretii sit acumen mentis ingeniique sagacitas juncta pietati et zelo animarum, si ad res practicas dijudicandas admovetur; demonstrant, scientia, quae vera sit, quam frugifera esse soleat ad vitam hominum tam singulorum quam societatis universae ordinandam; docent, quam amplum campum scientiarum sacerdos complecti debeat, qui sua doctrina et actione coaevis solide prodesse desiderat.

1. Sub ultimo hocce respectu prae aliis sese commendat *Disputatio de usura variisque negotiis mercatorum*, cui primum locum assignavimus (p. 227).

Sane vix ullo modo Lainius ostendere potuit melius, quomodo sacerdotes mores hujus saeculi atque hominum negotia et aegritudines, tanquam medici spirituales, perquirere debeant, quam hac sua elucubratione morali, in qua quaestiones quam plurimas de usura et de cambiis, post investigatam naturam singulorum contractuum toties adeo implexorum, cum maxima circumspectione dissolvit.

Dum Januae morabatur annis 1553 et 1554, concionibus habendis occupatus, in ea urbe opulenta et mercatorum frequentia celeberrima saepius in suggesto de moralitate variorum negotiorum loqui coactus fuit. Id fecit eo fructu, ut non solum plurimi pecunias injuste possessas restituerent, sed etiam magistratus edictum publicaret, ut omnes mercatores libros atque schedas contractuum suo-

Digitized by Google

rum publice ostenderent a theologis et jurisconsultis revidendas.[1] Desideravit Lainius (palamque hoc pronuntiavit), ut certa dubia, quae circa contractus remanebant, sanctae sedi decidenda proponerentur. Interim tamen, volens incertis conscientiis directionem aliquam salutarem exhibere, hanc Disputationem exaravit in usum praecipue, ut apparet, confessariorum. Cui tamen multa adjunxit, quae lectoribus ex ipsa mercatorum classe adaptata erant, id quod praesertim de initio Disputationis, in quo generalia principia statuuntur, et de fine ejusdem valet. Hanc illamve partem forsitan ipse etiam pro concione auditoribus selectis, ad quos res pertinebat, exposuit.[2]

Judicium Lainii de usura in genere aliud non est, quam quod antiquitus a legibus ecclesiasticis usuram prohibentibus tradebatur. Nemo enim ignorat, quam severe jus canonicum, insistens vestigiis sanctorum patrum atque adeo scripturae sacrae effatis, usurae vitium generatim prohibuerit. Attamen advertere etiam necesse est, Lainium cum antiqua ecclesia inniti supposito quod hodie, mutato sociali statu, non amplius existit; supponit siquidem, ut ait, pecuniam mutuatam „ipso usu consumi“ (pag. 240), neque parere ullum fructum, sed sterilem atque otiosam esse. („Nec exigi debent illa 10 pro fructu ipsius pecuniae mutuatae, quia pecunia non parit.“ Ib.) Atqui haec ad tempora nostra amplius non quadrant, ubi pecunia fere sine ullo labore pecuniam novam acquirit; sicuti etiam illud hodiedum profecto non usu venit, quod affirmat: „Nocet etiam usura (modicam cum ipso intelligimus, non excessivam) publico, quia impedit negotiationem, quae publico prodest“ etc. (p. 242).

Quocirca ob mutatam socialis vitae formam atque ob fluctuationem rerum venalium recentioribus temporibus nota illa decreta Romana emanaverunt, quae erga usuram indulgentiora sese exhibent. Antilogiam autem revera non

[1] Cf. Boero. Vita del P. Lainez, p. 138 ss.

[2] De manuscriptis a nobis pro editione comparanda adhibitis vide tom. I. p. 27*.

Digitized by Google

inveniri inter veterem praxim atque hanc modernam indulgentiam praeter alios breviter et clare demonstrat P. Aug. Lehmkuhl in Theologiae moralis tomo I. n. 1105 ss. (2. edit.); ad eum ergo lectorem remittimus, quem forsitan Lainii argumentatio, graviter atque vivide contra omne genus usurae procedens, perturbaverit. Ceterum vel Lainius largiter admittit, ut si mutuator damnum incurrit vel si ei lucrum cessat, aliquid pro mutuo accipiat (p. 240), sicque ipsemet ostium indigitat, per quam recentior doctrina, nostrae aetati accomodata, legitime intravit.

Valor ergo hujus Disputationis isque certo magnus in eo est, quod imaginem repraesentat rerum socialium illius aevi officiorumque mercatoribus tunc temporis incumbentium. Atque utinam multi docti homines essent, qui nostra hac aetate eodem acumine juridico et theologico varios contractus pecuniarios, quorum genera et species quotidie non sine suspicione diversimodae injustitiae multiplicantur, pervestigarent atque ad usum confessariorum claritate Lainiana exponerent!

Quod ut confirmemus, non abs re fuerit sententias quasdam per hanc Disputationem dispersas, in unum collectas, oculis subjicere.

„Ne in genere tantum detestantes usurae vitium videamur negligere vel fugere sermones particulares, qui in hoc et similibus argumentis teste philosopho utiliores et aptiores sunt!“ (p. 321.)

„Neque dicat aliquis, sufficere definitiones in hac re olim factas; quia videmus per subtilitatem mercatorum multa negotia inventa, non solum non decisa a sede apostolica, sed neque cognita doctoribus etiam modernis, qui de usura scripserunt“ (314).

„Subtilitas enim mercatorum, ducente eos cupiditate — ‚lucerna‘ siquidem ‚impiorum est peccatum‘ (Prov. 21, 4) — tot technas invenit, ut vix facta nuda ipsa perspici possint, nedum dijudicari; ex quo quidem factum est, ut moderni tractatores, sive theologi sive juris periti, inter se varii sint et dissoni“ (228).

„Admonendi essent confessores, ut hujusmodi homines ad se venientes interrogarent et exigerent, ut negotia sua explicarent; quia experientia testatur, quod hujusmodi mercatores, etiam qui probi et sanctuli videntur, non explicant in confessione negotia sua, sed tantum dicunt, se nihil in his scrupuli habere, et ideo illis omissis, quae gravissima sunt et maxime seria, de quibusdam tantum levibus naeniis se in confessione accusant“ (315).

„Mercator, theologum et jurisperitum paene despiciens, se solum

Digitized by Google

in hac re peritum asserit et doctores, ut minus expertos, in negotiis refugit judices" (229).

„Quantum ad scientiam attinet, is convenienter tractare potest de hujusmodi contractibus, qui a mercatoribus diuturna et fideli collatione didicerit facta ipsa et negotia, ex scripturis autem et philosophia morali didicerit principia divinae et naturalis aequitatis, a jurisperito vero ea, quae ex lege humana pendent" (229. 230).

2. Tractatus de simonia ad Paulum IV. Jam Paulus papa tertius reformationi curiae Romanae diligentem operam dederat. Cujus rei testis est „Consilium delectorum cardinalium de emendanda ecclesia", compositum sub ejus pontificatu anno 1536 exeunte vel 1537 ineunte; testis item est aliud „Consilium quatuor electorum a Paulo III. super reformatione s. Romanae ecclesiae," eodem anno 1537 mense Julii vel paulo post, ut videtur, summo pontifici oblatum.[1]

Occasione posterioris „Consilii" diversitas aliqua opinionum circa taxas curiae solvendas sese patefecit, fuitque haec eadem sentiendi differentia, ob quam postea Lainius tractatum nostrum De simonia ad Paulum IV. conscribere invitatus est. Inter quattuor enim cardinales, qui a Paulo III. ad illud „Consilium" secundum praesertim de corrigendis negotiis Datariae apostolicae exarandum destinati erant, scilicet Simonetta, Ginuccius, Caraffa et Contarenus, hi ultimi duo, severiori disciplinae indulgentes, censebant, non licere in usu potestatis spiritualis taxas accipere, etiamsi eae minime ut pretium ipsius usus sumerentur; alii duo e contra judicarunt, hunc morem taxarum non esse inhonestum neque „deformitatem simoniacam" in eo contineri. Unde evenit, ut solum priores, Contarenus et Caraffa, consilio subscriberent, accedentibus Hieronymo Aleandro archiepiscopo Brundusino et Thoma Badia ma-

[1] Prima vice editum a Fr. Dittrich in „Regesten und Briefe des Cardinals Casparo Contarini (Braunsberg 1881)" p. 279—288. Denuo editum anno sequenti a Döllinger, quem dicta editio fugerat, in „Beiträge zur polit. Geschichte der sechs letzten Jahrhunderte (Wien 1882)" tom. III. p. 208—219.

Digitized by Google

gistro s. palatii. Posteriorum vero sententia expressa atque defensa exstat in libello quodam, quod nuperrime Fr. Dittrich primus publici juris fecit et cujus titulus est: „Sixti IV. summi pontificis ad Paulum III. optimum pontificem maximum compositionum defensio“[1]; in eo Sixtus IV. loquens ficte inducitur, quia sub ipso praxis, quam auctores vindicant, initium vel potius incrementum ceperat.

Quum Joannes Petrus Caraffa a. 1555 solium pontificium conscendisset, Paulus quartus appellatus, sine mora vir plenae emendationis ecclesiae semper studiosissimus res Datariae romanae denuo examinare aggressus est[2] Lainium tunc Romae morantem, erga quem benevolentem animum nunquam occultaverat, ad se vocavit, de reformationis modo atque via eum consulturus. Atque, ni fallimur, eo tempore quaestionem eidem (et fortasse aliis simul theologis) proposuit, quae in praesenti *Disputatione de simonia* ventilatur, nempe „Num liceat pro usu potestatis spiritualis commodum aliquod temporale percipere.“

Levi negotio Lainius ostendit, 1° licere aliquid accipere ad sustentationem ministri, et 2° non licere quidquam sumere ut pretium usus potestatis. Gravem autem laborem ei facessit tertius sensus interrogationis, id est an liceat percipere commodum temporale pro usu potestatis, si non accipitur proprie ut pretium compensativum gratiae, sed tamen vi taxae, „qua persoluta conceditur gratia petenti et non aliter“; id quod Romae fiebat tam a datario quam a ministris summi poenitentiarii et cancellarii. Plurimis rationibus allatis respondet negative ad hanc tertiam partem quaestionis. Summa vero argumentationis ejus huc redit, quod ejusmodi exactiones et solutiones taxarum saepe veram simoniam, semper autem speciem simoniae et fidelium offensionem adjunctam habeant (p. 361. 362). Unde in fine gravibus verbis summum pontificem („christianorum pastorem, ovem tamen Christi“, bonis exemplis omnibus

[1] Brunsbergae 1883, typis Hegneanis, 11 pp. 4°. Ex praefatione editoris notitias supra allatas deprompsimus.

[2] Cf. Raynaldus Annal. ad a. 1556 n. 1.

Digitized by Google

antecedere obligatum) monet atque hortatur, ut sublatis taxis, ea tantum, quae ad sustentationem ministrorum necessaria essent, exigi in futurum permittat.

Haec quidem Lainius scribebat, ut apparet, experientia tristi edoctus, non paucos ex curiae officialibus revera simoniae vitium committere in causis etiam per se non inhonestis. Praeterea maximum desiderium efficacis reformationis, quo tenebatur, vivumque studium abusus semper denuo pullulantes radicitus tollendi in ejus judicia scripto illo comprehensa influebat.

Alioquin celari minime potest, bonis rationibus fundari mitiorem censuram, eam videlicet, quae abusus quidem vere simoniacos in administrandis taxis gratiarum omnino reprobat, ipsum tamen usum taxarum moderatum pro justo atque legitimo declarat. Ita posteriores judicarunt. Sane optimi quique theologi, quaestionibus de simonia accuratius ad trutinam revocatis, hodie docent, licite accipi pecuniam ex. gr. occasione dispensationum, titulo commutationis seu eleemosynae vel sustentationis onerum pontificatus, ad subveniendum ecclesiae necessitatibus, ut templorum et missionum, vel ad alios pios usus, ut ad pauperes sublevandos et ad nosocomia dotanda. In hoc enim nullum vestigium occurrit contractus illius (sive expliciti sive impliciti) dandi vel accipiendi spiritualia pro temporalibus, qui ad simoniae vitium constituendum necessarius est; neque fit aequiparatio rei temporalis cum spirituali ex motivo primario unum pro altero ceu pretio aut justa compensatione habendi. Qua tamen in re ut simoniae omnis aditus fortius praecludatur, sacra sedes propriis brevibus statuit, quantum taxae occasione variarum gratiarum tribuendum sit.[1]

Neque tamen ideo votum nostrum Lainianum merito suo privatur; cujus vel effata sanctorum patrum plurima de vitio simoniae adducta pulchrum ornamentum sunt (n. 9 pag. 335 — n. 12 pag. 340; n. 17 p. 348 s.), cujus-

[1] Gury-Ballerini Theol. moral., editio octava, Romae typ. Propag. tom. I. nr. 295 pag. 286.

Digitized by Google

que pretium singulare atque proprium in eo consistit, quod sincero atque intrepido sermone latebrae omnes, in quas simoniacus animus curialium refugere possit, deteguntur.

De manuscripto codice, in quo hic tractatus sistitur, vide dicta tom I. p. 27*.

3. Quaestiones theologicae de vectigalibus. Confessarii societatis Jesu Venetiis degentes adierant Lainium, qui tum fortasse provincialis munere fungebatur, petentes, ut brevem instructionem de quaestionibus moralibus vectigalia attinentibus in usum ipsorum componeret. Praesenti elaboratione rogantibus satisfacit, eo desiderio ad scribendum motus, ut medicina afferatur (sic ipse ait pag. 400) „animabus fidelium christianorum, quos invenio quotidie illaqueatos istis exactionibus.“ Ex adjunctis scriptionis provenit, ut saepius de rebus venetis particulariter loquatur, veluti pag. 391, 393 et 399, et ut nominatim de sic dicta „messitaria“ illic usitata (392) atque de „immoderata gabella vini“ in ea urbe exigi solita (396) exponat. Ob difficultatem vero singularem, quae pluribus casibus solvendis inerat, Lainius hunc tractatulum Romam misit ad s. Ignatium, ordinis parentem,[1] ut ipse, quam sententiam filii sui sequi deberent, ostenderet. Ceterum ista dissertatio plus uno loco formam satis incompletam prae se fert; id quod aliquatenus etiam culpae scriptoris, qui valde oscitantem sese exhibet, deputandum est. (Cf. tom. I. p. 28*.)

4. De beneficiis ecclesiasticis instructio ad usum confessariorum. Ita inscribimus tres instructiones, quae in codice D (tom. I. p. 27*) titulis separatis ornati sunt: *De pluralitate beneficiorum* (infra p. 401), *De residentia* (410) et *De pensionibus* (414); nam unam simul instructionem efformare videntur, quae ad eundem finem composita sit. Non expresse quidem Lainio vindicantur;

[1] Pag. 400: „Ad tuam R. P. (id est reverendam paternitatem) confugimus“ etc.

Digitized by Google

sed quum totus codex solum talia opera contineat, quae merito pro Lainianis habentur, quumque insuper eadem manus, quae Lainii „Modum conservandi spiritum“ (t. I. p. 24* n. 4) ejusque opusculum „De fuco et ornatu mulierum“ in hoc codice contenta scripsit, etiam illam triplicem instructionem ibidem consignaverit, dubium fundatum nullum de paternitate instructionis relinqui videtur; accedit quod eadem elucubratio satis clare demonstrat indolem particularem laborum Lainii nostri, quae etiam in festinanter scriptis cognoscitur.

Primum scriptum (primum caput apud nos appellatum) „ex ipso jure et doctoribus“ quaedam excerpit, quae inserviunt ad tres „suppositiones“ de pluralitate beneficiorum statuendas, ex quibus deinde quattuor „regulae a confessoribus adnotandae“ deducuntur. Similiter secundum caput tres suppositiones de residentia cum quattuor regulis praebet; tertium autem, de pensionibus, post duas suppositiones regulas tres exponit.

Praesertim in suppositionibus primi capitis optime cernitur, quomodo doctrina de jure divino et de naturali recte applicata quasi quandam basim firmissimam continet ad doctrinas canonisticas speciales stabiliendas. Neque minus sapientis discretionis exemplum ea offerunt, quae de „utilitate et necessitate ecclesiae“ a regulis dispensante observantur p. 405 s. et 410.

Tempus, quo tota instructio a Lainio scripta sit, inde circiter erui potest, quod primum quidem decretum concilii tridentini de residentia memoratur (p. 411), alterum autem ejusmodi decretum huc spectans auctori adhuc ignotum est; quare quum decretum primum in VI. sessione a. 1547 conditum sit, secundum autem in sessione XXIII. anno 1563, origo instructionis ad tempus intermedium inter hos annos referendus est.

Manuscripti textum saepe emendare coacti fuimus, quin singulis locis id in notis crediderimus indicandum; id quod etiam de aliis opusculis praesentis tomi semel hoc loco dictum sufficiat.

Digitized by Google

5. De muneribus episcopalibus rite obeundis instructiones diversae. Quae sub hac inscriptione, a nobis addita, sequuntur instructiones, a manu alia saeculi XVI. eidem codici ultimo loco adjunctae inveniuntur. Ortae eae esse videntur ex petitione alicujus inter plures illos episcopos, quibus Lainius per longum tempus suorum apostolicorum itinerum intimius junctus fuit, quique ejus consilia et auxilia pro gubernandis dioecesibus frequenter implorabant. Libellus iste solum ea, quae novello episcopo scitu maxime necessaria sunt, ad usum visitationum et examinum ut ita dicamus manualem comprehendit, nec ullo modo accuratius in res per series suas recensitas inquirit; immo, vel juxta leges ecclesiasticas tunc temporis valentes non omnia plene et sufficienter indicata esse, forte quispiam haud immerito arbitretur.

Romae scriptum esse libellum, apparet ex verbis, quae p. 441 leguntur: „Romae has regulas diligenter servamus", scil. in examinibus clericorum; atque huic loco scriptionis respondent, quae de praxi romana particulari afferuntur, ut p. 436: „Ad titulum patrimonii nullus aut pauci admittuntur (sacris ordinibus initiandi) hoc tempore Romae ex speciali prohibitione pontificis Pii papae IV."

Quibus ex verbis, collatis iis quae ex jure antiquo ante concilii tridentini finem vigente docentur, ex gr. p. 436 de aetate ordinandorum, etiam tempus scriptionis satis accurate conjici potest. Nam ex una parte post initium pontificatus Pii IV., i. e. post 26. Decembris 1559, auctor scribere debuit, ex altera autem parte opus finiisse censendus est ante sessionem XXIII. concilii tridentini, in qua de aetate ordinandorum aliter, atque ipse ex praecedenti usu statuit, decretum est.[1]

6. Institutio scholaris christiani. In hac institutione effata sacrae scripturae, conceptus diversi de scientiis addiscendis et monita praxi accommodata invicem ad seriem quandam admonitionum connectuntur. Singula

[1] Sess. XXIII. (die 15. Julii 1563) De reform. cap. 2.

Digitized by Google

autem tanta brevitate expressa sunt et, quod ad ordinem attinet, tam incomplete proposita, ut aliud esse non videntur quam primae ac summae quaedam delineationes pro exhortationibus ad juvenes litterarum studiosos habendis. Porro expositio, prouti in unico codice manuscripto D relicta est, (quam infra fideliter imprimi curavimus), non secundum unum certum schema procedit; id quod ex. gr. ex nota nostra 6. pag. 459 perspicuum fit, et ex eo etiam confirmatur, quod initio manuscripti (infra p. 442 nota 1) materia totius institutionis aliter dividenda indicatur, quam revera in decursu dividitur.[1] Ergo aliud secundum schema aliusque rerum ordo primae descriptioni Institutionis hujus intermixtum videtur, sive ab auctore Lainio, qui forsitan notata prius facta propter alias novas exhortationes habendas immutavit neque tamen perfecte novum schema elaborare voluit, sive ab inscio quodam scriptore, qui laborem priorem et posteriorem confudit.

Atque hoc loco observandum est, nullum nobis occurrisse manuscriptum opusculorum Lainii tam negligenter consignatum quam hoc exemplar Institutionis; unde correctiones textui adhibendae tot erant, ut eis enumerandis simpliciter supersederemus; cujus rei loco videat lector notas nostras 4. pag. 453 et 2. pag. 448, quae cumulos mendorum scriptoris ante oculos ponunt.

Generatim tamen sequens sententiarum ordo in hac Institutione observatus esse cernitur.

Primum de fine scholaris, et quidem christiani, agitur usque ad paginam 446; attamen jam p. 444 de mediis obiter sermo instituitur. Secunda pars, quae totam reliquam Institutionem complectitur, media recenset ad hunc finem conducentia; quattuor enim dentes proponit (totidem apud nos capitibus) quasi clavis alicujus, thesaurum sapientiae recludentis. Primus dens est gratia seu religio, cujus sexdecim partes enumerantur; alter est natura apta

[1] Nam „de christiano scholari", de quo secundo loco agendum esset, speciatim nullibi agitur, sed tota haec tractatio cum prima parte in unum conflatur.

Digitized by Google

cum quattuor proprietatibus; tertius autem et quartus magis obiter indicati tantum quam descripti sunt, scilicet exercitium et summa quaedam adminiculorum externorum.

Non obstantibus festinationis vestigiis, quae in toto labore sese produnt, auctor hinc inde pulcherrimos eosque profundos conceptus praebet, ut ex. gr. de intellectu agente pag. 456. In genere autem ditissimam spissamque materiam adhortationum ac lectionum pro scholaribus habendarum congerit; conferantur ex. gr. pag. 445 s., ubi de pretio verae sapientiae, et pag. 458 s., ubi de memoriae facultate ejusque diligenti cultura loquitur.

Ad calcem Institutionis in eodem codice adnectitur infra sequens tabella; cujus prima ac tertia pars, scilicet de natura et de gratia, fere totam Institutionis nostrae materiam delineant, quatenus in primo et altero dente clavis, de quo supra, continetur; secunda autem pars tabellae forsitan ad eam divisionem Institutionis referenda est, quae in nota 1. pag. 442 significatur, sed, ut dictum est, in nostro exemplari non observatur. (Vide tabellas pagina sequenti.)

7. De fuco et ornatu mulierum. Ab hoc pulcherrimo et bene elaborato scripto (p. 464 ss.) incipit ultima series elucubrationum auctoris nostris, earum nempe, quae ad usum concionatorum magis directe pertinent.

De fuco mulierum aut Lainius ipse conciones habuit, quarum schemata inter chartas ejus relicta hic repraesentantur, — aut saltem ut a suis sociis efficaciter praedicaretur desideravit, iisque ideo hunc tractatulum commodioris praeparationis gratia exaravit.

Quamcunque autem originem haec elaboratio habuerit, illud certo legenti facile constabit, in ea contra ornatum excessivum argumenta tam ponderose et acute evolvi, rursusque excusationes et effugia culpabilium tam ingeniose et tam accommodate ad vitam praximque quotidianam dissolvi atque obstrui,[1] ut de hac materia, *[seq. p. 74*]*

[1] Cf. de objectionibus solutis praesertim n. 25 ss. p. 488 ss. De confessariis et „consultoribus, qui studio placendi attracti“ „hujusmodi abusum levem dicunt“, n. 12 p. 494 praeclare agitur.

Digitized by Google

- **I. Naturae partes.**
 - **Ingenium**
 - Aptum; a)
 - Juvandum
 - a) Gratitudine. Cautela cunctorum vitiorum. Oratione. Temperantia, exercitio.
 - b) Patientia, erga Deum laude. Oratione. Temperantia. Exercitio. Praeceptore adjuvante.
 - Ineptum; b)
 - **Memoria**
 - Rationalis. Sensitiva vel sensualis.
 - Finis unde perfectio videtur
 - Recolere Deum.
 - Juvare ad virtutes et fugam peccatorum.
 - Juvare ad gloriam.
 - Juvare ad scientiam.
 - Unde pretiosum donum.
 - Juvatur
 - Meditatione.
 - Repetitione.
 - Vocali intellectione.
 - Ordine.
 - Delectatione ob intellectum vel amorem concentuum.
 - Arte locorum.
 - Cibo, medicina
 - Tempore, mane vel dum itur cubitum.
 - **Inclinatio**
 - Fortis.
 - Descendens ad media.
 - Delectans.
 - Immorari faciens.
 - Penetrare faciens.
 - Juvatur
 - Exercitio.
 - Habitu.
 - Inventione.
 - **Corpus**
 - Sanum.
 - Molle carne seu bonae complexionis.
 - Bonorum organorum.
 - Visus.
 - Auditus.
 - Memoriae.
 - Imaginationis, Sensitivae, Cogitativae.

Digitized by Google

II.

- **Auditio.**
 - Necessaria fidei et intellectui.
 - Utilis ad naturalia et supernaturalia.
 - Attenta, ne perdatur tempus, substantia et honor.
 - Patiens seu mansueta.
 - Benevola.
 - Docilis.
 - Vis facienda somno et distractioni.
- **Lectio.**
 - Necessaria et utilis ad ea, quae auditio.
 - Certa, non vagans, ut fastidiosus stomachus.
 - Attenta, ut capiatur.
 - Devota, ut afficiat.
 - Sonora, ut imprimatur res per auditum etiam.
 - Moderata, ex consilio, non lassitudine.
- **Meditatio.**
 - Assidua, quia ab eo omnis ars et scientia.
 - Ordinata a notioribus incipiens.
- **Collatio.**
 - Repetitio.
 - Quaerendo.
 - Docendo.
 - Disputando.
 - Scribendo.

 cum
 - Amice.
 - Urbane.
 - Sine ira.
 - Breviter.
 - Humiliter acquiescendo vero et id amando.

Perseverantia necessaria; magnum enim animal diu clausum retinetur in utero materno, priusquam in lucem edatur.

III. Religio seu gratia, cujus partes sunt.

- **Intentio bona non**
 - Propter ipsam sapientiam tantum.
 - Divitiarum causa.
 - Deliciarum.
 - Omnium supra dictorum.
 - Omnium cum Deo.
 - Sed Deum cognoscendi.
- **Oratio**
- **Puritas conscientiae, quae habet potissimum**
 - Confessionem.
 - Communionem.
 - Orationem.
 - Custodiam.
 - Meditationem.
- **Verbum Dei.**
- **Obedientia eorum quae discimus.**
- **Fides**
 - Deo.
 - Proximo.
- **Spes**
- **Dilectio**
 - Dei.
 - Praeceptoris.
 - Condiscipuli.
- **Delectatio**
- **Timor**
 - Dei.
 - Praeceptoris.

 Humilitas ad
 - Deum.
 - Praeceptorem.
 - Scientiam.
- **Temperantia ab**
 - Alimentis.
 - Venere.
 - Otio.
 - Joco.
- **Fortitudo in**
 - Carnem.
 - Ingenium.
 - Memoriam.
 - Extranea impedimenta.
 - Sapientia effodienda.

Digitized by Google

[contin. a pag. 71]* nostro saeculo profecto non minori sollicitudine a concionatoribus tractanda, vix quidquam magis accuratum, theologicum, grave litteris consignatum existat.

Quodsi cuiquam paulo severiora videntur, quae Lainius de facilitate committendi peccata mortalia per fucum et ornatum excessivum docet, (et revera non singula, quae de gravitate culpae affirmat, sine clausulis hodiedum ab auctoribus admittuntur), ille sequentia etiam considerare non omittat.

Tunc temporis, „in hoc corrupto saeculo“ ait Lainius, et „praesertim in quibusdam corruptioribus civitatibus“ (n. 10 pag. 471) singulares prorsus excessus in adhibendo ornatu committebantur. Ex novo orbe ante pauca decennia invento opes effluebant in urbes alioquin ditissimas et nobilium familiarum flore frequentissimas. Nova simul genera fuci, cerussae, purpurissi, stibii, aliorumque sive ad faciei sive ad vestium cultum attinentium invehebantur. Non mirum certo, si pompam mundanam nimium nutritam fuisse indeque natum luxuriae incrementum omnino lugendum, audimus a scriptoribus coaevis plurimis. Eas autem urbes praesertim haec calamitas invasit, quae ad coronam hispanicam pertinebant et portus opportunitate mercatoribus facilius patebant. Porro non alienum a verosimili est, Lainium in hujusmodi urbe de materia in nostro opusculo tractata in suggesto egisse, ex. gr. quum Panormi (quae urbs cum regno Siciliarum Hispaniae regi subdita erat) per longius tempus a. 1549 et 1550 apostolico labori insudavit, semper, ut constat, nobilioribus familiis hispanis prae aliis prodesse sollicitus. Et forsitan huc referendum est, quod in opusculo num. 25 pag. 489 de „majoribus nostris“ loquitur (Hispanos, ut ex sequentibus constat, intelligens), qui „distinctionem inter divites vel nobiles et mediocres servaverint, quin apostolorum praecepta“ contra tortos crines aut aurum aut margaritas vel vestem pretiosam (I Tim. 2, 9. 10) transgrederentur.[1]

[1] Cf. ea quae paulo antea in eadem pagina de Indis occidentalibus scribit.

Digitized by Google

Praeterea ipse Lainius advertit, praecepta apostolica commemorata non prohibere sub mortali ornatum, „si intentio ornantis se et fucantis non sit alios allicere ad peccatum mortale, nec excessus sit tantus, ut sit contra Dei, vel sui, vel proximi charitatem, nec affectio sit tanta, ut in eo ornatu vel fuco constituatur ultimus finis.“ (n. 6 pag. 468.) Quibus similia postea repetit, ubi ait, id quod de mortali peccato docuerat, „de universo abusu vel aliqua magna ejus parte“ intelligendum esse; „nec enim semper peccatum mortale putarem abuti alienis capillis, vel anellis, vel chirothecis excedentis pretii et similibus;“ e contra ubi de mortali culpa egerat supponebat (atque hoc quidem clarius et distinctius nonnumquam fieri debebat), aut ornatum esse notabiliter contra caritatem, „quia expensas caritati contrarias inducat, aut utentem impudicam se ostendere, aut alium mortaliter scandalizare.“ (n. 22 pag. 485.)

In aperto est, vehementer erraturum esse, qui zelo male intellecto abreptus, ea quae Lainius de rebus excessum in ornatu signantibus affirmat, simpliciter ad nostra tempora transferre vellet, ubi hujusmodi res vel communes jam factae sunt vel certo non ita magno pretio habentur.

Textum juxta duo exemplaria manuscripta, aliud codicis vetustioris D, aliud recentioris E (tom. I. p. 27*), quantum potuimus purum genuinumque prelo mandavimus; alterutrum autem exemplar mendis defoedatum erat. Codex E in inferiore parte primae paginae hanc notam ostendit: „Domus societatis Jesu s. Fidelis cat. inscr.“; ad eandem ergo domum pertinebat, cujus erat quadragesimale Lainii a Zaccaria commemoratum (supra tom. I. p. 29*).

8. Documenta ad bene interpretandam scripturam sacram. In hisce documentis non agitur de hermeneuticis regulis pro scientifica interpretatione scripturae statuendis; Lainius potius iis, qui lectiones sacras, prouti hodiedum in ecclesiis Italiae habentur, de argumentis biblicis instituturi erant, adjumentum quoddam conferre voluit, summis tantum legibus, ad quas attendere debebant, clare

Digitized by Google

et ordinate exhibitis. Eae autem „lectiones“ (p. 500), in quibus sacra eloquia auditoribus elucidanda esse hic supponit, extra ecclesiam ordinario celebratae videntur, quum p. 504 dictationem adhibendam commendet, quae scripto excipi possit. Tota instructio, etsi brevissima sit, magna cum utilitate tam ad studia biblica methodice et pie colenda, quam ad fructuose elaborandas conciones applicari poterit. De exemplari manuscripto vide tom. I. p. 27*.

9. Monita pro concionatoribus. Magis directe ad formandos concionatores ea spectant, quae in isto longiori opusculo proponuntur. Quamquam etiam hoc loco falleretur, qui completam vel accuratius elaboratam instructionem deprehendere cogitaret. Instructio quidem est multa et plane utilissima monita complectens, et ex delectu consiliorum, quae novo concionatori hic praebentur, atque ex modo eadem confirmandi exemplisque illustrandi apparet auctor in illa arte ipse versatissimus simulque facilitate summa in docendis aliis pollens; attamen delectus monitorum non idem est atque systematica doctrina, quae a scriptore nostro non intenditur; sicuti etiam exercitatio simplex per exempla non idem praestare poterit, quod methodus ex causis internis deducta et postea exemplis illustrata.

Post scopum eloquentiae sacrae, qui in lucrandis animis reponitur, brevissime indicatum, Lainius n. 3 pag. 507 de mediis a concionatore adhibendis exponere incipit; atque I° quidem loco de necessaria unione cum Deo monita ferventia proponit. („Flagret concionator divino amore ac vehementissime flagret“.)

Deinde II. de officio triplici docendi, movendi et delectandi auditores agit, quo neglecto sacer orator nunquam ad scopum suum pertingere possit. Doceat vera, doceat utilia, doceat prudenter (n. 7. 8. 9). Moveat auditores, affectus convenientes in iis excitando; id quod efficiet, si prece multa naturam, quae apta sit ad commovendos alios, adjuvat (n. 10. 11), si bonis argumentis rem suam evincit (n. 12), et si apta pronuntiatione ac vocis moderatione utitur

Digitized by Google

(n. 14—19). Delectet auditores, sed non profano modo (n. 20), verum optima ac decora proferendo; unde nova vel saltem novo modo vetera dicat (n. 21) et similitudinibus atque auctoritatibus sermonem ornet (n. 22. 23).

Post haec Lainius III. inculcat usum amplificationum aptarum. („Quos ipse, ait, modos amplificationum in mea diuturna dicendi exercitatione inveni, proponam paucis, quibus lector, si visum fuerit, utatur." n. 24 p. 524.) Tribus autem generibus amplificationum ope exemplorum expositis (n. 24—33), gressum facit IV° ad praecipiendum de „textura ipsius sermonis", atque hoc loco quattuor formas „texendi sermonem" de pericopa evangelica occurrente producit (n. 34—40). Denique V° in fine materias percurrit, de quibus frequentius in pulpito sacro tractandum sit, easque ad duodecim classes revocat (n. 41).

Quae adjuncta cernitur „epitome munerum concionatoris" ex Possevino desumpta respondet quodammodo tabellae de scholari christiano instituendo, quam superius pag. 72* ex manuscripto codice D retulimus.

Ex duobus exemplaribus manuscriptis, altero hispanico idiomate, italico altero exarato (cf. infra pag. 506 not. et tom. I. pag. 28*), quae ad versionem latinam *Monitorum* comparandam praesto fuerunt, italicum conscriptum est recenti aetate continetque versionem minus accuratam, repetitionibus frequentibus et phrasibus omnino sensu carentibus deformatam. Hispanicum e contra exemplar, quod sine dubio originalem linguam habet[1], etsi non belle consignatum est, tamen valde accurate textum ipsum praebere videtur. Titulus autem exemplaris hispanici is est: „Estos son unos avisos para los que comienzan a predicar. Del P. Lainez."

10. Ex lectionibus de oratione. Appendicis instar toti operi subnectimus aliqua fragmenta ex lectionibus sacris a Lainio publice coram populo habitis. Plures

[1] Quae infra pag. 539 s. de mancipiorum institutione innuuntur, ea potius regionem hispanicae dominationi subditam quam aliam, supponunt.

Digitized by Google

series ejusmodi lectionum exstant in manuscriptis codicibus, ad quos accessus nobis patuit, easque infra recensebimus.

Genus harum orationum sacrarum quod attinet, id ex usu hodiedum in Italia vigente satis notum fuerit. In lectionibus concionator non adeo ad affectum excitandum et voluntatem movendam tendit, quam ad intellectum auditorum instruendum; quin tamen ullo modo dicendum sit, finem non demum esse practicum et ad mores rite componendos dirigi. Plerumque nunc temporis aliquis liber s. scripturae aut selecta quaedam ejusdem capita in sic dictis lectionibus e pulpito sacro explicantur.

Lainius potius themata moralia delegisse videtur. In his autem evolvendis mira quadam arte praecepta vitae christianae accommodate ad diversarum classium homines explicabat, omnibus adhibitis maxima cum varietate adminiculis, ex revelatione et ex lumine naturali, ex historia et ex patrum doctrina, ex experientia quotidiana et ex profunda ratiocinatione. Adeo ut in hisce lectionibus suis boni oratoris sacri, quem in praecedentibus *Monitis* delineavit, partes omnes ipse adimplevisse merito censendus sit. Sane, ut unum tantum innuamus, quam clare simul atque amoene, quam ad captum rudissimi cujusque et simul ad eruditionem litteris excultorum in iis speciminibus, quae praebemus, paucissimis loquitur ex. gr. pag. 547. 551. 557. 559.

Lectiones nullas, ut videtur, ab eo accepimus, quae eadem forma, qua pronuntiatae sunt, scriptis perhiberentur. Potius loco expolitarum dictionum habemus tantum plus minus extensa schemata, ab auditoribus inter ipsas lectiones excepta, tametsi ea schemata non raro ipsas integras phrases omnesque amplificationes ab oratore adhibitas referant. Auditores vero, et non Lainium ea scripsisse, quoad lectiones nostras De oratione inde patet, quod concionibus ipsis intermixtae sunt relationes historicae, ex. gr. hujusmodi: „In medio lectionis exhortatus est populum ad eleemosynam, dicens“ etc. (infra p. 552[1]). Plu-

[1] Idem confirmatur inde, quod quo loco decima nona lectio De oratione sequi debebat. legitur: „Non reperitur apud aliquem.“ (Cod. F

Digitized by Google

rima autem iterum plane verbotenus referri, nulli dubium esse potest, qui attentius vividum sermonem adhibitum in nonnullis partibus, quae fere colloquia quaedam sunt cum auditoribus, inspexerit (vide ex. gr. p. 558 s.).[1]

Romae nostrae lectiones habitae sunt. Id tum admonitio mox citata (v. notam) de eleemosynis pro domo male nuptarum erogandis, tum ii omnes loci ostendunt, quibus in binis lectionibus 20. et 21. a nobis editis aut Romanos aperte alloquitur aut de rebus romanis, de curia papali et de aulicis tractat. (O Romani, non intelligitis illud? etc. pag. 551).

Praeter eas vero exhortationes, quas Lainius ad populum ipsum atque ad laicos praesentes dirigit, alias profert, quae tantum sacerdotibus dictae esse possunt. Unde concludere fas est, notabilem eorum numerum in templo adfuisse. Iis solis exempli gratia commendat, quae infra pag. 545 de modo recitandi orationes, quae coram fidelibus legi debent, proponit, itemque quae p. 559 habet contra clericos, qui preces privatas majori cum devotione peragere solent, quam orationes breviarii ex officio suo sibi impositas.

fol. 158 a.) — In simili lacuna tractatus De tribulatione loco lectionis nonae notantur haec verba: „Concio nona fuit de incarnatione Jesu Christi."

[1] Bina exempla p. 558 adducta pertinent ad sic dictas commendationes, quas hodiedum itali concionatores in certis solemnioribus orationibus interjicere solent inter partem primam longiorem et secundam breviorem. Frequenter Lainius (quod hoc loco plerumque usu venit) ad eleemosynam dandam auditores hortatur. Sic in lectione 22. De oratione coenobium male nuptarum a s. Ignatio Romae fundatum, sequentibus verbis adjuvandum commendat:

„Vi raccomando il monasterio de sancta Maria, dove, come sapete, stanno quelle donne, che havendo marito andavano male. Queste non possono andare alle Convertite, perchè in quel loco son monache. . . . È stato necessario constituire questo altro loco, et è necessario per tutto, ma molto più in Roma, dove meno deveria essere, per esser città sacerdotale. . . Son più de sessanta et hanno gran bisogno. Non li mancate delle vostre limosine, in grosso chi può, et chi non può molto, dia poco, et Dio lo accetterà per molto, se lo faranno con gran amore." (Cod. F fol. 168a.)

Digitized by Google

Quod ad tempus harum lectionum De oratione spectat, annus quidem nullus notatur, sed tantum certae conciones in titulis suis diem certum praefixum habent; nempe 4. habita dicitur in die ss. Simonis et Judae 28. Octobris; 7. habita est 14. Novembris; 9.: die s. Catharinae V. 25. Novembris; 11.: die s. Andreae Ap. 30. Nov.; 12.: Dominica 2. Adventus; 13.: die Conceptionis B. V. M. 8. Decembris; 14.: in vigilia s. Luciae 12. Decembris; 15.: Dominica 4. Adventus; 16.: in die beati Thomae Ap. 21. Dec.; 17.: die s. Stephani 26. Dec.; 18.: Dominica tertia Januarii; 24.: in festo Purificationis B. V. M. 2. Februarii; 29.: Dominica Quinquagesima 20. Februarii; 30.: in die s. Matthiae Apostoli 24. Februarii. Jam vero ex penultima temporis nota concludi potest, anno 1558 istam concionem habitam fuisse; nam eo anno Quinquagesima in dictam diem 20. Februarii incidit, eodemque anno Lainius, ut aliunde notum est, Romae morabatur. Ergo lectiones De oratione coeperunt auctumno anni 1557 et per hiemem totam versus tempus vernum sequentis anni protractae sunt.

In ipso lectionum initio ab oratore edocemur, quomodo totum tractatum dividat, quidque in singulis ejus partibus principalibus comprehendere voluerit. Dicit enim in primae lectionis exordio, se velle 1. declarare, quid sit oratio, 2. quanti pretii sit oratio, 3°. quomodo a nobis institui debeat, 4° quae media conducant, ut quis semper melius orationis artem calleat atque exerceat; 5. demum exempla se allaturum esse promittit, quae quomodo orandum sit, factis ipsis edoceant (pag. 556.).

Lectiones universim triginta De oratione in codice nostro sistuntur.

Ex iis lectiones 20. et 21., quas ex tota serie selectas infra edidimus, ad secundam partem totius hujus tractatus pertinent. Quam partem concionator in 22. lectione tandem terminat, in reliquis octo de tertia parte, eaque non integra, acturus. Tractatus enim incompletus remansit,

Digitized by Google

concionatore non de omnibus, quae in partitione proponit, agente.[1]

Lectiones De oratione in codice F (vide tom. I. p. 23*) ultimum et satis amplum locum obtinent (a fol. 65 ad 204). Fere omnes italico sermone conceptae sunt. Scriptae exstant in charactere minimo, sed diligenti et venusto.

Idem codex, qui lectiones De oratione praebet, continet etiam aliam seriem 27 lectionum sub titulo: Tractatus de tribulatione R. P. Lainez. Quarum lectionum materiam auctor in prima lectione sequentibus verbis magis distincte annuntiat:

„Habiamo da cominciar con la gratia del Signore a parlar delle tribulationi. Circa la qual materia consideraremo cinque cose.

1° Vederemo, che cosa è tribulatione.

2° Quanti modi di tribulatione se trovano, per le quali Dio ci vuole provar.

3° Le cause perchè Dio ce le manda, quale e quante sono.

[1] Quomodo partis tertiae saltem membra aliqua in lectionibus 23. ad 30. tractentur, id Lainius ipse in hisce duobus locis clare effert: „Adesso con la gratia del Signore", ita ait in exordio lectionis 23. (Cod. F fol. 171a), „trattaremo del modo, col quale haviamo a fare questa oratione, et lo ridurremo a tre punti, a tre capi. Il 1. sarà, quanti modi sono de oratione; il 2., quante parte ha la oratione; il 3., che conditione si ricercano a far bona oratione. Prima vedaremo, quanti modi siano de oratione; et sarà bellissima divisione, perchè la oratione può esser hor buona, hor cattiva; hor vocale, hor mentale; hor petitoria, hor laudatoria; hor privata, hor publica; et hor è necessaria, cioè per obligo, hora voluntaria."

Lectionem autem 30. sic incipit (fol. 199b): „Trattavamo delle divisioni della oratione, che eran cinque. Già ne havemo viste quattro con l'ajuto del Signore. Diremo della ultima, la quale è, che tra le orationi alcune sono de obligo, alcune non son de obligo, ma senza obligo. Et 1° vedaremo, qual sia de obligo et qual sia voluntaria; 2° vedaremo quella che è di obligo, per qual lege è di obligo; et 3° et ultimo consideraremo, qual di queste dui sorte di oratione piace più a Dio. Et con questo ponaremo fine a questo ragionamento per hora." — Eadem lectio quomodo finiatur, videat lector infra pag. 558.

Digitized by Google

4° Mostraremo l' effetti di quelle, se sono buoni o cattivi;

5° et ultimo vederemo li rimedii contro di quelle."

Initio lectionis 13. orator ait, ex hisce quinque capitibus quattuor modo absoluta esse seque ad quintum transire. De hoc quinto capite autem, i. e. de mediis ad bene persistendum in tribulationibus, non aliter agit quam exponendo latissime locum s. Pauli ad Ephesios c. VI. v. 11 ss.: „Induite vos armaturam Dei" etc. Ita ex. gr. in lectione 14. de „galea salutis", quae sit spes christiana, tractat; in 15. de „lorica justitiae", quam expressionem ad justitiam junctam amori applicat. Monito autem apostoli eodem loco dicentis: „State succincti lumbos vestros", adnectit exhortationes de castitate, quas usque ad lectionem 20. protrahit. Lectio 21. de patientia agit, lectiones 22. ad 25. de caligis spiritualibus i. e. de exemplis bonis et de contemptu mundi, lectio 25. de verbo Dei, lectio 26. de vigilantia, lectio 27. et ultima de eucharistia.

Prima lectio annum, diem et locum affixos ostendit, quibus pronuntiata est, videlicet: „Die veneris post cineres, 25. Februarii 1558 Romae". Unde manifestum fit, eas lectiones immediate post tractatum „De oratione" superius consideratum habitas esse. Frequentius etiam penes alias lectiones De tribulatione dies signantur, in quos singulae incidebant; quorum ultimus tempore is est, qui supra lectionem 23. occurrit: „In die Pentecostes."

Calamitatum omne genus illo anno 1558 incipiente urbem aeternam invasit; id quod etiam in quibusdam locis lectionum De oratione a nobis editis innuitur (pag. 558). Profecto ex hac tristi conditione temporum praesertim Lainius, animo proficiendi Romanis tam spiritualiter quam corporaliter compulsus, occasionem sumpsit ad dictam materiam De tribulatione in pulpito sacro tam ample tractandam.

Quae auditores nonnulli (vel forsitan unus quispiam) ex iis lectionibus De tribulatione scripto exceperant, ea hic usque ad lectionem 15. italice, sicuti dicta erant,

Digitized by Google

redduntur, ab lectione autem 16. in latinam linguam translata sunt.

Aliarum lectionum ab auctore habitarum vestigia offeruntur in exordio primae lectionis De oratione. Ex eo enim apparet, Lainium immediate tractatui De oratione praemisisse alios duos tractatus, videlicet De audiendo verbo Dei et De sanctissima communione. In eo ordine seligendo secutus erat, ut ipse ait, locum s. Lucae in Actibus apostolorum (2, 42) „Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus." (Vide infra p. 555.)

Probabiliter, quae alio loco nominavimus scripta Lainii, De regno Dei et de obedientia, eidem ordini lectionum sacrarum accensenda sunt. (tom. I. p. 29*. 30*.)

Tractatus alius lectiones sacras exhibens inscribitur „Breve trattato della cognitione di se stesso composto per il R. P. Jac. Lay."[1] In codice archivi societatis Jesu a nobis littera G insignito (tom. I. p. 28) asservatur. Valde male scriptus est et insuper humiditate obscuratus. Opusculum satis amplum, scil. 147 folia (8°), explet; italica lingua totum conscriptum est.

Quid auctor in eo tractandum assumpserit, id e more suo jam initio clare enuntiat. Tractatus enim ab his verbis incipit: „Tutto questo trattato della cognitione di noi stessi ridurremo in quatro capi. Nel 1° diremo, a che intendiamo trattare della cognitione di se stesso. Nel 2° diremo dell' eccellenza, utilità et necessità di questa cognitione di se stesso. Nel 3° diremo, quante parti ha questa cognitione di se stesso et quali siano. Nel 4° diremo dell' utilità di ciascheduna parte per se." Post priora duo puncta brevius expedita tertio exponendo fol. 13. hanc divisionem praemittit: „A tre parti possiamo ridurre la dottrina tutta della cognitione di se stesso. 1° Conoscere

[1] Manus posterior adjunxit post Lay: „nez secondo generale della compagnia di Giesù". Praeterea haec nota codici praefixa est: „Collegii Lauretani societatis Jesu."

Digitized by Google

l'huomo secondo che fu creato al principio dall' omnipotente Iddio, cioè conoscere l'huomo instituto dal signor Dio in principio. 2° Conoscere l'huomo destituto da Dio per il peccato della sua disubedienza. 3° Conoscere l'huomo restituto da Dio per la gratia con li meriti della passione di Cristo nostro signore. . . . Adesso parlaremo della prima parte, cioè della cognitione del huomo prima (?) che peccasse, creato et instituito da Dio; et così intraremo nel quarto capo o membro della nostra prima divisione, che era parlare di ciascheduna parte della cognitione di se stesso in particolare. [Ergo quartum caput cum hoc tertio coincidit.] Tre cose diremo sopra questa prima parte proposta della cognitione del huomo creato ed instituito da Dio al principio, 1° della natura sua, 2° della rettitudine sua, della giustizia originale, 3° della adottione sua." Qua parte finita ad secundam quidem partem hujus tertii (et quarti) puncti transgreditur fol. 59, sed fere de miseriis hujus vitae tantum et de morte usque ad finem opusculi agit; ita ut etiam de tertia parte nihil in hoc tractatu contineatur. Tempus siquidem defuisse videtur, ut singula, prout desideraverat, auditoribus explicaret.

Quamquam tractatus in lectiones divisus non est, tamen non desunt vestigia in ipso modo res proponendi, quae hoc opusculum non proprie ad legendum sed ad usum concionum scriptum esse ab Lainio, aut ab aliis ex concionibus ejus exceptum, suadent.

Diversas conciones quadragesimales „P. Jacobi Lainez" italico idiomate conceptas continet codex bibliothecae aulicae Monachiensis (sign. Ital. 359; catal. tom. VII. p. 132 n. 717) a fol. 176 usque ad finem, scilicet ad fol. 234 b. Codex iste saeculi XVII. olim ad bibliothecam collegii Monachiensis societatis Jesu pertinebat (supra t. I. p. 29* n. 31 et 38). Primo loco ibi invenitur concio „de jejunio quadragesimali", quae in eo versatur, ut intentionem Spiritus sancti et ecclesiae in ordinando jejunio quadragesimali exponat. Sequuntur quinque conciones hoc ordine: de eleemosyna, de confessione, de communione

Digitized by Google

(habita, ut videtur, dominica Palmarum), de verbo divino, de oratione et indulgentiis. Qui ordo arbitrarie et falso a scriptoribus inductus est; nam quum Lainius in singulis concionibus explicare sibi proposuerit „occupationem vel exercitium quoddam, quod frequentare debeat christianus tempore quadragesimae“ (ita in concione de orat. et indulg. fol. 225), diserte tertium exercitium vocat orationem (ibid.), quartum autem distributionem eleemosynae (de eleem. fol. 185), quintum confessionem (de conf. fol. 196) et sextum communionem; alibi autem ab eodem insuper comperimus, ut primum exercitium se numerasse jejunium et ut secundum auditionem verbi divini (cf. exordium de conf. fol. 196). Juxta hunc ordinem ergo conciones disponendae erunt.

Jam quod ad concionem de oratione et indulgentiis attinet, ut solum de ista pauca referamus, initio ejusdem ait: „Quia alias de oratione in genere longius locuti sumus, nunc de specie quadam orationis, videlicet de oratione, quae fit ad stationes, agemus; et ad hanc melius declarandam tractabimus etiam de stationibus et de indulgentiis. Quattuor ergo quaestiones exponemus: 1° Quid sit statio et quid stationis indulgentia; 2° quid sit antiquius, statio aut indulgentia; 3° quis fructus sit stationis, quis indulgentiae; 4° qualem in iis, qui veniunt ad stationes, Deus dispositionem requirat ad hoc, ut indulgentias stationum consequantur.“

Ex quibus verbis etiam sequitur, has conciones quadragesimales Romae habitas fuisse, ubi devotio stationum largissimis indulgentiis ditatarum hodiedum frequentatur; sequitur item, eas habitas fuisse post nostras lectiones De oratione, quae a. 1558 terminatae sunt.[1]

[1] Sicuti eae lectiones De oratione supponuntur paulo ante habitae, ita in concione de communione innuitur, coram iisdem auditoribus concionatorem diutius tractavisse de communione; tractatus Lainii de communione, quae in annum 1557 incidisse videntur, supra pag. 83* commemoravimus.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Vota et dissertationes,

quae ad concilium Tridentinum pertinent.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

An nondum finito concilio Tridentino novum concilium oecumenicum sit indicendum.

1. Quia jussit S^mus D. N., ut qui coram S^te Sua protulerunt judicium suum de minuta bullae indictionis concilii, illud scriptis libere mandarent[1], parebo et ego mandato Suae S^tis, ita tamen, ut omnia, quae scripturus sum, judicio ejus libenter et humiliter (ut par est) submittam.

Legi igitur et quantum per tempus licuit consideravi minutam bullae; et in duobus haerebam, in re scilicet et in verbis. Circa rem quidem videbatur et videtur mihi, valde periculosum, coepto jam concilio Tridentino, et nondum finito, neque solemniter confirmato a S^mo D. N., novum concilium indici, propter varias rationes; primo quidem, quia novum et inauditum est in ecclesia, ut uno catholico, oecumenico et legitimo concilio incoepto, necdum finito, aliud incipiatur. Aut enim concilia olim celebrata sine interpolatione coepta et finita sunt, ut Nicaenum et Constantinopolitanum et Ephesinum et Chalcedonense et alia innumera; aut, si accidebat ob aliquas causas ea interpolari, continuabantur et tandem finiebantur. Sic enim videmus factum in concilio Florentino, quod quum revocatum fuisset e Basilea Ferrariam et inde Florentiam et Bononiam, tan-

[1] Vide quae supra de materia et de adjunctis hujus voti animadversa sunt.

Digitized by Google

dem Romae finitum est; idem de concilio Lateranensi ultimo, quod coeptum est sub Julio II. et finitum sub Leone; idem de Tridentino coepto sub Paulo III. et continuato a Julio III.; idem ferunt de sexta synodo et Ephesina tertia. Potest igitur S^mus^ se excusare et tueri in contentiosos cum Paulo respondens: „Nos talem consuetudinem non habemus neque ecclesia Dei".[1]

Deinde videtur aperiri ostium in futurum, ut quoties coepto aliquo concilio displicebunt improbis et parum catholicis bene ibi definita si accidat illud interpolari, curent hoc exemplo, ut novum concilium indicatur, et retractentur definita, contra morem sanctorum patrum, qui nunquam non clamabant: semel definita non sunt vertenda in quaestionem. Cavere autem debet S^mus^ huiusmodi ansam posteris praebere, ne quidquam ab eo contrarium sanctis patribus in exemplum et auctoritatem posteris relinquatur, ut dicebat Gregorius VII. in secundo libro sui registri epistola 50. ad Sancium Regem Hispaniarum.[2]

Tertio, quamvis sancta sedes apostolica errare non possit in definiendis illis, quae fidei sunt, ob assistentiam Spiritus Sancti, curare tamen debet, ut legitime procedat ad hujusmodi definitionem et caveat Dei tentationem. „Sentite, ait Sapiens[3], de Domino in bonitate et in simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum". Quum autem (ut scriptum est) „semel loquatur Deus, et secundo id ipsum non repetat"[4], ad ejus tentationem spectare videtur, ut, quae per Spiritum Sanctum definita sunt, nondum finito

[1] I. Cor. 11, 16: „Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus neque ecclesia Dei",

[2] Migne P. L. 148, 401: „Quia venerandi canones ad sacerdotii gradum tales provehi contradicunt, probare eos non satis cautum fore putavimus, ne quidquam a nobis contrarium sanctis patribus in exemplum et auctoritatem posteris relinquatur. Solet enim sancta et apostolica sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis et constitutionibus a concordia canonicae traditionis deviare."

[3] Sap. 1. 1. 2.

[4] Job 33, 14.

Digitized by Google

illo concilio, ac si nihil factum sit, denuo retractentur. Eodem enim modo retractari poterunt quae in novo concilio definientur, et sic erit nullus controversiarum modus neque finis.

Quarto, si Sanctitas Sua novum incipit concilium, videbitur sibi ipsi contraria et in dictis et in factis; quod maxime optabunt adversarii, ut habeant suae maledicentiae materiam. Quod autem sibi in dictis videatur contradicere, constat, quia in bulla indictionis jubilaei excusa[1], quae per totum orbem diffundetur, et quam procul dubio legent Lutherani, indicitur sola continuatio concilii Tridentini. Contradicet igitur sibi summus pontifex, si novum indicat. In factis etiam esset major constantia si, sicut S^mus^ persistens obtinuit, ut in eodem loco fieret celebratio concilii (de quo non ita referebat), ita etiam persisteret in continuatione; obtineret enim cum Dei gratia, ut superaedificaret tam bene jactis fundamentis, nec facto praeberet occasionem destruendi tam bene aedificata.

Quinto, quia timendum est ne, sicut ex assumento panni rudis in vestem veterem major scissura fit (ut Dominus noster in Evangelio[2] dixit), ita etiam ex hac nova concilii indictione, sequatur in ecclesia aliqua scissura. Nam paene omnes catholici poterunt illam aegre ferre. Haeretici quoque, si non venient ad novum concilium, obtinebunt saltem hoc, quod macula aliqua (de qua postea dicetur) concilium Tridentinum fuerit conspersum. Si autem venerint, et, eis postulantibus iniquas conditiones, fuerint ut par est rejecti, conquerentur se deceptos et frustra vocatos ad novum concilium, et excitabunt quas poterunt tragoedias. Ubi autem indiceretur sola continuatio, si venirent ad concilium, serio venirent, et cum Dei gratia reducerentur; si vero

[1] Intelligit bullam *Ingemiscimus semper,* datam 20. Novembris 1560, in qua Pius IV. consilium celebrandae iterum synodi aperit precesque publicas praescribit indulgentia plenaria promissa. Textum exhibet Raynaldus a. 1560. nr. LXVIII. In eo verba occurrunt: *Concilii celebrationem indiximus continuandam . . . Synodum in eadem civitate Tridentina indicere et continuare decrevimus.*

[2] Marc. 2. 21; Matth. 9, 16.

Digitized by Google

non venirent, ecclesia brevi tempore haberet integram doctrinam decisam, qua erudiret parvulos suos, et aliis viis ageret, ut exequutioni mandaretur etiam a Lutheranis; ob quos non sunt retractanda jam definita, dicente Leone in epistola 76. ad Leonem Augustum[1]: „Praenoscat igitur pietas tua, venerabilis imperator, hos, quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra illos a sede apostolica profecturos, quia de rebus et apud Nicaeam et apud Chalcedonem (sicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia vel infirma sint, quae tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas. Instructioni autem parvulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiori satiari, ministerii nostri praesidium non negamus. Et sicut simpliciores non spernimus, ita a rebellibus haereticis abstinemus, memores praecepti Domini dicentis: Nolite dare sanctum canibus, et nolite projicere margaritas ante porcos.“[2] Haec Leo.

Sexto, si incipitur novum concilium, et veniunt Lutherani, non solum curabunt, ut retractentur jam definita, sed ut ab aliis odiosis et quae tractanda non essent incipiatur tractatio, ut puta a legibus et conditionibus servandis in concilio; a potestate summi pontificis super concilium vel concilii super eum; et tandem ita possent immorari in his praeludiis, ut non pertingerent ad iteratam definitionem eorum, quae jam definita sunt; et ita non solum nihil lucraremur ex novo concilio, sed retrocederemus et jacturam faceremus eorum, quae tam salubriter et utiliter sunt definita. Quae quia multa sunt et praecipua in religione, si fieret continuatio concilii, brevi tempore perfici possent pauca necessaria, quae supersunt, et confirmari concilium a sede apostolica et deinceps vacari ejus exequutioni.

Septimo, quia facto ipso indicendi novum concilium, non confirmato nec continuato Tridentino, magna praeju-

[1] Leo magnus ad Leonem I. imperatorem apud Migne P. L., 54, 1143 (Jaffé nr. 539).

[2] Matth. 7, 6.

Digitized by Google

dicia illi fiunt, quod ex multis constat. Primo quia nunquam fuit mos in ecclesia, indicto concilio legitimo et nondum finito, aliud de novo indicere; fuit autem consuetum, contra conciliabula concilia legitima convocare, ut ex historiis notum est. Sic enim factum fuit contra Basiliense et contra Pisanum et contra Ariminense et alia. Facto igitur ipso dici videtur concilium Tridentinum simile illis. Deinde haec differentia est inter divina opera et humana, quod Dei sunt perfecta opera (ut scriptura[1] ait), humana vero imperfecta; rursus Dei opera stabilia sunt (quia consilium Dei stat[2]), humana vero per se ipsa solvuntur, ut dicebat Gamaliel.[3] Hoc ipso igitur quod concilium Tridentinum non continuatur, sed solvitur, et aliud novum inducitur, ostenditur opus humanum in injuriam Spiritus Sancti et totius ecclesiae catholicae, et in magnum gaudium haereticorum, qui hoc ipsum jactabunt, et fortassis nec ad novum concilium venient, quum tam iniquas conditiones petant et abominabiles, juraverintque inter eos confessionistae, se non recessuros a sua illa confessione Augustana. Praeterea quum concilia secundum jura et ipsam rationem finiri non debeant nisi adepto fine, propter quem coacta sunt, et concilium Tridentinum indictum et coeptum ad extirpationem haeresum et reformationem ecclesiae sit, quum ista bene quidem coepta sint, et non mediocrem progressum habuerint, in injuriam concilii est, quod ante finem tollatur de medio. Deinde decretum suspensionis concilii Tridentini (ut ex ultima ejus sessione constat) habet, ut transacto biennio vel ablatis causis celebrationem impedientibus censeatur denuo indicta ejus continuatio.[4] Quum igi-

[1] Deut. 32, 4.

[2] Is 46, 10: Consilium meum stabit.

[3] Act. 5, 34.

[4] Verba decreti suspensionis in sessione XVI. i. e. VI. sub Julio III. pontifice die 28. Aprilis 1552 publicati, quae huc faciunt, ita sonant: „Hujus oecumenici concilii Tridentini *progressum* per biennium suspendendum fore decernit (s. synodus), ea tamen lege, ut si citius pacata res sit . . ipsius concilii *progressus* eodemmet tempore suam vim, firmitatem vigoremque habere censeatur; sin autem, quod Deus avertat, peracto biennio praedicta legitima impedimenta non fuerint submota

Digitized by Google

tur tot causae sint servandi hoc decretum, et tam leves sint quae in oppositum afferuntur, injuria fit concilio, si rescindatur. Demum ratio ipsa ostendit, quod ubi quid bene et commode coeptum est, perficitur, quum perfici potest; ubi vero aliud simile opus priori non finito incipitur, signum est defectus rei prius incoeptae, quod late patet. Nam si fabrica vel vestis vel quodvis aliud opus artis bene coeptum est, perficitur. Et si, eo omisso, aliud simile incipitur, vel defectus est incipientis vel prius coepti operis. Qui viderint igitur novum concilium, omisso jam coepto, putare poterunt, illud fuisse mancum, quod in ejus injuriam cedit.

Ob has igitur rationes et similes putabam expedire indicere continuationem et non novum concilium.

2. Quia tamen pro novo concilio indicendo afferuntur nonnullae rationes, proponam, quae mihi occurrebant ad earum solutionem.

Imprimis igitur suadent novam concilii indictionem, quod imperator et rex christianissimus eam flagitant, quibus non est gratis displicendum in re hac. Responderem, illos esse catholicos principes, et ob id non ignorare, spectare ad summum pontificem et indictionem concilii et modum indicendi; ideo sinent se a Sua S^te^ doceri, quod non expediat tentare hanc rem, non visam in ecclesia, et ita contrariam jam definitis in Tridentino concilio; sicut etiam acquieverunt Suae S^ti^ in celebratione ipsius concilii et in loci electione; maxime quia ista precantur non jam propter se ipsos, quam propter populos sibi commissos; quibus abunde satisfactum erit, si ipsi indictionem novi concilii precati fuerint, licet eam non obtineant; maxime etiam quia fortassis non placebit regi catholico nec suis statibus haec novi concilii indictio.

quum primum cessaverint, *talis suspensio eo ipso sublata* esse intelligatur, ac suus vigor et robur concilio sit restitutum et esse intelligatur *sine alia nova concilii convocatione*, accedente ad hoc decretum consensu et auctoritate Sanctitatis suae et sanctae sedis apostolicae."

Digitized by Google

Ajunt, non venturos esse haereticos ad continuationem concilii, eo quod in illo major pars errorum ipsorum sit praedamnata. Dicerem, quod si ex praeteritis conjicienda sunt futura, potius juvabuntur haeretici continuatione quam nova indictione. Nam Graeci uniti sunt ecclesiae dum continuaretur concilium Florentinum. Ad continuationem etiam concilii Tridentini sub Julio venerunt aliqui Lutherani; et sperandum est, quod modo etiam veniant. Licet enim non sint mutanda definita, poterunt tamen super eis audiri et informari, sicut auditi sunt Donatistae et Luciferiani et Graeci et alii.[1] Iuvabit etiam ut veniant, quia articuli, de quibus maxime contendunt, nondum decisi sunt a synodo Tridentina, sed in eorum adventum dilati (ut ex sessione III. sub Julio constat)[2]. Hi vero articuli sunt de communione sub utraque specie et de missae sacrificio. Nec etiam tractatum est de ordine sacro, de conjugio sacerdotum, de sacramento matrimonii, purgatorio etc. Poterit quoque eis in aliquibus indulgeri, quae non erunt contra fidem et commune bonum. Ad concilium autem de novo incoeptum, priori nondum finito, nullus haereticus unquam venit, neque conversus est, quia nullum tale fuit. Et ita timendum est, quod ad hoc non bene coeptum concilium vel nemo veniat vel frustra veniat, quia saepe mala initia mali sequuntur exitus.

Dicunt imminere nobis periculum, si continuetur concilium, quia Lutherani arma sument ad id disturbandum. Dicerem, non id esse valde timendum, tum quia Deus magis aderit ecclesiae suae, si perstiterit in via patrum suorum nitens consummare quod aedificare jam coepit, quam si novas aggrediatur vias, tum etiam quia si olim, quum vigerent dissidia principum christianorum et quum Carolus Quintus inermis esset, armato in eum Mauricio, non potuerunt Lutherani disturbare concilium, quinimo quum

[1] De quaestione an et quomodo audiendi sint haeretici cf. infra Votum II.

[2] Vide „decretum prorogationis definitionis quatuor articulorum de sacramento Eucharistiae et salviconductus protestantibus dandi“ in illa sessione (quae est XIII. concilii) promulgatum.

Digitized by Google

id conarentur, ab unico duce comitatus Tirolis victi et fusi sunt, hodie in tanta omnium christianorum principum pace et unione et tanto illorum dissidio non est timendum eorum bellum; maxime quum semper fuerint victi a catholicis. Docet autem divus Cyprianus epistola ad Cornelium, quam non sint timendae minae haereticorum, dicens:[1] „Si qui autem sunt qui putant, se ad ecclesiam non precibus sed minis regredi posse, aut existimant, aditum se sibi non lamentationibus sed terroribus facere, pro certo habeant, contra tales clausam stare ecclesiam Domini, nec castra Christi invicta et fortia, et Domino tuente munita minis cedere. Sacerdos Dei evangelium tenens et Christi praecepta custodiens occidi potest, non potest vinci. Suggerit ac subministrat nobis exempla virtutis ac fidei Zacharias antistes Domini, qui, quum terreri minis et lapidatione non posset, in templo Dei occisus est, clamans et identidem dicens quod nos quoque contra haereticos clamamus et dicimus: ‚Haec dicit Dominus, dereliquistis vias Domini et Dominus derelinquet vos.'[2] Neque enim quia pauci temerarii et improbi coelestes et salutares vias Domini derelinquunt et sancta non agentes a Sancto Spiritu deseruntur, ideo et nos divinae traditionis immemores esse debemus, ut majora esse furentium scelera quam sacerdotum judicia censeamus, aut plus existimemus ad impugnandum posse humana conamina, quam quod ad protegendum praevalet divina tutela. An ad hoc, frater carissime, deponenda est ecclesiae catholicae dignitas et plebis intus positae fidelis atque incorrupta majestas, et sacerdotalis quoque auctoritas ac potestas, ut judicare velle se dicant de ecclesiae praeposito extra ecclesiam constituti, de Christiano haeretici, de sano saucii, de integro vulnerati, de stante lapsi, de judice rei, de sacerdote sacrilegi"?

Dicunt, scandalum praeberi mundo, si non acquiescat pontifex indictioni novi concilii, praesertim quum sic vel

[1] Est apud Migne Patrol. lat. 3, 795 ss. epist. XII. S. Cypriani ad Cornelium. Locus desumptus est ex capp. 17. et 18. col. 825 et 826.
[2] II. Paral. 24, 21.

Digitized by Google

sic indicere non sit juris divini. Respondeo quod quum S^tas^ Sua legitime procedit inhaerens vestigiis majorum suorum neminem scandalizat; et si quod oritur scandalum, est pharisaeorum. Potius autem scandalizaret relinquendo viam tritam ecclesiae cum ejus gravi damno et sine spe fructus. Et licet per se sic vel sic indicere non sit contra jus divinum, quum tamen illi adjanguntur tot damna et pericula, contra jus divinum et naturae est illa velle gratis subire, quia qui amat periculum peribit in illo.

Dicebant quidam domini juris periti, Suam S^tem^ posse pro libito vel continuare vel novum indicere. Responderem, in hac consultatione fideles consultores non tam considerare debere, quid liceat, quam quid expediat, quia multa facta tenent, quae melius non fierent.

Dicebant iidem domini, nihil praejudicari concilio Tridentino, quia nullum verbum sit in minuta, quod illi praejudicet. Responderem, aliqua mihi videri esse verba in hac minuta, quae illi praejudicent (de quibus postea dicam). Et licet nullum esset, ipsomet facto indicendi novum concilium illi praejudicatur; licet hoc non ita videant aliqui juris periti, quia non est eorum professio, nec ita vident technas haereticorum et praejudicia fidei; ideo in hac re (meo quidem judicio) potius standum est sententiae theologorum, licet inter hos quoque sit delectus habendus.

Ajunt, hac nova indictione non praejudicari concilio Tridentino, quia S^mus^ D. N. saepe fatetur, se nolle illi praejudicare, imo nixum fuisse, quum in minoribus esset, ut confirmaretur ab aliis pontificibus. Respondeo, non hoc sat esse; quia, quod S^mus^ dicit hac de re, private dicit et coram paucis; factum autem ipsum, de novo retractandi jam definita in ipso concilio, erit publicum. Quod quum constet esse in praejudicium concilii, videbitur protestatio contraria facto.

Ajunt, parum referre de novo incipere concilium, quia pauca decisa sunt in concilio Tridentino. Respondeo, longe plura esse definita, quam velit daemon et adversarii; quia dimidium facti qui bene coepit habet. Ultra multa autem

Digitized by Google

quae ibi de reformatione consultissime decisa sunt, circa dogmata fidei habemus optima jacta fundamenta et bonam partem aedificii. Nam in 3. sessione habemus symbolum, in 4. autem habemus libros canonicos confirmatos, quorum nonnullos negant haeretici, habemus traditiones ecclesiasticas et interpretationem scripturae juxta eas, et vulgatae editionis approbationem, quae plane fundamenta sunt haereticos jugulantia. In 5. sessione habemus integram doctrinam de peccato originali; in 6. decretum piissimum et doctissimum de justificatione, ubi continetur integra et plena doctrina de natura et gratia. In 7. sessione statuuntur in genere septem sacramenta ecclesiae, quod etiam maxime stabilit ecclesiam et jugulat haereticos. Tractatum etiam ibi est in particulari de sacramento baptismi et confirmationis. Rursus in 3. sessione sub Julio tractatum est docte et diffuse de sacramento eucharistiae, in 4. autem de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis. Non audiat igitur S^mus^ eos, qui sibi dicunt, pauca esse in concilio Tridentino tractata, et ideo parum referre, ut retractentur.

3. Ultimo ajunt, parum referre quod retractentur definita in concilio Tridentino, tum quia dubitatur an legitimum sit, quia multi non venerunt et fecerunt nescio quas protestationes, tum etiam quia ibi definita nullius sunt auctoritatis, quia non sunt confirmata a sede apostolica. Respondeo, nullum catholicum dubitare debere, quin concilium Tridentinum sit legitimum.

Nam indictum est ab eo, qui legitimam habet potestatem indicendi, hoc est a summo pontifice, qui illi per suos legatos praefuit. Causa indicendi fuit legitima, nempe extirpatio haeresum et reformatio ecclesiae. Locus item fuit aptus, sicut et tempus congruum. Interfuere etiam doctissimi et probatissimi episcopi et alii theologi et juris periti excellentes. Processerunt etiam legitime et cum timore Dei et diligenti rerum discussione et omni christiana libertate dicendi. Quodsi aliqui non venerunt, id fuit vel quia haeretici erant, et hoc ipso non habebant votum in concilio, vel quia inobedientes et contumaces fuerunt, vel quia habuere causas legitimas non veniendi; et utcunque

Digitized by Google

sit, sat fuit concilio vocare omnes jure vocandos et neminem excludere eorum, qui volebant et debebant venire. Qui enim, hoc facto, non veniunt, videntur cedere juri suo, et absentium potestas remanet in praesentibus licet paucis.

Quod rursus dicitur, decreta illa modicae aut nullius esse auctoritatis, non parva consideratione indiget, quia conciliis legitimis legitimeque procedentibus adest Spiritus Sanctus, et ab eo canones dictantur, praesertim qui fidei sunt; dicente scriptura: „Visum est Spiritui Sancto et nobis.“[1] Idem quoque dicunt jura capite Si ille 50. distinct.[2] et cap. Violatores 25. q. 1.[3] Non adest autem Spiritus Sanctus solum pontifici confirmanti; quia si tunc tantum adesset, concilia generalia humana quaedam essent inventa nec regerentur a Spiritu Sancto, neque merito ante confirmationem pontificis dicerent, se in Spiritu Sancto legitime esse congregata vel quid definire; quia posterior definitio pontificis non facit Spiritum Sanctum illis adfuisse, si vere non adfuit. Adest igitur Spiritus Sanctus ipsis conciliis legitime procedentibus et definientibus quae sunt fidei, etiam ante confirmationem. Si ergo adest Spiritus Sanctus, qui errare non potest, neque concilia talia legitima errare possunt legitime definiendo dogmata fidei.

Quomodo ergo parvae aut nullius erunt auctoritatis decreta concilii Tridentini de fide?

Praeterea nunquam pontifices reprobant decreta in generalibus conciliis, nisi quia vel non sunt legitime convocata, vel non legitime processerunt. Sic enim improbata est secunda synodus Ephesina[4], quia licet legitime

[1] Act XV, 28.

[2] Decretum Gratiani Pars I. Dist. L. cap. 58.: „quia quidquid contra illorum (conciliorum) definitionem, in quibus Spiritum sanctum credimus locutum, dictum fuerit, recipere, non solum temerarium sed etiam periculosum esse non dubito“.

[3] Decretum Gratiani Pars II. Causa 25., qu. 1. c. 5: . . (Spiritus sanctus) „cujus nisu et gratia sancti canones editi sunt“ etc.

[4] Latrocinium Ephesinum, pseudosynodus anni 449, sub Dioscuro patriarcha Alexandrino haeretico.

Digitized by Google

esset congregata et adessent legati apostolicae sedis, non tamen legitime processit, quia illata est vis episcopis. Illegitime quoque processit Ariminensis[1], quia fraudibus haereticorum seducti sunt simplices episcopi. Improbatum etiam est a Leone decretum concilii Chalcedonensis[2] de evehenda ecclesia Constantinopolitana in secundam sedem, quia non legitime in eo definiendo processum est, quum non ad hoc fuerint missi legati. Alia vero concilia legitima et legitime procedentia sine difficultate confirmata sunt a pontificibus, quia sciebant, hoc ipso quod essent legitima et legitime procederent, habere assistentiam Spiritus Sancti, etiam ante suam confirmationem, quia per eum „legum conditores justa decernunt“ (Prov. 8, 15).

Deinde episcopi, qui sunt in concilio, auctoritatem habent a sede apostolica, legati quoque ab eadem habent auctoritatem, et summus pontifex in ipsis et per eos praeest ipsi concilio, ut scribit Leo in epistola ad concilium Chalcedonense[3], et ad Anatolium[4], et Adrianus in epistola ad Basilium imperatorem[5]. Ideo legati in octava synodo subscribebant nomine pontificis, ut ex ejus actis constat[6]. Igitur definitiones, quae legitime fiunt in ipsis sessionibus conciliorum de rebus fidei, ab ipsa sede apostolica fiunt. Si igitur esset error, erraret sedes apostolica, et tunc erraret, quum maxime faceret quod in se est ne erret; quia procul dubio non potest pontifex maturius adhibere consilium, ne erret in rebus fidei, quam convocando

[1] Anno 359 in concilio Arimini celebrato Arianismus fraudibus confirmatus fuit.

[2] Leo I. Magnus contra canonem XXVIII. Chalcedonensem. Cf. ex. gr. epist. Leonis ad Anatolium apud Migne, Patrol. lat. 54, 1001.

[3] Epistola ad synodum, quae prius Nicaeae celebranda erat, missa. Exstat apud Migne P. L. 54, 935. (Jaffé Regesta Rom. Pontificum nr. 473)

[4] Migne P. L. 54, 934 (Jaffé nr. 471); cf. Migne l. c. 922. 926.

[5] Hadrianus II papa ad Basilium Migne P. L. 122, 1285 (Jaffé nr. 2914).

[6] Mansi Collectio conciliorum tom. XVI. Cf. Hefele Conciliengeschichte, 2. edit. IV, 384 ss. 425.

Digitized by Google

concilium generale. Quum igitur decreta concilii Tridentini prodeant a sede apostolica, magnae sunt auctoritatis.

Praeterea peculiariter dici possunt decreta concilii Tridentini esse re ipsa confirmata a sede apostolica licet nondum solemniter. Nam inprimis silentium quatuor pontificum, qui ea non improbarunt, tacita approbatio est, quia solebant pontifices statim improbare errorem illegitime approbatum a conciliis, quia error, cui non resistitur, approbatur. Aut igitur hi quatuor pontifices approbarunt errores concilii Tridentini, aut potius hoc silentio ostenderunt, id nullum continere errorem. Quod si quis dicat, quare igitur non approbarunt solemniter? facilis est responsio: quia non est moris ecclesiae, neque ratio etiam id patitur, ut concilia ante solemniter approbentur, quam finiantur; non finiuntur autem nisi adepto fine, ob quem indicta sunt; quia vero concilium Tridentinum indictum est ad extirpandas haereses et ecclesiam reformandam, donec hoc finitum sit, non debuit approbari. Esset enim hoc gratis et contra rationem irritare haereticos ne venirent ad concilium. Est etiam alia magis expressa confirmatio concilii Tridentini per sedem apostolicam, quia ad eam mittebantur decreta, et per eam serio discussa a deputatis, remittebantur promulganda in concilio. Neque id injuria fiebat; sic enim consuevit sedes apostolica praedefinire in conciliis decidenda, et sic fecisse feruntur Damasus in synodo Constantinopolitana, Coelestinus in prima Ephesina, Leo in Chalcedonensi; Felix, Hormisdas, et Agapetus in V. synodo, Honorius et Theodorus et Martinus in VI., Gregorius et Stephanus tertius in VII. et Nicolaus primus in VIII. synodo.[1]

[1] Innuuntur Damasi papae decreta contra Seminarianos et contra Apollinaristas, quae concilium Constantinopolitanum anni 381 praecedebant, Coelestini primi judicium contra Nestorium ante concilium Ephesinum anni 430, Leonis Magni epistola dogmatica ad Flavianum ante concilium Chalcedonense anni 451, Felicis III., Hormisdae et Agapeti acta in causa Monophysitismi ante concilium Constantinopolitanum anni 553, quod tamen in tribus capitulis potius Nestorianismum damnavit, quodsi respiceretur ad Agapeti epistolam de duabus naturis in Christo

Digitized by Google

Accedit etiam ad auctoritatem decretorum concilii Tridentini, quod prodierunt non solum a Spiritu Sancto et sede apostolica sed etiam a tot sanctis et doctissimis viris, episcopis et doctoribus, qui profecto hac in re organa fuere Spiritus Sancti; quod recepta sunt postea ab omnibus catholicis; quod praedicata e suggestis, lecta e cathedris, scripta in libris, invisa haereticis, qui ea frustra impugnare nisi sunt; quae per se tam pia sunt et docta, et quae tam multa et tam necessaria dogmata fidei continent, ut nesciam, quomodo magnae non sint auctoritatis, quomodo etiam liceat de eis dubitare vel dubitando de illis ea velle retractare sine magno Spiritus Sancti et sedis apostolicae et ecclesiae catholicae praejudicio, et sine magna laetitia haereticorum magnoque favore illorum sectae.

Opponet fortasse aliquis: Quid ergo opus est, ut pontifices confirment decreta conciliorum de fide, si per se ipsa tam firma sunt? Responderem, non ideo opus esse confirmatione sedis apostolicae, quod concilia generalia legitima et legitime procedentia errare possint in fide; hoc enim falsissimum est; sed ideo adhibetur confirmatio, ut honor habeatur sedi apostolicae, ut constet illam a decretis concilii non dissentire, et (quod magis ad rem facit) ut perspicuum etiam sit, concilia legitima esse legitimeque processisse, ac proinde errare minime potuisse. Quia enim concilia, etiam legitime convocata, errare possunt in fide, si legitime non procedunt, tum demum nobis plene constat, ea etiam legitime processisse, quum accedit confirmatio sedis apostolicae.

Ex dictis igitur constare mihi videtur, tutiorem esse viam continuationis, quam indictionis novi concilii, et id-

datam Anthemio episcopo, observandum esset, hanc non esse genuinam sed pseudoisidorianam; cf. Jaffé nr. 895); praeterea innuuntur Honorii I., Theodori et Martini I. decreta contra Monophysitismum praecedentia synodum Constantinopolitanam anni 680; Gregorii II, Gregorii III. et Stephani decreta pro tuendo imaginum cultu, qui postea a synodo Nicaena II. a. 787 confirmatus est, et Nicolai I. acta contra schisma orientalium ante synodum Constantinopolitanam anni 869.

Digitized by Google

circo illam praeeligendam esse a S^mo. Et haec dixerim de re ipsa.

4. De verbis autem ipsius minutae, displicebat in illis inprimis modus ille loquendi ambiguus et amphibologicus, ut nesciat facile lector, an velit S^mus continuare concilium, an vero novum indicere, an utrumque. Displicet autem iste modus, tum quia alienus videtur a mente S^mi, qui simplicitatem christianam diligit, sciens, scriptum esse: „Scio Domine, quod probes corda et simplicitatem diligas;“[1] tum etiam, quia si verba innuunt, de novo incipiendum esse concilium, et postea re ipsa continuatur, offendentur haeretici et dicent se delusos; catholici quoque, si illis innuitur continuatio, et postea non exhibetur, offendentur etiam, et ita timendum est, ne dum utrisque placere cupimus, utrisque displiceamus. Tum demum quia videtur sibi ipsi pugnans. Nam quum dicit, quod tollit suspensionem concilii Tridentini et quod illud revocat, videtur indicere continuationem, quum vero subjungit, quod concilium de integro indicit, videtur novum concilium polliceri, quae inter se pugnant; et ex his sequitur, duo generalia concilia esse simul, alterum quod continuatur, alterum quod incipitur; quod tamen esse non potest, quia sicut unica tantum est ecclesia et non plures, ita unicum est generale concilium et non plura simul.

In particulari etiam occurrebat, in primis circa illum locum: *uterque eorum id quidem celebrare instituerat in urbe Tridentina, ut omnes norunt, indictum et congregatum,* ut adderetur aliquid de felici etiam progressu concilii Tridentini, ne in ejus praejudicium putetur tantum indictum et congregatum.

Circa illud verbum *depositis odiis,* tollerem hoc, quia possunt principes christiani corde pacifico bella gerere, unoquoque tuente quam putat se habere justitiam.

Circa illum locum *sed melioribus ut speramus auspiciis,* et hoc etiam tollerem propter verbum ethnicum, et quia

[1] I. Paral. 29, 17.

Digitized by Google

videtur tacita suggillatio concilii Tridentini, in quo tamen legitimus est servatus processus; legitime etiam est coeptum et continuatum; interfuere etiam ibi magni viri jam defuncti, quibus qui vivunt non sunt comparandi; et si non bene incipitur est etiam locus timendi; si autem legitime inceperit et processerit, sperandum est in Domino, qui aderit suis; contra quos non praevalebunt adversarii, qui jam amiserunt suos coryphaeos et inter se divisi sunt.

Circa locum illum *de integro indicimus* omnino tollerem verbum illud *de integro,* ne insinuetur nova tractatio jam definitorum, et sit causa dissidii et tragoediarum. Nam juxta grammaticos *de integro* et *ab integro* idem significant quod denuo sive de novo, juxta illud Vergilii „Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo", et Terentii „Ratio de integro ineunda est mihi."

Circa illum locum *sententiam dicere jure communi aut ex privilegio,* interponerem *aut consuetudine* propter generales, quos ajunt non esse expressos in jure, sed ex consuetudine interesse concilio.

Et haec sunt, quae mihi occurrerunt circa rem ipsam et circa verba propositae minutae. Quae si liberius fortasse protuli, id egi et quia S^mus^ D. N. ita praecepit et quia conscientia et fidelitas, quam debeo et sacrosanctae sedi apostolicae et personae S^mi^ non sivit me in re tanta dissimulare; non autem quod non sim paratus veneranter suscipere decretum S^mi^ de hac re et illud cum Dei gratia pro virili tueri, quovis meo judicio deposito.

Digitized by Google

II.

An et quomodo audiendi sint in concilio haeretici, disputandumve sit cum eis.

Respondendum videtur, quod si haeretici omnino obstinati sunt et deplorati, non est disputandum cum eis, dicente Paulo: „Haereticum hominem post primam et secundam correctionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et . . proprio judicio condemnatus.“[1] Ideo Irenaeus ait: „Adversus omnes dico haereticos, eos quidem, qui sunt mitiores eorum et humaniores, avertes et confundes, ut non blasphement suum conditorem et factorem et nutritorem et dominum, nec de labe et ignorantia genesim ejus affingant; feroces autem et horribiles et irrationabiles effugabis a te longe, ne amplius sustineas verbositates eorum.“[2]

Cum aliis non ita obduratis agi potest disputatione, et audiri possunt et debent, licet contra jam definita disputent.

Sic enim cum Donatistis factum est, ut ex canone concilii Africani constat[3], licet ipsi contra jam definita errassent; asserebant enim, minorem Patre Filium, ut Isidorus ait in l. 8. Ethymologiarum c. 5.[4] et habetur c.

[1] Tit. 3, 10.

[2] Adversus haereses lib. 2. c. 31.

[3] Concilium Carthaginiense IX. a. 404 celebratum, can. 1. et 2.; Hefele Conciliengeschichte 2. edit. II, 98.

[4] Migne P. L. 83, 202.

Digitized by Google

Quidam 24. qu. 3.[1] Sic Eutyches auditus est in synodo Chalcedonensi[2] et Macarius in VI. synodo, quem etiam Benedictus papa per Bonifatium instruebat, ut habetur c. Convenientibus 1. qu. 7.[3] Sic Paulus Samosatenus auditus est in concilio Antiocheno. Sic enim de patribus illius concilii ait Eusebius l. 7. historiae ecclesiasticae c. 28[4]: „Igitur omnes saepius in unum coeuntes, Paulumque Samosatenum statuentes in medio, atque ejus haeresim, quam ille nunc occultare nunc etiam dissimulare conabatur, frequenti tractatu et assiduis disputationibus denudantes, arguere blasphemiam et publicare nitebantur. Nec tamen uno id aut secundo tantum concilio ad finem perducere potuerunt, sed conventum saepe est et absque operae pretio discessum.“ Haec ille, docens non solum uno concilio sed pluribus de eadem haeresi tractatum.

Graecorum etiam haeresis saepius tractata est et saepius cum eis de ea disputatum. Nam quum uniti essent ecclesiae Romanae sub Innocentio III., in concilio Lateranensi, rursus sub Gregorio X. auditi sunt in concilio Lugdunensi, et ab Eugenio in Florentino.

Ideo patres concilii Basiliensis cum audire vellent Hussitas, jam damnatos in concilio Constantiensi, recte ajunt: „Si quis objicit, quomodo jam judicatum iterum judicabitur? dicendum est, quod quum fiat ad salutem proximorum, non est incongruum idem repetere; professio enim fidei catholicae, facta in concilio Nicaeno, in pluribus sequentibus conciliis repetebatur. Quoties necesse est, toties mater ecclesia aperire debet os ad docendum et instruendum. Non omnes Spiritus S. eodem tempore illuminat, sed ubi vult et quando vult spirat. Qui in uno concilio illuminationem non acceperunt, forte accipient in alio; ideo necesse est saepe frequentare concilia, ut haeresis, quae

[1] Decreti Gratiani Pars II. c. 39. C. 24. qu. 3.

[2] Dicendum erat: Eutychiani auditi sunt, videl. in sessione quarta; cf. Hefele II, 457 ss.

[3] Decreti Grat. Pars II. c. 4. C. I. qu. 7 (ex synodi VII. act. 1).

[4] Edit. Vales. (Aug. Taurin. 1746) pag. 313.

Digitized by Google

in uno tolli non potest, tollatur in alio. Neque enim haeresis Ariana vel aliae eodem tempore exstinctae sunt."[1] Licet igitur disputare cum haereticis et audire eos disputantes etiam contra jam definita.

Sic etiam Christus dominus egit cum Saducaeis et Pharisaeis errantibus; sic Stephanus et divus Paulus cum Judaeis; sic Athanasius cum Ario; sic Origenes in concilio Arabes asserentes, animas cum corporibus interire et postea suscitandas, ad fidem convertit, teste Eusebio l. 6. historiae eccles. c. 37.[2] Sic etiam Apelles haereticus a Rhodone confusus est, eodem Eusebio teste l. 5. ejusdem historiae c. 13[3]; et innumeri haeretici ab Origene conversi. Capite quoque 33. libri 6. eundem Origenem convertisse ait Beryllum ad fidem[4]; quodque paene in causis talibus inauditum est, ita errorem ab ecclesia depulit, ut emendaret, non perderet, erroris auctorem. Eodem quoque Eusebio teste Dionysius Alexandriae episcopus disputatione convertit Millenarios. Sic enim ipse Dionysius ait in lib. de repromissionibus futuris: „Et ita evidens fuit assertionis nostrae probatio, ut is, qui inter eos maximus doctor et vitae meritis praestantior habebatur, Coracion nomine, surgens in medio, cunctis audientibus proclamaret et protestaretur, neminem debere ultra ejus doctrinae facere mentionem, sufficere quod erratum est."[5]

Licet autem audiri possint haeretici disputantes in conciliis, audiendi tamen sunt legitime; quod tunc fit, quum propter eorum vel astutias vel argutias nihil immutatur eorum, quae a patribus legitime de fide definita sunt. Hujusmodi enim definitiones, quae a Spiritu Sancto prodeunt, („qui non est quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius

[1] Conferatur epistola synodalis ad Bohemos data 15. Octobris 1431 apud Mansi 29, 233.

[2] Edit. Vales. pag. 260.

[3] Ibid. pag 194.

[4] Ibid. pag. 257.

[5] Historia Coracionis ita narratur ab Eusebio hist. eccles. lib. 7. cap. 24. pag. 308 ex deperdito libro Dionysii Alexandrini (quem hoc loco Lainez in textu falso Corinthium appellaverat).

Digitized by Google

hominis, ut mutetur“[1]), immutabiles sunt. Et qui eas ut dubias retractaret, revocaret omnes haereses, negaret etiam providentiam et assistentiam Dei erga ecclesiam et scripturas illam pollicentes.

Ideo patres summe abhorrent hujusmodi retractationes de rebus ante finitis, ut patet ex Gelasio in cap. Maiores 24. qu. 1.[2] Leo quoque epistola ad Leonem Augustum ait: Praenoscat igitur pietas vestra *etc.; locus supra p. 4 allegatus est.*

Concilium quoque quoddam Ariminense catholicum recte ajebat, scribens ad Constantium imperatorem, ut testatur historia tripartita l. 5. c. 21.: „Incongruum enim nefariumque videtur ex iis, quae recte justeque definita sunt, aliquid permutare, id est horum, quae Nicaeae communiter cum glorioso Constantino tuo patre et imperatore deliberata atque defixa sunt. Quorum doctrina atque sensus discurrit et praedicatus est in omnium hominum auditus atque mentes. Haec fides sola Arianam haeresim expugnavit et perdidit; per quam non illa solum, sed etiam reliquae haereses sunt damnatae. Cui vere et addere quidquam, incautum est, et auferre periculosum. Et siquidem horum alterum fiat, erit inimicis facultas agendi quae volent.“[3] Patres etiam synodi Chalcedonensis,[4] requisiti a Leone imperatore de definitis in concilio Chalcedonensi, rescripserunt, Chalcedonensem synodum usque ad sanguinem esse vindicandam, ut refert Liberatus archidiaconus Carthaginiensis in historia sua c. 15.

Audiendi igitur sunt haeretici in concilio, sed legitime audiendi et in concilio legitimo, ut doceri et erudiri possint, non autem ut mutentur bene statuta de fide.

[1] Num. 23. 19.

[2] Decretum Gratiani P. II. c. 2. C. 24. qu. 1. Ex epistola Gelasii papae ad episcopos Dardaniae, apud Thiel epist. Rom. Pontif. pag. 394.

[3] Migne P. L. 69. 101.

[4] Id est domum jam reversi (non vero *Aquilejensis* ut habet ms. nostrum). Liberati Breviarium c. 15., apud Migne P. L. 68, 1018.

Digitized by Google

III.

Quidnam sit definitum in concilio Tridentino et quid supersit definiendum etc.

Respondeo *etc. Quae hic habentur de rebus definitis jam in voto I. pag. 10 contenta sunt.* Et de his omnibus audiri possunt legitime Lutherani. Supersunt autem gravissimae materiae ex integro tractandae et definiendae, nempe de sacramentis ordinis et matrimonii, de communione sub utraque specie et de sacrificio missae et de conjugio sacerdotum, de indulgentiis et purgatorio, de veneratione sanctorum, de reliquiis et usu imaginum, de caeremoniis et cultu ecclesiastico, de ecclesia et ejus potestate.

Quibus omnibus adesse possunt protestantes.

Quaenam inconvenientia sequantur ex eo, quod nondum finito nec confirmato concilio Tridentino novum indicatur.

Respondeo breviter, multa esse. Nam inauditum et novum est hoc in ecclesia. Aperitur etiam ostium irritandi bene coepta concilia. . . *Quae sequuntur observationes supra pag. 2 ss latius expositae sunt.* Decreta quoque concilii Tridentini absque causa macula asperguntur, quae tamen multa sunt et pia et docta et a Spiritu Sancto procedentia, et a sede apostolica re ipsa approbata et ab omnibus catholicis, et solis haereticis invisa. Quorum argutiae, et aliorum etiam rationes pro novi concilii indictione facillime solvuntur. Ideo brevitatis causa eas omitto.

IV.

Quid censendum de Pii Papae IV. bulla celebrationis concilii Tridentini „Ad ecclesiae regimen“

de die 29. Novembris 1560.[1]

Responderem, quod antequam S^mus^ bullam promulgaret, licuisset christianum virum interrogatum censuram suam

[1] Bullarium Rom. edit Taurin. VII, 90.

Digitized by Google

libere proponere subjiciendo suum judicium sanctae sedi apostolicae. Postquam autem Sua S^tas^ jam decrevit et bullam promulgavit, tantum incumbit onus eam bene interpretandi et cum Dei gratia tuendi.

Si igitur adversarii objiciunt, ex hac bulla non constare, an Sua S^tas^ velit continuare concilium, an de novo indicere, respondendum videtur, mentem Suae S^tis^ esse piissimam, et ita eam concepisse bullam, ut omnes Christo lucraretur et neminem offenderet vel alienaret; facturam autem (quod ad hanc rem attinet), quod Spiritus Sanctus ipsi concilio legitime congregato suggesserit; neque oportere illi praefigere legem, sed potius ejus suggestionem et definitionem ab omnibus esse reverenter suscipiendam, sive de continuando concilio sive de novo incipiendo. Quia quidquid ibi fiet, legitime cum Dei gratia fiet.

Cavendum autem est, meo quidem judicio, ne detur spes certa Lutheranis de novo incipiendi concilium, ne si continuetur, magis ab ecclesia alienentur, conquerantur se delusos et novas excitent tragoedias. Sat erit igitur illis innuere quod audientur legitime et quod quoad continuationem vel inceptionem fiet quidquid visum fuerit Spiritui Sancto per legitimum concilium loquenti.

Facile quoque erit hujusmodi hominibus ostendere, nihil esse in bulla, quod omnino repugnet novae indictioni. Nam quod dicitur *eadem concilii via etc.* ad novum concilium referri potest; eandem siquidem viam tenuerunt varia concilia legitima. Et consequenter quod dicitur *celebrationem ejus non esse duximus diutius differendam,* illud *ejus* ad concilium in genere referri potest et non necessario ad concilium Tridentinum coeptum. Quod etiam subjungitur *sublata suspensione quacunque,* licet innuat continuationem, tamen potest etiam intelligi auferri suspensionem h. e. invalidari, ne teneamur ad continuationem, ut decretum ultimum concilii Tridentini ajebat. Si autem quaerant adversarii, quibus legibus et conditionibus debeat conveniri in concilium, respondendum est, has leges praefigendas esse ab ipso Spiritu Sancto, qui aderit legitimo concilio; ideo non esse illum docendum vel praejudicium illi facien-

Digitized by Google

dum, sed tandum curandum, ut animo puro et sincero amicoque pacis et dissensionum inimico illuc conveniatur; et ibi curandum, ut futuro concilio nulla desit conditio solita et necessaria conciliis legitimis, quae si deessent, procul dubio legitimum non esset ac proinde errare posset. Idemque respondendum est, si quaerant, quomodo sint audiendi, et an habituri suffragium, et an solis scripturis sit agendum, et an pontifex futurus sit judex in concilio. Omnium enim horum et similium dubiorum resolutio rejicienda est ad concilium; quia si, ut fide tenemus, adest illi Spiritus Sanctus, optime haec omnia definiet; si autem via humana haec dissidia componenda essent, adhuc ob conventum tantorum proborum et prudentium virorum poterunt ista ibi melius componi, quam privatim agendo.

Et dum ista vel alia tractantur cum his hominibus, suaviter agendum est simul et fortiter, habendo Dei timorem et honorem prae oculis et in veritate vitae et doctrinae coram eo procedendo, omnem fiduciam in eo collocando et nullam in se ipso vel in technis et artibus humanis. Aliis quoque, qui omnino vellent continuationem concilii Tridentini, bona spes est porrigenda, ostendendumque illis est, nihil esse in bulla, quod continuationi repugnet, sed potius multa esse, quae illam innuant, qualia sunt quae jam tetigimus, et etiam illa: *ut tantum ecclesiae commodum, quod prorsus auferre non poterat, saltem quam diutissime retardaret.* Et tamen ii quoque ad concilium sunt remittendi, in quo docebit Spiritus Sanctus, quid facto opus sit. Et haec obiter occurrerunt circa bullam.

Curabit quoque, ut spero, Dominatio vestra R^ma^, ut principes protestantes, si aliquos missuri sunt ad concilium, eligant viros doctos et mites et pacis amatores, et non furiosos et seditiosos. Illos etiam poterit allicere et movere Dominatio V., ut juvent principes suos.

Recurrat etiam crebro ad Dominum, frequenter celebrando mendicetque orationem a locis piis ducatque secum honestam familiam, quae habeat mundos lumbos et puras manus. Et Dominus sit cum illa et dirigat gressus ejus in viam pacis.

Digitized by Google

V.

Consultatio de calice laicis porrigendo.

[Caput I.

1. Quia in sessione praecedenti deliberata fuerat examinatio gravis cujusdam dubii, quo petebatur, an calicis usus laicis possit concedi, ut in sequenti dubium hoc definiretur, die 28. Augusti[1] 1562 proposuerunt illustrissimi legati congregationi patrum generali dubium hoc in hunc qui sequitur modum:

Articuli duo, super quibus patres dicent sententias. I. An communio sub utraque specie petita nomine sacrae caesareae majestatis pro sacro Romano imperio totaque Germania, pro regnis Hungariae et Bohemiae, ac etiam ducatu Austriae, et aliis provinciis et dominiis ad eamdem pertinentibus, sit a sancta synodo concedenda sub infra scriptis conditionibus.

Primo, ut sub utraque specie communicare volentes, in reliquis omnibus, tam quoad sacramentum hoc, quam cetera sacramenta, item in quacumque materia quoad fidem, doctrinam ritumque conveniant, corde et oris confessione, cum iis omnibus quae a sancta Romana ecclesia sunt recepta; nec non decreta omnia hujus sanctae synodi, tam promulgata quam promulganda, religiose admittant et observent.

Secundo, ut pastores dictarum nationum et concionatores credant et doceant, consuetudinem ab ecclesia probatam et diu observatam, videlicet communicandi sub altera tantum specie, non esse alienam a divino jure, imo laudabilem, et tamquam legem observandam, nisi ab ecclesia aliter statuatur, quodque aliter pertinaciter sentientes haeretici sint censendi; nec aliis dent hanc communionem sub utraque specie, nisi qui crediderint hanc veritatem et eam confessi fuerint.

Tertio, quod sanctissimo domino nostro papae, ut legitimo universalis ecclesiae episcopo et pastori, debeant fideli animo et sincero, ut reverentes filii, omnem obedientiam et reverentiam exhibere.

Quarto, quod archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis suis similiter debitam obedientiam et reverentiam praestent.

[1] Loco hujus diei legitur tam in codice Romano (= R.) quam in Monacensi (= M.) die — Septembris. Correctionem desumpsimus ex Theiner, Acta concilii Trid. II, 96.

Digitized by Google

Quinto, ut hic usus calicis eis tantum permittatur, qui contriti et confessi fuerint juxta catholicae ecclesiae consuetudinem.

Item, ut ordinarii quam diligentissime omnibus cautionibus provideant, ne in administratione sanguinis aliquod sacrilegium aut profanatio admittatur; super quibus omnibus eorum conscientia oneratur.

II. An sit danda haec facultas archiepiscopis et episcopis dictorum locorum, ut unusquisque eorum tamquam delegatus sedis apostolicae possit committere curatis ecclesiarum, existentibus in eorum dioecesibus, ut communicent petentes sub utraque specie in dictis ecclesiis tantum, sub conditionibus tamen suprascriptis.

2. Libenter plane, illustrissimi et reverendissimi domini et patres sanctissimi, ego postremo loco dico, tum quia sic mihi majus tempus conceditur, ut meditari possim quae responsurus sum ad tam arduam quaestionem, tum etiam quia audiens tot optimos et sapientissimos patres, qui ante me dicunt[1], multa ab eis disco, quibus res, quae controvertitur, illustratur et clarior mihi redditur.

Ex hac ergo tot doctissimorum patrum collatione de re proposita[2] duo collegi, nempe summam eorum concordiam et summam etiam dissonantiam. Concordia quidem fuit in voluntate. Omnes enim cupiunt in hac deliberatione Deo optimo maximo placere et saluti eorum, pro quibus haec petitio fit, consulere, praesertim quum, ut id fiat, optet sua sanctitas, petant illustrissimi legati, et contendant oratores tam suae majestatis quam illustrissimi ducis. In hac ergo voluntate absque dubio concordes sunt omnes patres pro charitate, quam a Deo receperunt, qua divinam gloriam et proximorum salutem cupiunt. Ad quam si conferre putarent usum calicis, absque dubio illum promptissime concederent, praesertim quum ex ejus negatione nullam utilitatem consequantur, nullum honorem, a nullo etiam labore liberentur. Eisdem siquidem expensis, quibus ablutio[3] vini populis porrigitur, porrigeretur vinum consecratum, quod eisdem verbis consecraretur, quibus consecratur nunc illud, quod sacerdos sumit. Eodem etiam labore, quo porrigitur

[1] M. *dixerunt.*
[2] M. *perplexa.*
[3] M. *oblatio.*

Digitized by Google

non consecrátum populis, porrigeretur consecratum. Et liberarentur sacerdotes a molestiis, injuriis et damnis, quae patiuntur a plebibus importune calicem desiderantibus seu petentibus. Sancta quoque synodus, id concedens, gratiam caesaris et ducis Bavariae et oratorum eorum[1] et sanctissimi domini nostri et legatorum ejus sibi magis conciliaret acquiescendo eorum petitioni, et simul eximeretur a metu incurrendi indignationem tantorum principum.

Non licet igitur suspicari, quod tot et tanti patres, qui hanc concessionem usus calicis non probant, id faciant ob defectum voluntatis. Esset enim hoc invidere fraternae gratiae et gratis odium et invidiam et ingentia pericula velle subire. Ideo in voluntate procul dubio conformes sunt, nec licet absque temeritate ac Dei et proximorum offensione contrarium judicare.

3. Ut autem summam vidi concordiam in patrum omnium voluntate, ita summa fuit dissonantia in ratione. Aliquibus enim videbatur, negotium hoc non esse tractandum in concilio, sed ad sanctissimum dominum nostrum integrum referendum; aliis vero, tractandum quidem esse in concilio, sed non modo, reservandum potius esse in aliud tempus. Hi vero, quibus videbatur, hoc tempore et in concilio esse tractandum, summe etiam variarunt, quibusdam dicentibus, concedendum esse usum calicis omnibus, aliis vero, nulli, aliis, quibusdam tantum; et inter hos dicebant alii, solis Bohemis concedendum, alii, etiam Hungaris, alii, etiam[2] Germanis. Nec minor fuit diversitas circa conditiones, sub quibus concedendus erat calix. Aliqui enim probarunt conditiones propositas; alii vero varias addiderunt, alii detraxerunt. In eo etiam, per quem negotium esset transigendum, fuit discrimen. Quidam enim putabant, per concilium hoc negotium esse tractandum; alii vero, per summum pontificem; alii demum, debere per concilium remitti ad summum pontificem, ut per se ipsum id negotium expediret, vel concilio injungeret expeditionem.

[1] R. *suorum*.
[2] R. *demum*.

Digitized by Google

Nata est autem haec diversitas tum ex rei, de qua tractatur, materia, quae varia est, et ideo hinc inde varias probabiles rationes admittit, tum ex infirmitate nostra, qua fit, ut quemadmodum complexione et organis diversi sumus, ita etiam intellectu et affectu differamus, quia organis in hac peregrinatione utimur. In coelo igitur summa concordia erit intellectus et voluntatis; in hac vero peregrinatione mali quidem saepe dissentiunt et intellectu et voluntate, boni vero in voluntate quidem conveniunt, quia, quod vere bonum est, omnes cupiunt, alioquin non essent boni, intellectu vero differunt, quia aliis alia videntur et aliter, quum omne quod recipitur per modum recipientis recipiatur. Inde est quod dissenserunt Paulus et Barnabas; dissenserunt quoque doctores sive antiqui sive neoterici in quavis facultate; omnes tamen veritatem quaerebant et verum se docere putabant, si mali et ficti non erant. Inde ergo puto esse natam diversitatem inter hos patres, alioquin in voluntate concordes.

4. Ut ergo in re tam varia dicam, quod sentio, puto, totam hanc[1] tractationem ex discussione duorum dubiorum pendere. Alterum est, an concedendus sit usus calicis vel omnibus vel aliquibus, an non. Secundum est, si concedendus est, an concedendus sit per summum pontificem, an per concilium.

Caput II.

5. Et ut ad secundum dubium, quod facilius mihi videtur, respondeam, dicerem: Quod si calix universaliter omnibus esset concedendus, meo quidem judicio concessio facienda esset per concilium.

Primo quia ut universaliter concedatur, abroganda est lex concilii Constantiensis, qua prohibetur occidentalibus non sacrificantibus usus calicis; lex autem universalis concilii, quum concilium est congregatum, decentius abrogatur ex consensu vel decreto concilii, quam per solum pontificem. — Secundo quia quod attinet ad consultationem et discus-

[1] R. *sane*.

Digitized by Google

sionem praeviam, an sint abroganda decreta, papa magis facit quod in se est, consulens concilium actu congregatum, quam consulens tantum cardinales vel sapientes, quos apud se habet in curia; nam in concilium universale confluunt episcopi et sapientes totius ecclesiae, qui securius possunt communiter consulere, quam soli curiales. — Tertio quia populi suavius et quietius admittent abrogationem per pontificem cum concilio factam, quam per solum pontificem; quia licet tota auctoritas episcoporum concilii pendeat a papa et ipse pontifex per eos decernat, majorem tamen habet gratiam et auctoritatem apud populos, quod summus pontifex decernat per tot sapientes, qui etiam debent juvare executionem, quam quod solus decernit. — Quarto quia ubi pontifex magis facit quod in se est, consulens sapientiores, et ubi eligit eum modum decernendi[1], qui majorem habebit gratiam et executionem, ibi magis assistet Spiritus sanctus, ne errent.

6. Si autem concessio calicis facienda est solum aliquibus vel nationibus vel personis per viam dispensationis vel privilegii, tunc dicerem, convenientius esse, ut per summum pontificem fieret.

Primo quia ipsius tribunal est fixum et perpetuum, et ad id tamquam ad vivam legem spectat curare legum executionem vel earum relaxationem vel dispensationem, et non ad concilium, quod non congregatur, ut particulares dispensationes faciat, sed ut tractet de pertinentibus ad universalem ecclesiam. — Secundo quia summus pontifex commodius poterit mittere legatos ad eos, quibus est concedendus calix, ut ad suam sanctitatem de dispositione illorum referant et perspiciant, an idonei sint ad communionem suscipiendam, ac vere conversi ab erroribus et in obedientia, an potius pertinaces sint et ficti, ut solent haeretici. — Tertio quia, si summus pontifex concedit dispensationem, quum viderit, eos non servare conditiones et perstare in suis haeresibus, poterit dispensationem revocare. Si autem concilium eam concesserit, licet haeretici nil tri-

[1] M. et R. mendose *discernendi*.

Digitized by Google

buant auctoritati papae vel concilii, fingent tamen, se credere concilio, et non patientur sibi auferri calicem, nisi per concilium; quod quia congregari facile non potest retinebunt calicem, non servatis conditionibus, et ita manebunt in perpetuo sacrilegio. — Quarto quia, ut experientia nos docuit, difficillimum est, ut tot viri, quot sunt in concilio, in re tam varia et quae ex tot circumstantiis et eventibus pendet, possint convenire; quia quot capita tot sensus, imo unus et idem subinde mutat judicium de eadem re, ita ut a multis audiverim episcopis, quod, quo magis res tractabatur, eo majorem ad judicandum confusionem in se sentiebant. Commodius igitur sua sanctitas cum paucis poterit ea de re statuere, intellectis prius potissimis hinc inde suffragiis istorum patrum; quia quum res haec facti sit, et non juris nec fidei, potest etiam concilium in ea definienda errare; ideo sua sanctitas non tenetur sequi plura suffragia, sed meliora et saniora.

Et haec de secundo dubio, cujus responsionis summa est, quod concessio universalis calicis decentius fieret per concilium, particularis vero dispensatio per pontificem, si tamen fieri deberet.

Caput III.

7. Primum et difficilius dubium est, an debeat usus calicis concedi omnibus, qui illum voluerint, abrogando legem concilii Constantiensis, an aliquibus sub certis conditionibus et per viam dispensationis illius legis, an vero nulli.

8. Ad quod, ut quod sentiam, respondeam, occurrit primum considerandum, quid in hac quaestione definiri possit tamquam certum et de fide tenendum, quid vero solum tamquam probabile et non de fide.

Et meo quidem judicio fide tenendum est, quod uterque ritus, sive alterius speciei sive utriusque, secluso jure positivo, stante jure divino et naturali, licitus et sanctus est. Et ita, sive concilium sive pontifex hoc vel illo utendum consuerit, licitum ritum semper concedit. Et popu-

Digitized by Google

lus, qui sincere hoc vel illo ritu usus fuerit, facta concessione, non peccabit. Censens etiam, hoc vel illo ritu utendum, non peccat, modo legitime censeat. Quod autem hoc ita sit, constat.

Nam usus utriusque speciei probatus fuit a Christo et ab apostolis et a primitiva ecclesia, quia illo usi sunt. In posteriori etiam ecclesia multi[1] Latini et Occidentales eo utebantur ante cóncilium Constantiense. Graeci quoque et alii christiani orientales licite eo utuntur, quantum est ex parte ritus. Et ideo licet saepe uniti sint cum ecclesia occidentali, nunquam fuit illis interdictus illius usus. Ideo[2] falso dicitur, quod usus calicis habeat peccatum annexum vel sacrilegium propter periculum effusionis. Quia si annexum haberet peccatum, nec Christus dominus nec apostoli in primitiva ecclesia nec orientalis nec occidentalis ecclesia ante concilium Constantiense nec orientalis hodie in non celebrantibus uteretur.

Et si adhibetur diligentia conveniens, licet effunderetur sanguis, nullum esset peccatum; quia ut Christus in eucharistia in se ipso pati non potest, vel foedari luto vel comburi igne vel tangi, ita nec corpus Christi vel sanguis in eucharistia; sed haec omnia accidunt ipsis speciebus. Ideo ex parte Christi non est periculum. Ex parte vero nostra nulla potest esse irreverentia vel sacrilegium vel denique peccatum absque nostra voluntate. Qui autem non vult peccare et diligentiam convenientem adhibet (quae non est infinita nec impossibilis), procul dubio non peccat, sive ministrans sive sumens calicem. Ideo quidquid accidat, non est peccatum, sive in administratione alterius speciei sive utriusque accidat, sive sacerdoti sive laico accidat.

Falsum quoque est, quod dicunt, necessario debere tempus communionis prorogari, si calix ministretur, tum quia Graeci totam plebem communicant uno die, sicut nos

[1] M. *multum*.
[2] R. *Atque ita*.

Digitized by Google

populis damus ablutionem, tum quia Fabianus papa ter in anno totum populum communicari jussit, sub utraque specie, ut probabilius est.

9. Ritus etiam communicandi sub altera specie licitus tenendus est, et quidem de fide, quia Christus illo usus creditur, communicans illos, qui ibant in Emmaus, et, ut ex historia ecclesiastica constat, multi sancti eo sunt usi. Graeci quoque erga aegrotos et abstemios illo hodie utuntur. Ecclesia quoque occidentalis adeo isto ritu communicandi sub altera est usa, ut sensim ex sola consuetudine absque aliquo tumultu vel violentia, quae ex historiis constet, eum universaliter sit amplexa. Quam postea consuetudinem universale concilium Constantiense lege sua firmavit.

De fide igitur tenendum est, quod hic et ille ritus licitus sit, cessante jure positivo. Quod etiam confirmatur, quia ecclesia, ut non potest errare in definiendis iis, quae fidei sunt, ob divinam assistentiam et promissionem, ita etiam errare non potest in definiendo de moribus et discernendo cultu vero a falso. Quum igitur ecclesia et facto et doctrina probaverit utrumque tamquam licitum, utrumvis definiat, fide credendum est, quod sit licitus. Et consequenter, qui ritu ita ab ecclesia probato uteretur, non peccaret, nec ecclesia in definiendo utrumvis licitum peccaret, quia vere[1] definiret, quid tantum sit probabile decernendo[2] ritum utriusque vel alterius speciei.

10. Sed in praesentiarum non est ista quaestio. Non enim est dubium, quin cessante jure positivo uterque ritus licitus sit. Sed id quod controvertitur est, an sit expediens occidentali ecclesiae, ritum communicandi sub altera specie, in ea longa consuetudine et lege probatum, vel universaliter abrogare, vel cum aliquibus dispensare, ut eo non utantur, sed adhibeant etiam usum calicis.

Et quia hoc non spectat ad fidem, sed est quaestio de facto, an hic et nunc, sub his vel illis conditionibus,

[1] M. *vera.*

[2] M. et R. habent rursus *discernendo.*

Digitized by Google

cum his vel illis personis dispensandum sit, ut utantur calice, ideo ecclesia in hoc et huic similibus rebus errare potest, ut ex experientia constat et ex patrum sententia. Ideo enim mutantur statuta, quia saepe, quae bono animo sancita sunt, et magis expedientia bona fide judicata, experientia postea ostendit non expedire. Ideo Augustinus dicebat, concilia universalia priora corrigi solere per universalia posteriora.

Quod si quis quaerat, quare Deus assistat, ne ecclesia erret in definiendo quae fidei et morum sunt, non autem assistat[1], ut semper magis expedientia statuantur, vel in his, quae sunt facti, non erret, respondendum est: Deum assistere in definiendo de fide vel moribus, ita ut ecclesia non erret, quia si eam in hoc derelinqueret et errare sineret, perpetuo maneret in errore, et Deum in mendacio coleret; quia si semel exempli gratia definiretur, vel Deum non esse trinum in personis, vel facere eleemosinam esse opus per se malum, semper ita crederemus, nec semel credita retractaremus, quia crederemus, id Deum dixisse, qui non potest mentiri; et quod semel verum fuit, perpetuo est verum; sicut quia semel definitum est, Deum esse trinum et unum, et eleemosinam esse opus ex genere[2] bonum, semper id verum est, et ita esse verum credimus. In statutis autem et in his, quae sunt facti, non ita res habet, quia si quid revera minus expediens ut expediens[3] statuatur[4], ipsa experientia et tempus nos docent, id non expedire et mutandum esse statutum; interim autem, dum non docemur, sine periculo sumus, quia non tenemur id facere, quod est magis expediens, sed sufficit ad salutem, ut faciamus, quod facere licet, quamvis minus expediens sit: unde quum superiores bona fide et adhibita convenienti diligentia condunt aliquod statutum tanquam expediens, licet revera non expediat, nec ipsi peccarunt, quia,

[1] Verba *ne ecclesia* usque ad *assistat* desunt in M.
[2] *Ex genere* deest in R.
[3] *Ut expediens* deest in M.
[4] R. *statuerit*.

Digitized by Google

quod in se est, fecerunt, nec peccant subditi, qui illis parent, quia rem licitam, licet minus expedientem, faciunt, et ex obedientia eam faciunt.

11. Quum[1] ergo quaestio hic sit non de ritu calicis, an sit licitus (in quo definiendo ecclesia non posset errare), sed an sit expediens, omnibus vel aliquibus illum concedi (in quo ecclesia errare poterit), sequitur, quod in quaestione hac decidenda non possumus irrefragabilibus argumentis uti, sed tantum probabilibus, quum materia ipsa nec demonstrationem patiatur, quia probabilis est, nec fidem, quia non habemus assistentiam Spiritus sancti nec revelationem ordinariam. In probabilibus autem ille melius deliberat, qui, facta diligentia convenienti, probabiliorem eligit sententiam, qualiscunque eventus ex illa electione sequatur; quia Deus non obligat homines ad majorem certitudinem in hujusmodi rebus, neque exigit, ut futuros et contingentes eventus divinent.

Hoc igitur fundamento posito dico ad dubium respondendo, mihi videri partem negativam meliorem esse, tutiusque esse, neque abrogare legem concilii Constantiensis de communione sub altera specie, nec in illa cum eis, de quibus dubium proponitur, dispensare[2].

Caput IV.

12. Et primo, quod non expediat abrogare eam legem (Constantiensem) et cuique volenti tribuere facultatem utendi calice, multiplici ratione probatur.

Primo quia, quum ritus communicandi sub altera specie licitus sit et consuetudine et lege firmatus, non affertur alia causa legem illam abrogandi, nisi quia multi septentrionales peccant et pereunt non ei parendo, dum vel nolunt communicare sub altera specie, vel male communi-

[1] Ad initium hujus incisi Lainez in ms. R. verba sequentia manu sua adjecit: *In dubio principali tantum probabiliter procedi potest.*

[2] R. in margine: *Non expedit abrogare legem de communione sub altera specie.*

Digitized by Google

cant, quia contra conscientiam id agunt, quum putent, illum ritum illicitum et usum utriusque speciei necessarium jure divino. Sed Deus non abrogat leges propter peccata aliquorum eas violantium. Ergo nec ecclesia debet istam legem abrogare Deum imitando.

Quod autem Deus non abroget leges suas ob peccata non parentium, constat; quia multi sunt idololatrae, multi blasphemi, multi homicidae, multi denique peccantes contra praecepta moralia, quae tamen Deus propterea non abrogat, sed vult, ut fixa permaneant. Nec solum illa vult fixa, sed quamdiu duravit lex Moysis, voluit, ut praecepta caeremonialia et judicialia fixa permanerent, licet multi illa violarent. In lege etiam gratiae vult, ut serventur divina praecepta positiva, qualia sunt praecepta de baptismo et confessione et communione, quum tamen multi ea violent. Et merito quidem id vult Deus, quia suus honor, ad quem spectat, ut se optimum legislatorem ostendat, tradendo necessaria et convenientia praecepta hominibus, praeferendus est eorum saluti, qui salutem respuunt, et perire volunt, nolentes obedire. Salus etiam obedientium non est praetermittenda ob perditionem spontaneam impiorum, quia, ut scriptura ait, „melior est unus timens Deum quam mille filii impii“[1], et non est Deo necessaria multitudo infidelium filiorum et inutilium, sed complacet sibi in filiis gratia sua sibi obtemperantibus, quibus ait in Isaia: „Ego dominus docens te utilia et gubernans te in via“[2].

13. Secundo. Ecclesia, Deum sequens, propter violatores suarum legum, durante ratione legis, non solet leges suas abrogare. Nam lege lata per apostolos, ne conversi ad fidem ex gentibus tenerentur observare legalia, nec ad horam voluit Paulus cedere Judaizantibus vel permittere, ut gentiles privarentur sua libertate, sed dicebat Galatis[3]:

[1] Ecclus. 16, 3.

[2] Isaias 48, 17.

[3] Galat 5, 4. Locus tamen ita sonat: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini; a gratia excidistis.*

Digitized by Google

„A Christo excidistis, qui in lege justificamini“. Transacto etiam tempore, quo legalia mortua erant, et non mortifera, conversis ex Judaismo non permisit[1] legalium usum. Non cessit Tessareskaidekatitis[2] volentibus celebrare pascha eo die, quo id celebrabant Judaei, nec Donatistis, qui contra ecclesiae consuetudinem volebant rebaptizare baptizatos ab haereticis. Et tamen tam legalia quam iteratio baptismi tolerari poterant, modo in eis fiducia non poneretur, nec crederentur necessaria vel utilia ad salutem, sed tamquam mos quidam patrius observarentur, sicut Aethiopes hodie quaedam legalia observant et quotannis baptizantur, neque damnantur ob ista, quia non putant, se his justificari. Et tamen Paulus, ut diximus, nec sic voluit ista observari, sed omnino aboleri.

Merito autem ita servat ecclesia suas leges positivas, earum ratione durante. Quia si propter peccantes abrogaret jus positivum, communiter in desuetudinem veniret divinum jus. Nam praecepta positiva non sunt áliud, quam determinatio quaedam divini juris. Deus enim in genere jubet orare, ecclesia vero jubet in festis orare; Deus jubet poenitere et communionem sumere et mortificare carnem; ecclesia jubet, ut poeniteant et communicent saltem circa pascha, et ut jejunent et abstineant a carnibus certis diebus. Et quia in moralibus sermones particulares utiliores sunt, quia praxis est circa singularia, ideo vulgus et rudes homines et etiam ingeniosi (si non haberent magnam charitatem), si ista ecclesiae praecepta particularia non haberent, non servarent communia praecepta divina. Sicuti neque aeger curaretur, si medicus in universum diceret: Utere calidis et lenientibus et laxantibus, et non descenderet ad particularia calida, lenientia, laxantia, docens etiam modum ea applicandi. Si igitur ecclesia praecepta sua laxaret, non solum ea non observarentur, sed neque divina communiter loquendo, quod summum esset detrimentum. Idcirco neque hanc legem abrogare debet.

[1] Supplendum *ecclesia*.

[2] J. e. Quartodecimani.

Digitized by Google

Tertio. Saeculares principes propter peccantes non laxant suas leges, nisi sint valde nocivae, quia ex facili relaxatione legum populi discunt non obedire et licentia fiunt deteriores. Ergo quum ecclesia idem sequatur, non debet ipsa propter peccantes suas leges abolere.

14. Quarto. Ista lex de communione sub altera specie lata fuit, quia modus ministrandi speciem solam panis est securior et utilior[1], quum non sit ibi periculum effusionis sanguinis, nec acedinis specierum vini, quod abstemii et alioquin aegri horrent et in multis regionibus non invenitur. Lata etiam fuit contra haeresim dicentium, hunc ritum non esse licitum, scilicet in una specie totum Christum non contineri; hanc enim haeresim censuit ecclesia confundendam non solum verbis sed etiam facto, sub altera specie communicando, quoniam fidem non solum verbis sed factis confiteri debemus et haeresim negare. Quum igitur eaedem causae hodie sint et fortassis majores, et quia haeresis latius patet et periculum irreverentiae, quia minus timemus et amamus Deum, quam nostri majores, sequitur, quod durat ratio legis. Ideo lex debet durare. Vel confitendum esset, ecclesiam imprudenter et absque causa legem tulisse. Et e contrario, si lex tunc ex causis lata est, quum modo sint eaedem causae, nonnisi imprudenter et absque causa hodie tolleretur.

15. Quinto. Si abrogatur haec lex, quia ritus communicandi sub altera specie non potest damnari, necesse est, ut relinquatur optio popularis, ut eligant ritum hunc vel illum, ex quo maxima confusio sequeretur. Nam quum ubique sint factiones contrariae, hoc ipso, quod una factio utramque speciem eliget, reliqua eliget alteram. Imo in eadem domo, sicut erunt diversae mentes, ita diversae electiones, et in eodem altari sacerdos idem his dabit utramque speciem, aliis alteram. Et ita abutemur sacramento communionis in dissidium, et id facimus symbolum factionis et dissensionis contra ejus institutionem, quia „unus

[1] R. *universalior.*

Digitized by Google

panis, unum corpus multi sumus, quotquot de uno pane, et de uno calice participamus“[1].

Sexto. Principibus et episcopis ac aliis pastoribus catholicis fieret injuria, si sine eorum consensu haec lex abrogaretur, qui habent populos quietos et contentos hoc ritu alterius speciei. Qui communicarent, ablata hac lege, aut enim inclinarent in factionem haereticorum, putantes, illos in hoc et in aliis veritatem tenere, et ecclesiam et ejus pastores errare; aut si odio haberent haereticos, et illis essent vicini, contra illos tumultuarentur, scilicet zelantes ritum alterius speciei, et ita mutata religione periculum esset, ne status temporales mutarentur. Et ita ob incertam spem lucrandi paucos, multos certe amitteremus ob novitatum studia.

Septimo. Plures sunt catholici, qui ritum antiquum, consuetudine ecclesiae firmatum, communicandi sub altera specie retinent; pauci vero sunt, qui ab isto eodem ritu sua culpa defecerunt. Et ex mutatione legis hujus catholicis, qui etiam imperfecti sunt, imminent jam dicta et alia pericula, quae probabilius sequentur. Ergo ecclesia magis debet prospicere plurium et meliorum saluti conservandae, quam incerto lucro salutis paucorum.

Octavo. Idem probatur ab auctoritate patrum hujus synodi, quia vix inter omnes unus aut alter dixit, legem abrogandam, sed omnes convenerunt in hoc, quod lex maneret, licet aliqui censuerint, in ea esse dispensandum.

Manet igitur firmum, quod non omnibus est concedendus usus calicis per abrogationem legis ecclesiasticae.

Caput V.

16. Superest jam videre, an expediat, ut aliquibus ex dispensatione concedatur usus calicis. Ad quod ut respondeam, primo quaedam necessaria vel commoda ad hoc dubium decidendum supponam. Deinde probabo, non ex-

[1] I Cor. 10, 17: *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.*

Digitized by Google

pedire hanc dispensationem fieri. Tertio respondebo ad rationes, quae videntur probare, concedendam esse hujusmodi dispensationem.

17. Quoad[1] primum suppono inprimis, quod jus super facto fundatur, et ideo eo variante variatur et jus. Ideo non potest recte responderi ad hoc dubium, nisi statuatur saltem, qui sint illi, pro quibus haec petitio fit. Nam in hoc valde variatum est. Primo enim latissima fuit petitio pro toto regno Bohemiae, Hungariae et pro tota Germania et pro omnibus subditis majestatis caesareae. Deinde quia objectum est, quod haec petitio comprehenderet partem Italiae feudatariam imperii, exclusae sunt hae petitiones. Tertio quia etiam objectum hic est, quod comprehenderetur pars Germaniae inferioris subjecta regi catholico, et hanc excepernnt. Quarto quia dictum est etiam, quod inter illos, pro quibus petebatur haec dispensatio, erant catholici, qui non petunt utramque speciem, et haeretici, qui eam non petunt nec volunt ab ecclesia, hinc invenerunt commentum, quod non petebant illam nec pro catholicis nec pro haereticis, sed pro quibusdam mediis, qui nec catholici sunt nec[2] haeretici; et quia urgebat ratio, quod, qui non est catholicus nec haereticus, necessario est infidelis aut apostata a fide, vel schismaticus, qui non sunt communicandi (nam si quis non est catholicus et fidem non suscepit, infidelis est; si autem suscepit et omnino dimisit, apostata a fide est; si non omnino dimisit, sed ex parte, haereticus est; si voluntate dissidet a catholicis et non intellectu, schismaticus est), ideo tandem, declarante quodam Romano episcopo et annuentibus oratoribus dictum est, quod petitio fiebat non pro firmis et perfecte catholicis nec pro[3] obstinatis et perfecte haereticis, sed pro mediis, scilicet pro imperfecte catholicis et imperfecte haereticis. Et quia hanc petitionem de-

[1] In ms. R. nota in margine a Lainio apposita est: *Supponenda, ut probetur, non expedire laicis ex dispensatione concedere calicem.*

[2] Verba *haereticis sed* usque ad *nec* desunt in M.

[3] Ibidem desunt verba *firmis* usque ad *nec pro*.

Digitized by Google

inceps non mutarunt, constituemus, quod petitur dispensatio pro quibusdam imperfecte catholicis et imperfecte haereticis[1] quarundam regionum subjectarum suae majestati.

Secundo suppono, quod dictae gentes, pro quibus petitur calix, non sunt sicuti Graeci, qui semper communicarunt sub utraque specie, et hunc ritum legitime a majoribus suis susceperunt. Sed quia occidentales erant et catechizati ab ecclesia Romana, susceperunt ritum communicandi sub altera. Et ii vel eorum majores, quorum ritum tenebantur sequi, sub altera communicabant, et post latam legem de communione sub altera specie, nunquam licite communicarunt sub utraque, sed vel in haeresi vel in schismate et rebellione vel in inobedientia et crassa ignorantia; quia quivis tenetur sequi probatam consuetudinem lege firmatam et praecepto suorum legitimorum superiorum.

Ideo Augustinus ait, ab hujusmodi consuetudine non esse recedendum. Respondens enim ad suffragium cujusdam episcopi Donatistae, qui ut confirmaret, rebaptizandos eos esse, qui ab haereticis baptizati essent, contra objicientes ecclesiae consuetudinem, quae neminem rebaptizabat, dicebat, Christum dixisse: „Ego sum veritas", non autem: Ego sum consuetudo, ad hoc inquam[2] respondens Augustinus ait: Veritatem non ostendis, consuetudinem confiteris. Recte ergo tenemus consuetudinem, praesertim posteriore plenario concilio firmatam, licet eam non intelligeremus, quam tamen jam putamus esse manifestam[3]. Ideo etiam Augustinus ait, Donatistas errare ob neglectum non intellectae consuetudinis ecclesiae; quia maluerunt, inquit, novum aliquid moliri, quam tenere consuetudinem, cujus defensionem non intelligebant, et occurrerunt animo verisimiles quaedam rationes et praecluserunt iter intelligendae veritati.

[1] Verba *Et quia* usque ad *haereticis* desunt in M.

[2] R. *in genere*.

[3] Aug. De baptismo contra Donatistas lib. VI. c. 37. nr. 71. Lainez locum secundum sensum tantum allegat.

Digitized by Google

Tertio suppono, quod quia hic petitur usus calicis, considerandi sunt primo illi, pro quibus petitur, deinde illi, a quibus petitur, tertio res ipsa, quae petitur, quarto modus petendi, quinto considerandi etiam sunt reliqui, pro quibus non petitur, sexto illi, per quos[1] petitur. Ab omnibus enim his argumenta duci possunt vel ad concedendum calicem vel ad negandum.

19. Et quantum mihi quidem videtur fortiora sunt argumenta, quae convincunt negandum esse, quam quae ejus concessionem suadent. Quod jam ostendendum est.

Caput VI.

Primo ergo ab illis, pro quibus petitur, deducam argumenta.

Quorum primum occurrit ab eorum numero. Nam quum dispensatio sit vulnus juris, si omnibus, qui non sunt perfecte catholici, nec perfecte haeretici, concedendus est cálix, quum paucissimi sint, qui optimi sunt vel pessimi, pene omnibus concedetur calix, et erit ita letale vulnus juris ac pene idem, ac si lex abrogaretur; maxime quia nulla videtur causa, cur concedatur calix mediis illis haereticis, et non etiam pessimis, si velint resipiscere, vel etiam optimis, si ex devotione et, ut majorem partem fratrum sequerentur, vellent uti calice. Quodsi dicatur, paucos vel forte nullos usuros esse dispensatione propter difficiles conditiones ei annexas, rejicitur haec responsio; quia ob paucos singulares et superbos non sunt multi turbandi vel offendendi; si autem nulli fuerint, hoc ipsum incommode accidit, quod propter nullos adeo laboraverimus et frustra obtruserimus illis ingratam dispensationem, praesertim quum eam semel et iterum frustra obtulerimus, ex quo non solum non sunt conversi, sed ansam eis dedimus, uti alios deciperent et in suo errore confirmarentur.

[1] M. *pro quibus.*

Digitized by Google

20. Secundum argumentum est ab eorum mala dispositione[1]. Nam quum jure divino communio sive alterius sive utriusque speciei danda sit illi, quem probabiliter existimamus esse in gratia Dei, juxta domini sententiam: „Nolite sanctum dare canibus, et nolite projicere margaritas ante porcos“[2], et juxta Apostolum dicentem: „Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim indigne manducat“[3] etc. (ob quod etiam in primitiva ecclesia, quum porrigenda esset communio, clamabat diaconus „Sancta sanctis“, ut admoneret, eucharistiam nonnisi sanctis porrigendam), quum, inquam, hoc verum sit et jure divino sancitum, si ostendero, probabilius esse, istos, pro quibus petitur dispensatio, non esse sanctos, ostensum erit, quod non est eis concedenda communio.

Quod autem sancti non sint, multis argumentis ostenditur.

Primo enim quod attinet ad sanctitatem intellectus, isti sancti non sunt vel mundi, quia vel haeresi laborant, vel puerili quodam sensu inepti accedunt ad communionem et ad dijudicandum corpus dominicum. Nam ritus communicandi sub altera specie habet revera in ecclesia nostra occidentali multa commoda hodie, quae non habet usus utriusque speciei, quia ultra hoc, quod eundem Christum habet, et eandem gratiam, quam utraque species, absque dubio habet commodiorem et universaliorem usum; habet conformitatem cum majoribus nostris occidentalibus et cum fratribus, qui modo catholici sunt; habet obedientiam superiorum conjunctam, ob legem latam de communione sub altera, cui paret, qui sub una specie communicat; habet confessionem fidei, quia ita communicans fatetur, se filium ecclesiae catholicae, et dissentire ab haereticis et schismaticis, qui soli hodie sub utraque specie communicant inter

[1] M. et R. *dispensatione.*

[2] Math. 7, 6: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

[3] I Cor. 11, 28. 29: *Qui enim manducat et bibit indigne,* etc.

Digitized by Google

laicos. Qui ergo ex occidentalibus laicis vult hodie communicare omnino sub utraque, vel id facit ob haeresim, quia non credit, Christum esse sub altera, vel in ea contineri gratiam sufficientem ad salutem, vel quia credit, utramque sibi speciem necessariam ad salutem; vel si haeresim non habet et omnia credit, quae ecclesia catholica, certe habet puerilem sensum, quia[1] praefert nudam caeremoniam et in nullo plus utilem multis rebus gravioribus, quae de jure divino et etiam naturali sunt; sicut pueri praeferre solent parva[2], puerilia et ludicra magnis et pretiosis, et si illa, quae ipsis placent, non dantur, plorant et clamant, tamquam qui secantur et uruntur.

Sunt autem haec magna, quae dico, esse de jure divino et naturae, in his indifferentibus sequi suos majores, obedire suis praepositis, conformare se fratribus, symbolo discernere se ab haereticis, et facto confiteri fidem et haeresim detestari, amare etiam concordiam et reddere unicuique quod suum est. Hi autem, vel haeretici vel pueri sensibus, omnia volunt confundere, et negare quae Dei sunt Deo, et caesari inservire[3], modo obtineant suam caeremoniam. Idcirco indigni sunt communione, quia in intellectu mundi et sancti non sunt.

21. Secundo nec minus male sunt dispositi ad communionem affectu, quam intellectu.

Primo enim laborant superbia, quia volunt ecclesiam sibi potius humiliare, tollendo vel relaxando legem, quam ut ipsi ecclesiae humilientur, contra angeli consilium, qui dicebat Agar: „Vade ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius“[4], quod fuisse allegoriam ecclesiae, figuratae per Saram, et congregationis haereticorum, per Agar, docuit Augustinus. Regnat etiam in horum affectu injustitia, quia de jure divino et naturali apud omnes gentes est hoc,

[1] M. *quo*.
[2] M. *poma*.
[3] Ita ms. R. manu Lainii hoc loco correctum. In ms. M. vero legitur *et quae caesaris caesari*, id quod melius videtur.
[4] Gen. 16, 9: *Revertere ad Dominam* etc.

Digitized by Google

ut qui praesunt sacris, statuant etiam de ritu sacrandi, et qui non praesunt, teneantur sacra suscipere, quomodo eis porriguntur, ubi non esset intolerabilis error. Tenentur igitur isti communicare sub altera specie vel sub utraque, prout eis porrigitur. Injustitiam ergo committunt contra Deum et suos ministros non eis parendo. Sunt etiam injusti in caesarem, quia nolunt ei persolvere sua tributa vel illi subvenire, ut tenentur, nisi concedat illis usum calicis, cujus concessio ad caesaream majestatem non spectat, sed ad sacerdotes. Est etiam in illis defectus charitatis erga catholicos et mala propensio amoris erga haereticos; quia, sicut si aliquis christianus postularet, sibi concedi uti signo, quo solum Judaei vel Turcae utuntur, merito praesumeretur vel male sentire de christiana fide vel male affici ad christianos, et e contrario bene sentire de infidelium secta vel inordinate affici ad illam, ita quum hodie soli haeretici vel schismatici laici utantur calice, et soli haeretici coeperint usum calicis urgere, qui illum pro se petunt, hac ipsa petitione ostendunt, se propensos ad haereticos et male a suis praedecessoribus et a suis superioribus et fratribus abhorrere. Isti etiam non sunt vere poenitentes, quia vera poenitentia non solum fugit peccatum, sed occasionem peccandi, et non solum mente, sed facto testatur, se peccatum odisse. Quum igitur in occasione utriusque speciei erraverint, debent hanc[1] occasionem fugere, et facto communicandi sub altera ostendere, se odio habere errorem. Sicut qui concubina usus est, non solum debet abstinere a peccato, sed a statu peccandi, ejiciendo e domo concubinam; quod qui non facit non vere poenitet. Sicut etiam, si quis miles deficeret a suo rege ad ejus inimicum et symbolum militiae acciperet, si vere resipisceret, projiceret externum et contrarium symbolum. Ergo etiam ii, si vere resipiscerent, nollent uti utraque specie, quum hodie, praesertim in occidente, symbolum sit haereticorum.

[1] Verba *Quum igitur* usque *hanc* desunt in M.

Digitized by Google

Sunt igitur ii male dispositi tam intellectu quam affectu ad communionem.

22. Neque bene excusantur ab aliquibus, qui ajunt, istos calicem petere non ex errore vel mala voluntate, sed ex devotione ob majorem fructum, qui ex perceptione utriusque speciei juxta Alexandrum de Hales habetur.

Sed certe non est haec ratio sufficiens, et maxime coarguendi essent, si illi se ita excusarent[1]. Quod eo constat, quia, si ipsi haeretici sunt, Lutherani vel Sacramentarii, nullum fructum ex opere operato cognoscunt in sacramentis; si autem catholici sunt, quum omnes doctores communiter omnesque concionatores illis suadeant eundem fructum, vel saltem non asserant differentem, non potuerunt tot populi et tot gentes videre vel divinare sententiam illam Alexandri de Hales[2], asserentem, esse majorem fructum sub utraque specie, praesertim quum vix in scholis fiat mentio de illa. Falso adscribitur etiam illis tam universalis devotio et communis tot populis et gentibus, quum vix in monasteriis unus aut alter reperiatur ad hujusmodi singularia devotus. Et si maxime reperiretur illa devotio, esset diabolica potius, quam divina, quia[3] in ritu singulari et semoto a charitate et justitia, in illis locis et hoc tempore reperiretur, et non in ritibus catholicis, qui ab universis fratribus exercentur. Vitanda igitur est devotio talis, quae charitatem non conciliat, sed dividit fratres. Ideo communis doctrina doctorum est, peccare eum, qui ob privatam suam devotionem prolixitate celebrandi audientes scandalizat.

23. Secundo non excusantur isti a confitentibus, quod peccaverint quidem et peccent etiam hodie. Sed quia (ajunt) peccata proveniunt ex ista lege, et communione sub altera specie ablata, vel relaxata lege ista, eos poenitebit, et ita rite communicabunt sub utraque.

Non valet inquam ista excusatio; primo, quia, si quum

[1] Ita Lainez manu sua hoc incisum correxit, quod paulo aliter legitur in M.

[2] Summa p. IV. q. 53. membr. 1.

[3] R. *quae*.

Digitized by Google

quis peccat in aliquam legem positivam, remedium esset abrogare vel relaxare legem, abrogarentur et relaxarentur omnes leges positivae, et ita soluta esset omnis disciplina, et periret obedientia etiam divinorum praeceptorum. Praeterea licet relaxaretur haec lex, adhuc istos non vere poeniteret, quia cum animo inobedienti accederent ad communionem. Nam si pontifex in posterum tolleret ab illis illam dispensationem, haberent animum[1] non parendi in communicando sub altera specie; nam si tunc parere vellent, parerent et nunc quidem, quod non faciunt.

24. Tertium argumentum, quia ita dispositis, ut ostensum est, remedium usus calicis magis oberit, quam proderit.

Quod videre poterit, qui penitus consideraverit causas hujus desiderii seu petitionis calicis.

Prima enim causa, ut calix peteretur ab occidentalibus obligatis communicare sub altera specie, fuit daemon. Ille enim, utpote Lutheri praeceptor, suggessit illi hanc petitionem. Et quia ex fructibus arbor cognoscitur, tales errores taliaque scandala quisque videt orta esse ex hac petitione[2], ut nonnisi a daemone profecta videantur. Primo enim dixit Lutherus, pulchrum fore, si utraque specie omnes uterentur. Deinde dixit, non solum pulchrum esse, sed etiam necessarium, usumque alterius illicitum esse.

Addidit praeterea, in altera specie non contineri totum Christum. Et ita paravit viam Sacramentariis, qui postea negarunt, Christum revera esse in eucharistia. Ex his autem erroribus tot scandala orta sunt in Germania, Anglia, Gallia, ut neque numerari possint, neque dubitari debeat, a daemone omnium zizaniorum satore[3] hanc petitionem fuisse profectam.

25. Sed quia daemon nostra irrationabili concupiscentia utitur ad nos seducendos, ideo secunda (causa) ortum habuit ab eo; nempe vel ab errore, quo quis non

[1] M. *occasionem.*
[2] M. in constructione praecedentium paulo differt.
[3] M. *tyrannidum auctore.*

Digitized by Google

credit, Christum esse in altera specie sicut in utraque, vel credit, usum utriusque necessarium ad salutem et usum alterius speciei esse superstitiosum, vel fructum non esse eundem; vel a superbia injusta, quae suis majoribus parere non vult, sed esse solet singularis et curiosa; vel a lascivo quodam appetitu stultae et fictae devotionis, quae charitatem fraternam et obedientiam majorum offendit; vel ab amore novitatum; vel denique ab alia quavis irrationabili concupiscentia; quia nullo modo potest esse justus et rationabilis appetitus ille, qui ob nudam caeremoniam et ritum etiam minus commodum, qui de jure positivo est, condemnat tam multa, quae juris divini et naturae sunt, nempe justitiam, obedientiam, humilitatem, charitatem, fidei confessionem, scandalorum vitationem.

Quia ergo hic morbus a daemone proficiscitur et a veteri homine ejusque concupiscentia, concessio rei, quae petitur, non erit remedium, sed fomentum potius ipsius morbi; quia daemon non vincitur ei cedendo et ab eo se superari sinendo, quia ab eo superatus ejus servus efficitur, sed resistendo et contranitendo[1], juxta illud: „Nolite locum dare diabolo“[2], et rursum: „Resistite diabolo et fugiet a vobis“[3]. Cupiditas autem immoderata etiam secundum[4] philosophos, detractione, et non concessione, superatur. Ut enim sitis potu aquae salsae magis accenditur, et laborans febri cholerica, quo plus aquae bibit, quia in bilem convertitur, eo magis sitit, et sitis repellitur non additione aquae, sed detractione ipsius bilis per pharmacum, ita etiam cupiditas restrictione est vincenda, non concessione.

Non erit igitur remedium concessio calicis, sed potius fomentum (ut diximus) morbi, quia error in istis confirmabitur.

26. Videbuntur enim rectius sapuisse quam ecclesia, quae eis acquievit, concedendo calicem. Superbia etiam

[1] R. *enitendo*.
[2] Ephes 4, 27.
[3] Jacob. 4, 7.
[4] M. *cupiditas quoque secundum*.

Digitized by Google

crescet, videndo ecclesiam sibi humiliari, et ipsos noluisse flectere cervicem. Crescet etiam in eis curiositas et appetitus rerum novarum, dum videbunt, sibi bene successisse, quod circa calicem tentarunt; ideo statim petent, aboleri imagines et ritum baptizandi, conjugium sacerdotum, abolitionem jejunii et delectus ciborum, et ordinum; et denique omnia positiva et divina confundent. Neque erit facile illa negare, isto concesso; quia iisdem rationibus, quibus hoc extorserint, extorquebunt etiam alia, imo longe fortioribus; quia caro non ita horret usum alterius speciei, sicuti jejunium et continentiam et laborem recitandi horas et moestitiam ex solutione decimarum et hujusmodi. Quo autem caro magis propensa est ad aliquid, daemon majores habet vires tentandi, et idcirco, si hic usus calicis concessus fuerit, majora procul dubio nobis imminent bella. Atque inde praestaret principiis obstare, quia

. . sero medicina paratur,
quum mala per longas invaluere moras[1].

Caput VII.

Ab eis etiam, a quibus petitur, deduci possunt argumenta.

Primum. Quum, qui volunt usum calicis, paene omnes haeretici sint, et haeretici male audiant circa potestatem papae et concilii, quia papam antichristum dicunt et episcopos membra et mancipia ejus, clarum est, quod nolunt usum calicis ab eis concedi, quasi putent, illos habere potestatem agere in re praesertim de jure divino non solum concessa sed secundum eos etiam praecepta. Cujus signum est, quod ipsimet, qui volunt usum calicis, antequam petant, jam eo utuntur.

Nec petunt per se ipsos a pontifice vel concilio, sed a suis principibus saecularibus, quibus tribuunt potestatem omnium sacrorum. Si ergo curant vel permittunt, ut a pontifice vel concilio calix per suos principes petatur, id

[1] Ovid. Rem. amor. v. 91.

Digitized by Google

faciunt aut quia principes, utpote catholici, non illis calicem concederent[1] scientes, id ad se non spectare; aut quia timent, ne a suis principibus vel modo vel in posterum puniantur ob hanc et alias inobedientias; aut quia vident, quod, licet illorum principes illis concederent usum calicis, veri catholici eo non uterentur, quia scirent, principes saeculares non habere ad hoc concedendum facultatem, si autem papa concederet, facile catholici adducerentur ad hunc ritum suscipiendum, in quo si convenirent cum haereticis, facile illi subintrarent et suaderent catholicis omnes suos errores.

Quae omnia in Galliis expertus sum, quia vidi scripturam, quam haeretici communicantes sub utraque et nihil omnino credentes de potestate papae vel concilii, curarunt proponi per reginam suae sanctitati, ut concederet usum utriusque speciei et abolitionem exorcismi et imaginum et processionis corporis Christi et nescio quae alia; quae ego tunc dixi nec proponenda esse pontifici nec, si proponerentur, debere concedi per technas et dolos haereticorum, quibus venabantur et suam impunitatem et aliorum catholicorum subversionem.

Quae incommoda ne sequantur, etiam nunc non est calix concedendus.

28. Secundum argumentum: quia concilium coactum est ad res universales tractandas, utpote ad errores abolendos et ecclesiam reformandam. Sed errores circa eucharistiam et praesertim circa usum utriusque speciei magis confirmantur concessione calicis, quam destruuntur. Deformatio quoque ecclesiae e relaxatione disciplinae et ordinis confusione venit, quae augentur potius, si relaxatur lex de communione sub altera. Et per id fiet haec confusio, ut superiores pareant potius inferioribus, quam e contra. Non debet ergo concilium concedere hanc dispensationem, praesertim quum res particularis sit, ob quam non est coactum.

[1] M. *concesserunt*.

Digitized by Google

29. Tertium, quia concilium hoc, si errare non vult, imitari debet majores suos, qui ad alia concilia convenere; qui majori scientia et charitate et sanctitate pollebant et majori desiderio conservandi catholicos et haereticos convertendi. Sed illi, agentes cum haereticis, eis resistebant et in aliud fere extremum eos pertrahere nitebantur, ut ad medium eos revocarent; ut faciunt, qui dirigere volunt ligna distorta, juxta Aristotelem. Ideo non acquieverunt patres volentibus judaizare vel pascha more judaico celebrare. Ideo etiam in Manichaeos[1] praeceptus est usus utriusque speciei, quia usu alterius, videlicet panis, significari dicebant corpus Christi phantasticum esse et exangue. In Nestorianos, qui Christum persona distinctum a verbo asserebant, praeceptum est, ne beata virgo diceretur Christi mater sed Dei mater. In Arianos, ponentes gradus in divinis personis, commutatus est usus ter immergendi baptizandos[2] in unicam immersionem. In Ebionitas judaizantes vetitum est, ne in azymis consecraretur, sed in fermentato; qua tamen haeresi cessante reditum est ad azymum.

Ergo et concilium imitari debet patres, nunc perstando in ritu alterius speciei. Qui si hodie non esset in usu, propter haeresim deberet statui et in usum revocari.

30. A re quoque, quae petitur, argumenta ducuntur.

Quorum primum sit: Usus calicis male succedit hodie omnibus, qui eo utuntur. In oriente variis erroribus laborant, et sub infidelibus sunt, privati omni sapientia et potentia et vera sanctitate. In occidente autem laborant non solum erroribus in fide, sed odiis suorum fratrum et inobedientia et rebellione in suos majores et bellis et tumultibus et omni impudicitia et injustitia, ita ut innumeri eorum vere sint impii et ὄθεοι. Ergo potius christiani deberent fugere eorum exemplum, quam velle eos imitari; et concilium vel pontifex non debet id eis concedere, si maxime vellent.

[1] M. et R. *Manichaeis;* item utrumque ms. infra *Nestorianis.*
[2] M. et R. *baptisatos.*

Digitized by Google

31. Secundum. Ubicunque sunt haereses hodie in occidente, ibi praecesserunt factiones, et pars minus contenta amplexa est haeresim, ut illa via satiaret suam vel cupiditatem vel ambitionem; quia, ut dicit sapiens, „anima calida, quasi ignis ardens, non extinguetur, donec aliquid glutiat.“[1] Quum igitur principes, qui favent sectis, et etiam ministri[2] sectarum ambiant honores et reditus majores, ob quos vel retinendos vel extorquendos praetexunt religionem, non saturabuntur neque quiescent, licet multi calices eis porrigantur, imo ex concessione invalescet secta et factio, et plures turbae excitabuntur.

32. Tertium. Calix concessus fuit olim et a Basileensibus Bohemis, et a Paulo tertio Germanis, et per Interim permissus a Carolo quinto; et tamen nihil profuit. Ergo nec nunc proderit, quia nec ecclesiastici hodie meliores vel sapientiores sunt, nec principes saeculares meliores vel potentiores, nec haeretici ad executionem curandam melius dispositi, nec, ut aliqui dicebant, omnes alias haereses reliquerunt praeter hanc de utraque specie, quia si illas reliquissent, procul dubio etiam hanc reliquerunt vel facile relinquent.

33. Quartum. Concessio calicis, ut petitur, est res facti, in qua vel pontifex vel concilium errare posset. Ideo pontifex in ea definienda nec teneretur, nec forte deberet sequi plura suffragia, sed meliora, ceteris autem paribus; quia hic quaeritur praesertim, an hi homines, pro quibus petitur dispensatio, sint dispositi ad suscipiendam eucharistiam et haec dispositio investiganda est per scripturas (?). Praeferenda sunt suffragia episcoporum ac theologorum aliis, suffragia etiam canonistarum aliis, qui nesciunt canones, suffragia occidentalium suffragiis graecorum episcoporum[3], qui proni sunt ad suum ritum, suffragia etiam senum et expertorum et spiritualium suffragiis juvenum et inexpertorum et carnalium. Quae omnia si inspiciantur,

[1] Ecclus. XXIII, 22

[2] M. *ministris*.

[3] *Ac theologorum* usque ad *episcoporum* deest in M.

Digitized by Google

procul dubio invenietur, quod melior et major pars concilii fuit in hac sententia, quod concilium non dispensaret, neque ante definitionem consuleret vel approbaret, ut papa dispensaret. Melior etiam pars (licet non major) fuit in hac sententia, ne negotium dispensationis remitteretur ad summum pontificem, ne per hanc viam facilior redderetur dispensatio per suam sanctitatem facienda.

34. A modo quoque petendi argumenta deducuntur.

Primum, quia oratores anxii nimis hanc rem petierunt. Nam adhibuerunt privata comitia,[1] privatas etiam preces et blanditias et metus; publice etiam comminati sunt, si haec res non fieret; mutarunt petitiones variis modis, vituperarunt eos, qui contraria suffragia dabant, laudarunt eos, qui propitia.[2] Quum semel a tota synodo rejecti essent, dum conclusum est, quod per synodum non fieret dispensatio, iterum tentarunt synodum trahere ad hoc, quod consuleret et probaret rem sibi incognitam, videlicet futuram dispensationem, quae poterat bene et male fieri. Et quum ab hac petitione iterum repulsi sint per concilium, tertio tentarunt trahere synodum. Et eam traxerunt, ut concederet decretum simplicis remissionis ad summum pontificem, quod fecerunt segregando se et alios oratores a sancta synodo. Quod plane fuit vel synodum excommunicare vel seipsos; et non dubito, quod fuerit contra voluntatem principum, qui eos miserunt.

Quae omnia tela profecto non mihi videntur ordita a Spiritu sancto, sed a contrario spiritu, qui fortassis per eos nixus est facere scissionem et discordiam inter caesarem et concilium et inter pontificem et concilium. Sed spero quod non praevalebit.

35. Secundum. Patres, qui in concilio fuerunt fautores concessionis calicis, ultra hoc egerunt declamatiunculis potius et commotione affectuum, rejiciendis non solum ab hoc sacro concilio sed etiam a judiciis[3] saecularibus,

[1] M. *convicia*.

[2] *Eos qui contraria* usque ad *propitia* deest in M.

[3] M. et R. *judicibus*.

Digitized by Google

et relegandis ad scholas rhetorum. Exciderunt illis multa, quae non solum contra charitatem sunt et rationem, sed etiam contra sensum. Qualia fuere, dicere: Quod principes non possunt errare; quod si illis non creditur, nullis debere credi; quod negare usum calicis esset arguere caesarem improbitatis vel ignorantiae; quod omnes haereses praeter hanc utriusque speciei exciderent; quod non esset piae mentis negare usum calicis; et multa similia. Quae quia falsa sunt, procul dubio non prodierunt a Spiritu veritatis.

36. Tertium. Licet obtineretur dispensatio, quia his technis et rationibus importunis obtineretur, absque hoc quod non sit alia causa dispensandi, quam mala voluntas nolentium parere utendo ritu alterius speciei, absque dubio videtur extorta, ac proinde non excusantur in conscientia vel eam petentes vel concedentes vel ea utentes.

37. Ab illis etiam, pro quibus non petitur, hoc est ab externis et aliis personis, argumenta deducuntur.

Primum, quia catholici mixti cum haereticis, quibus conceditur dispensatio, qui leves et curiosi erunt, a nobis discedent et ad haereticos ibunt, bene de illis et male de nobis sentiendo, nempe quod ex ignorantia vel negligentia vel malitia usum calicis eis negaremus. Et quid simile cogitabunt de aliis, in quibus haeretici a nobis dissentiunt. Nec sufficit dicere: Quod haereticis nihil conceditur, si non servaverint conditiones, quas si servent, jam non erunt haeretici; non sufficit, inquam, hoc; quia mos haereticorum est, ut in Germania et Gallia nimis sumus experti, accipere quidquid sibi conceditur et nihil facere eorum, quae ab eis exiguntur, vel quae ipsi pollicentur. Et est nimis simplicis animi credere, quod haeretici simpliciter procedunt. Nam „dolus an virtus, quis in hoste requirat?“[1] Ostentabunt igitur suum calicem nostris catholicis, ut eos seducant, et de conditionibus verbum nullum facient.

38. Secundum, quia etiam inter haereticos vel illis vicini multi catholici sunt, haereticis non solum fide, sed

[1] Virgil. Aen. III, 390.

Digitized by Google

(ut accidit) etiam factione contrarii; quibus displicebit novus ritus utriusque speciei, non tam propter religionem, quam quia usurpatus est a contraria factione. Isti igitur irritabuntur in sumentes calicem et in eos tumultuabuntur, maxime si non servant conditiones, ut haeretici non solent eas servare. Et ita utraque factio accipiet diversum communicandi ritum, et convertent sanctissimum unitatis sacramentum in symbolum et tessaram suae factionis; maxime, quia ubi altera pars creverit, volet templum separatum habere, sicut et ritum, et ita crescet divisio.

Nec solvitur hoc argumentum dicendo, non fuisse divisionem inter conversos ex gentibus, licet illi judaizarent et non isti, nec esse nunc divisionem inter Graecos, qui sub Venetis sunt et utraque specie utuntur, et Italos utentes altera. Primo enim falsum est; quia fuit divisio inter Judaeos et gentes, ut ex Actibus apostolorum et epistolis ad Romanos et ad Galatas constat. Deinde licet concordes essent, id fuit, quia Judaei servabant suum ritum antiquum, quem gentes non acceptarunt; et ita utrique suo ritu erant contenti, sicut et hodie sunt Graeci et Latini seu Veneti, sub quibus sunt. Non fuissent autem concordes,[1] si utrique convenissent in uno antiquo ritu, et ab eo altera pars discederet, ut nunc isti faciunt.

39. Tertium. Alii[2] domini temporales et episcopi et pastores habent suos populos quietos et pacificos et contentos (ut par est) ritu communicandi sub altera specie. Qui tamen populi, ut sunt proni ad novitates, audita dispensatione, turbabuntur, et vel in errores incident, vel in curiosa desideria similiter communicandi. Ex quo non solum ipsi populi laederentur, sed et eorum principibus et pastoribus fieret injuria, si sine eorum consensu fieret haec dispensatio.

Nec sufficit respondere, quod etiam illis poterit concedi, et episcopi, licet absentes, gaudebunt de ampliata sibi potestate dispensandi; non sufficit, inquam, hoc dicere;

[1] M. et R. *conformes.*
[2] R. *Nunc.*

Digitized by Google

tum quia haec tam generalis dispensatio abrogatio legis esset, quae habet inconvenientia superius adducta, tum etiam quia principes, qui habent populos pacatos et contentos altera specie, quum cognoverint mutationem religionis, mutationem etiam politicam parare vellent et quaerere bellum, ubi pax esset, nec sine aliqua spe lucri (quod nullum est in invectione novae ceremoniae) status suos jacturae exponere. Probi etiam episcopi nolunt ampliationem ejus potestatis, qua uti non possunt sine damno suorum populorum. Hujusmodi autem est potestas dispensandi in ritu alterius speciei cum populis, qui illo contenti sunt. Tales enim ex hujusmodi dispensatione perdere possunt, lucrari non possunt.

40. Ab his, per quos petitur usus calicis, argumenta quoque deduci possunt.

Primum sit a sapientia et pietate et magnanimitate caesaris, quem in his et aliis virtutibus imitatur illustrissimus dux Bavariae, ejus gener. Ideoque quum sapientes et catholici sint, sciunt, hujus rei decisionem spectare ad summum pontificem et ad concilium; quia secundum omnium hominum jura et sensum et leges censere de sacris spectat ad sacerdotes, quia quis bene judicat de his, quae novit. Quum probi etiam et recti sint, nolunt, ut ob eorum particularia commoda recedatur a vero cultu vel detur ansa perturbandi ecclesiam. Ideo eo magis illis placebit concilium, quo rectius de hac re definiat.

Quum ergo, ut ex dictis constat, securius sit, hanc dispensationem non fieri, propter caesarem ipsum et ducem Bavariae, videlicet ut eis placeamus, non debet fieri.

41. Secundum argumentum sit a pontifice, per quem etiam quodammodo haec res petitur a concilio in gratiam caesaris. Cui licet placere cupiat summopere, scit tamen, id tunc maxime futurum, quum bono universalis ecclesiae consuletur. Quod quia fit negando usum calicis, negari debet.

42. Tertium argumentum sit ab illustrissimis legatis suae sanctitatis et oratoribus suae majestatis, per quos etiam usus calicis petitur a synodo. Quia enim optimi viri sunt

Digitized by Google

et quaerunt gloriam eorum, qui illos miserunt, illis erunt conformes, et sciunt, patres hujus concilii non habere animas vel linguas venales, et ideo quod fuerit magis e re ecclesiae facturos; quale videtur esse non concedere calicem.

Et haec sufficiant ad probandum, quod non expediat hujusmodi dispensationem calicis concedere.

Caput VIII.

43. Superest, quod tertio proposuimus, nempe respondere ad argumenta adducta ad probandum, quod expediat cum aliquibus gentibus sub aliquibus conditionibus dispensare, ut possint uti calice; quod cum Dei gratia faciemus.

44. Primo ergo ducunt argumenta ad concedendum calicem a Dei misericordia: ille enim peccatorem praevenit, et ut pius pater ad prodigi filii collum corruit eumque osculatur annuloque donat et veste et vitulum saginatum edendum ei praebet; ipse etiam Christus, ut bonus pastor, non expectat, ut ovis perdita redeat, sed, relictis nonaginta novem in deserto, quaerit eam et super humeros portans[1] deducit ad ovile; expandit quoque manus suas tota die ad populum non credentem sed contradicentem sibi; ergo et nos debemus imitari divinam misericordiam et praevenire hos populos ipso calice, ut ita invitati[2] resipiscant.

45. Solvitur hoc argumentum, quia magis imitamur misericordiam divinam non concedendo calicem quam concedendo. Dei enim misericordia in quibusdam[3] praevenit peccatores; quaedam etiam nonnisi sanctis concedit, et aliis non, quia si illa concederet illis, nocerent. Veluti verbi gratia praevenit peccatorem tangendo cor ejus, ut convertatur, concedendo ei sacramentum baptismi vel poenitentiae, et per ea primam gratiam elargiendo. Ceterum gratiam, quae confertur in sacramento confirmationis vel communionis vel matrimonii vel ordinis, non concedit peccatoribus impoeni-

[1] R. *ponens*.
[2] M. *trinitati* (!).
[3] R. *quosdam*.

Digitized by Google

tentibus, nec vult eos adire ipsa sacramenta, quia ad judicium suum illa sumerent indispositi. Ita etiam ecclesia imitans Dei misericordiam praevenit haereticos orando et gemendo pro illis, docendo et hortando illos, et ubi opus est etiam increpando et puniendo, ut resipiscant, praebendo etiam eis bonum exemplum. Ceterum ex eadem misericordia negat eis calicem, quia, ut superius vidimus, male dispositi sunt ad alteram vel utramque speciem suscipiendam, et potius eis noceret quam prodesset.

46. Et licet Dominus clamet ad populum contradicentem, interim tamen, dum contradicit, non infundit illi gratiam, sicut nec eam Paulo infudit, donec destitit a contradictione dicens: Domine, quid me vis facere?

Nec pater ille prodigi dedisset illi vitulum saginatum, si oblitus osculi, amplexus, annuli et stolae primae, videns vitulum, prae superbia noluisset edere, quod vitulo deesset nescio quid condimenti, quod ipse prodigus sibi finxisset necessarium. Meruisset enim procul dubio, si ita faceret, ut expoliatus paterna gratia et annulo et veste relegaretur ad porcos pascendos et eorum siliquas edendas. Ita, quia ii despiciunt Christum Dominum sub altera specie eo quod non detur eis species vini, merentur utraque specie privari.

Ovis quoque illa, si non sineret se manibus et pedibus capi et super humeros tolli, sed importune et obstinate niteretur, ut acciperetur per caudam, mereretur derelinqui, ut isti merentur, qui nolunt a Deo cibari et trahi per panem vivum, ut pater aeternus per ecclesiam eis porrigit, sed ut ipsi haeretice vel pueriliter cupiunt.

47. Secundum argumentum ab ecclesiae misericordia: Illa enim, ut mater misericors, Graecis, quoties uniti sunt latinis, reliquit ritum communicandi sub utraque cum aliis ritibus; tempore etiam Theodosii dedit Novatianis templa intra Constantinopolim; tempore etiam Augustini offerebat praedia Donatistis, ut ad ecclesiam venirent; ob haeresim etiam tempore Leonis primi pontificis maximi dedit calicem; Victor etiam papa reprehensus est, quod assensus fuerit Tessareskaidekaditis, ut ritu judaico pascha cele-

Digitized by Google

brarent[1]; Chrysostomus etiam cantu catholico cantum superavit haereticum, et ita nos possemus errorem circa calicem calice curare; Basileenses etiam calicem concesserunt, et concluserunt concedendum ideo quod nulla alia esset spes, quae nulla superest modo; Paulus etiam tertius concessit facultatem concedendi calicem; quae omnia facta sunt ex ecclesiae misericordia, qua cupiebat lapsos reducere, ne sibi dicatur, quod per Ezechielem ait Dominus: „Quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod aegrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, et quod abjectum est, non reduxistis, et quod perierat, non quaesistis.“[2]

48. Ut ad haec respondeatur: longe diversum est nostrum negotium a propositis, et ideo concessiones ibi factae non convincunt calicis concessionem.

Nam si Graecis concessus est, recte fuit concessus, quia erat ritus, quem licite a majoribus suis acceperunt, et continuo absque prohibitione servarunt. Istis autem et eorum majoribus abolitus erat usus calicis, primo ipsa consuetudine et deinde lege. Ideo non licet illis vel absque licentia uti calice, vel licentiam proterve petere. In Graecis autem nulla fuit in hoc protervia, sed simpliciter utebantur ritu suorum majorum. Et sicut peccarent[3] Graeci proterve et seditiose relinquentes calicem, ut specie panis uterentur, discedendo a suis majoribus, ita peccant isti occidentales recedendo ab altera specie suis majoribus consueta, ut calice utantur.

49. Concessiones etiam praediorum, vel etiam templorum, non sunt ad rem, quia aliud est dare temporalia peccatoribus et promittere[4] templa haeretico[5], aliud eucha-

[1] Id est Quartodecimanis. M. habet *thesi de calicis usu* (!). In R. etiam falsa correctio hoc loco invenitur; verbum videlicet rarissimum non intelligebatur. Vide supra p. 35 n. 2.

[2] Ezech. XXXIV, 4.

[3] M. *peccarunt*.

[4] S. *permittere*.

[5] R. *haeretica*.

Digitized by Google

ristiam dare indigno. Illis etiam offerebantur praedia; at non illa quasi per vim exigebant, ut isti exigunt communionem et aliter non communicant.

Praeceptum etiam usus calicis a Leone primo factum in arguentes militat. Quia enim Manichaei utebantur communione sub altera, ad stabiliendum suum errorem, quo asserebant corpus Christi phantasticum et exsangue, interdixit communionem, qua libenter utebantur haeretici, et praecepit usum calicis. Ideo, quia isti nunc errant circa usum calicis, si esset in usu, vetari potuisset, et usus alterius speciei praecipi.

Exemplum etiam de cantu catholicorum, quo pulsus est cantus Arianorum nihil ad rem calicis, quia cantus ibi catholicorum omnino contrarius erat cantui Arianorum. Illi enim cantabant filium similem patri, et non consubstantialem, catholici contra consubstantialem patri, et ita contraria contrariis curabant. Ex quo non conficitur, quod errores calicis eodem calice, et non contrario curari debeant, hoc est simile simili contra medicinae regulas.

Victor etiam ex zelo fuit reprehensus ab aliis, sed ex zelo non secundum scientiam. Et ideo ejus sententia obtinuit contra illos judaizantes, et confirmata est postea per magnam synodum Nicaenam.

Ad exemplum quoque Basileensis concilii et Pauli tertii, concedentium calicem, respondetur per id, quod nostrates habent in proverbio. Dicunt enim, quod, ubi quis primo decipitur, culpa est solius decipientis, ubi vero secundo, culpa est utriusque, decipientis et decepti, ubi vero tertio, est solius decepti.

50. Quia ergo ecclesia in his, quae facti sunt, errare potest, et tempus nos[1] docuit, quod semel et bis non profuit ista concessio, non debemus illam tertio tentare, praesertim quum neque ex parte concedentium neque eorum, pro quibus conceditur, neque eorum, per quos petitur, sint novae causae, ob quas debeamus majorem, quam olim, fructum sperare.

[1] M. *nunc.*

Digitized by Google

51. Tertio argumentantur ab ecclesiae sapientia, antiquitate et potestate. Ajunt enim: Ecclesiam primitivam, quae antiquior et sapientior et melior erat, usam esse utraque specie; ergo nostra debet illam imitari, praesertim quum eandem, quam illa, habeat potestatem in his positivis.

52. Respondeo, non esse dubium, quin ecclesia primitiva praedita fuerit majori charitate, et consequenter majori sapientia coelesti, quae charitatem comitatur, quam nostra. Nihilominus tamen, ut contingit, minus sapientem in aliquo melius sapere, quam alium absolute sapientiorem, et ut contingit, minus perfectum hominem vitare aliquem levem errorem, quem melior non vitat, ita etiam ecclesia nostra in nonnullis statutis non est quod invideat primitivae; quia Deus media experientia docet illam quaedam observare et ordinare, quae non observavit nec ordinavit primitiva. In illa enim, ut Ambrosius ait, omnes ministri passim et ubique poterant docere et[1] baptizare; postea autem distinctae sunt jurisdictiones, et prohibitum fuit, ne quis mitteret falcem in messem alienam, quod est ordinatius et sapientiae, cujus est ordinare, magis consentaneum. Similiter etiam Basilius ait de ritibus Gregorii episcopi Caesareae Cappadociae, quod erant in illis quaedam minus congrua propter ruditatem temporum. Ita ergo potuit esse frequentior usus utriusque speciei. Ex quo quia processu temporis secuta sunt inconvenientia, merito moderna ecclesia illum vetavit, et pro eo substituit commodiorem; praesertim quia in primitiva ecclesia, ubi regnavit charitas et Dei metus et reverentia, et ubi quotidie subibant martyria, conveniebat usus sanguinis, quem cum majori reverentia tractabant et commonebantur ad sanguinis effusionem, nunc autem quum nec martyria meremur, nec apti sumus ad sanguinem reverenter et caute tractandum, ob defectum amoris et timoris Dei, magis convenit nobis usus alterius speciei.

53. Non valet igitur ista consequentia: Hic est ritus antiquior, ergo nobis commodior. Imo hoc ipso, quod

[1] *Docere et* deest in R.

Digitized by Google

antiquior est aliquis ritus, si ex consuetudine lege probata alius ritus accipitur, hoc ipso indicatur[1] ille prior antiquatus et[2] minime tempori conveniens. Quod verum esset, ubi daremus, usum calicis antiquiorem fuisse usu alterius; quod tamen non est necessarium concedere, quia ab ipsa primitiva ecclesia coepit uterque ritus, ut supra ostensum est.

54 Quarto argumentantur a patrum gestis. Quos si ecclesia imitari vult, ajunt, porrecturam esse calicem; inter patres enim Moyses ob duritiam cordis praebuit Judaeis libellum repudii, concessit quoque usuram; Apostoli etiam concesserunt legalia Judaeis et etiam gentibus, eosque (ut ajunt) communicabant, licet putarent, se legalibus justificari, ut Galatae et alii, de quibus fit mentio Act. 15.; Johannes etiam evangelista intelligens, juvenem quendam a se conversum et episcopi curae commissum retrocessisse et maximum praedonem factum, conscendens equum cursu insecutus est eum, et ei pollicitus veniam eum tandem reduxit; praelati quoque absolvere possunt et debent ab excommunicatione etiam invitos ne pereant; ergo eodem modo ecclesia relaxare debet calicem (?) et condescendere istorum duritiae, et etiam invitis succurrere, imitando medicos, qui morituris, de quibus nulla spes est, omnia concedunt, praesertim quum viderit, duritiam in negando calicem hactenus eis non profuisse.

55. Respondetur, argumenta ista nihil probare.

Moyses enim, quia legislator erat, et lex debet esse proportionata suscipienti, (quia Judaei ob duritiam cordis non paruissent legi prohibenti repudium vel omnem usuram, praesertim quia assueti erant moribus gentium, qui etiam sine libello repudiabant et usuram a suis capiebant), restrinxit idem Moyses hos abusus in Judaeo, jubens, ut si repudiaret, daret libellum repudii, si usuram acciperet, eam non a fratre sed ab alieno acciperet. Non prohibuit autem omnino repudium vel usuram, quia infirmi non tu-

[1] R. *judicatur*.
[2] R. et M. *est*.

Digitized by Google

lissent illam legem. Casus autem noster longe diversus est, quia his non datur lex nova eis intolerabilis de usu alterius speciei, sed prohibetur, ne ab antiqua sibique proportionata, et quam quiete ac pacifice olim servarunt, velint absque causa recedere. Longe autem differunt initio ferre legem populo proportionatam et tolerabilem, quod Moyses fecit, et jam susceptam et proportionatam sine causa relaxare, quod isti jam petunt.

56. Apostoli quoque non[1] relaxarunt Judaeis legem, ad quam observandam tenerentur. Sed ne subita mutatione scandalizarentur, permiserunt eis, ut uterentur legibus sibi[2] antiquis ad tempus; sed ita uterentur, ut non putarent, se illis justificari, sed per fidem Jesu Christi; hoc enim docebant Apostoli Judaeos, qui baptizandi erant, in ipso limite catechismi, ut ex Actibus apostolorum constat. Adeo quum quidam ex pharisaeis docuissent fratres: „Nisi circumcidamini, Christus vobis non proderit"[3], statim itum est per Apostolos obviam huic doctrinae tamquam haereticae, ut ex Act. 15. constat. Paulus quoque dixit Galatis: „A Christo excidistis, qui in lege justificamini"[4].

Ideo falsum est, quod Apostoli concesserunt communionem manentibus in hac haeresi. Sicut est falsum (quod quidam dicebant, scilicet,) hominibus dandum esse calicem, licet errent vel dubitent circa usum alterius speciei; talibus enim non est danda communio, quia non debet porrigi mysterium fidei his, qui fide carent vel de ea disputant. Et licet Apostoli Act. 15. videantur onerasse gentes, jubendo, ut abstinerent a suffocato et sanguine, ne Judaei scandalizarentur, non tamen ob id sequitur, quod nos, ne hi, qui uti volunt calice, scandalizentur, debeamus vel illis concedēre calicem, vel illo uti nos propter eos. Tum quia

[1] *Non* deest in M.

[2] *Sibi* deest ibidem.

[3] Cf. Act. XV, 2; Galat. V, 2.

[4] Gal. V, 4. *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini: a gratia excidistis.*

Digitized by Google

in illo exemplo non gravati sunt, qui ab antiquo credebant, hoc est Judaei, sed illi qui de novo coeperunt credere, id est gentes; et ita in nostro casu non deberent gravari catholici, qui majorum suorum morem servant, sed isti, qui novum tempore et loco ritum quaerunt, deberent ad antiquum trahi, sicut gentiles tracti sunt ad ritum antiquum judaicum de suffocato et sanguine. Tum etiam quia revera gentiles non sunt gravati, sed potius levati ab onere, si res introspiciatur: Quia tempore, quo Judaei infirmi erant, et ob id eis licebant legalia, licet jam mortua, ut gentiles scandalum vitarent Judaeorum, non solum tenebantur vitare coram eis suffocatum et sanguinem, sed et porcos et alia lege prohibita, ne suo cibo eos perderent, pro quibus Christus erat passus[1]; sed hac lege Apostolorum factum est, ut gentes non tenerentur ad cetera legalia ob scandalum Judaeorum, quia lata lege, si scandalizati fuissent de hoc, quod gentes non observarent legalia, fuisset scandalum Pharisaeorum et idcirco non curandum. Quum ergo Spiritus Sanctus per hanc legem relevaret[2] gentes ab aliis oneribus legalibus, voluit ad tempus relinquere onus abstinendi a suffocato et sanguine; quia, si etiam hoc tolleretur, scandalizati essent adhuc infirmi Judaei, qui hunc usum magis horrebant tamquam a natura prohibitum, et quidem etiam ante legem Moysis, dicente sacra scriptura: „Carnem cum sanguine non comedetis.“[3]

57. Exemplum etiam Johannis evangelistae, qui senex cucurrit post juvenem, non cogit nos, ut curramus cum calice, ne forte nimis propere currentes, sanguinem effundamus in ora sacrilega. Currere ergo debemus exemplo, oratione et doctrina, et etiam poena et aliis beneficiis, donec isti dispositi sint, et errores vere deponant. Quod ubi fecerint, statim quiescent ab hac importuna quaestione et erunt perinde contenti altera specie, sicut utraque.

[1] Cf. Rom. XIV, 15.

[2] M. *revelleret;* R. *revellasset esse exonerandas,* id quod ex conjectura arbitraria positum videtur.

[3] Genes IX. 4.

Digitized by Google

Exemplum etiam absolventis invitum ab excommunicatione non cogit ad dandum calicem; quia male absolveret invitum, si ex absolutione probabiliter non crederetur sanandus, sed pejor evasurus; bene autem absolveret, si ex ligamine nil nisi majus nocumentum illius et boni publici speraretur venturum. In casu autem nostro probabilius est, quod non reducentur et pejores evadent ex calicis concessione.

58. Nec sumus nunc in casu desperati aegroti, ut etiam nocitura concedamus; tum quia, si ut dicitur (licet ego non credam), omnes alias leges deposuerint, deponent et hanc novissimam, absque hoc quod ecclesia relaxet suam disciplinam suasve leges; tum etiam quia non est praefigendus terminus misericordiae Dei, quae non solum post annos centum, sed post multa saecula solet homines revocare ab haeresi, ut in secta Manichaeorum videmus, quae per mille annos duravit in oriente. Et sane haereses, quando Deo placuit, exstinctae sunt absque hoc quod ecclesia suas leges relaxaret. Ita, quum Deo placuerit, ista haeresis exstinguetur. Nostrum enim est, quae ad nos spectant, praestare, et Deo relinquere, quae ad ipsum spectant. Nam judex, cui reus dignus morte praesentatur, licet dicat, se velle omnino in peccato mori, si a judice condemnetur, debet nihilominus eum condemnare; quia si ipse, quod sui muneris est, facit, Deus absque dubio praestabit, quod suum est, vel ex justitia, eum deserendo, vel ex misericordia, cor ejus tangendo et faciendo, ut resipiscat, quidquid ante ipse dixit. Ita et ecclesiae munus est, conservare disciplinam suam illaesam, Dei autem, vel damnare ex judicio sibi vel ecclesiae rebelles, vel ex misericordia ante mortem eos reducere ad poenitentiam et salutem. (Quae judicia Dei Deo sunt relinquenda, et quae ad nos spectant, curanda)[1]. Quae dixerim propter eos, qui dicunt: Cur sinemus tot animas perire, negando eis calicem?

[1] Quod in uncinis positum est deest in ms. R.

Digitized by Google

Quod etiam possent dicere de his, qui pereunt, quia alia ecclesiae praecepta violant, vel contemnunt, et ita sua et non ecclesiae culpa pereunt.

Caput IX.

59. Quintum argumentum a lege ipsa prohibente calicis usum; nam lex positiva inutilis est abroganda; sed lex prohibens calicem his gentibus non solum non est utilis, sed etiam nociva; ergo ex charitate est abroganda vel relaxanda.

60. Respondetur, hanc legem non esse abrogandam nec relaxandam, quia manent causae, ob quas est stabilita, ut superius ostensum est. Lex quoque ipsa utilis est, quia ultra fructum utriusque speciei, quem suscipiunt altera tantum specie utentes, habet communio sub altera specie obedientiam et confessionem fidei suae, et conformitatem cum catholicis, et discrimen ab haereticis, ut superius visum est. Nec vero ubi aliquibus lex non congruit, si pluribus est utilis, est abroganda, quia bonum commune est praeferendum.

61. Sextum argumentum ab ipso calice, cujus usus, quia olim bonus erat, et ecclesia eum potest hodie concedere, nunc praesertim debet uti illa potestate, quia hoc unicum est remedium, et de aliis remediis nulla jam est spes, et ecclesia tempore concilii Basileensis eo inclinavit, ut quum nulla esset alia spes revocandi Bohemos, concederetur eis usus calicis.

62. Respondemus, quod licet calicis usus per se licitus sit, nunc tamen ob consuetudinem et legem ecclesiae non est licitus, neque expediens, ut multis jam rationibus probavimus. Multa enim licent, quae non expediunt, ut de omnibus lege positiva prohibitis constat. Et licet ecclesia possit conferre calicem, non debet uti potestate nisi ad aedificationem.[1] Falsum quoque est, unicum esse re-

[1] Tam in ms. M. quam in R. hic sequitur: *Ergo ex hoc juste spectatur;* forsitan scribendum erat *respuitur (argumentum).*

Digitized by Google

medium hujusmodi morbi. Est potius fomentum. Remedium autem est reformatio et bona vita catholicorum, eorum exemplum, oratio et praedicatio et doctrina et bona juventutis educatio et institutio multorum fidelium operariorum, qui ad haereticos mitterentur. Punitio etiam eorum per principes valde juvaret, sicut dissimulatio valde nocuit. Ut enim in immensum crescunt latrones et homicidae et alii facinorosi, nisi subinde quasi ungues et capilli abscinduntur, ita impunitas haereticorum praebet eis fomentum ad delicta et ad latius extendendam suam sectam; e contrario vero disciplina et punitio facit eos minui, ut experientia docet.

63. Septimum argumentum a fructu, quem ex hac concessione futurum ajunt; eo enim concesso, vitabunt isti homines peccatum, quod committunt vel contra obedientiam, sumendo utramque, vel contra conscientiam, alteram speciem; conciliabitur etiam civibus pax ex hoc ritu admisso; nam hoc illis concesso, remittent illi aliquid de suo, et ita utrimque vitabuntur extrema.

64. Respondemus, hos fructus propositos non subsistere. Non enim per concessionem calicis illi reddentur obedientes, imo rebelles, alia petendo, et nolendo communicare sub altera, si ecclesia tribueret dispensationem. Neque debet ecclesia ob quemvis protervum, nolentem sibi parere, leges suas relaxare. Qui etiam contra conscientiam communicat sub altera specie, conscientiam istam erroneam debet deponere. Et ritus hic diversus potius divisionem pariet, ut supra ostendimus, et ejus concessio reddet hos magis feroces et pertinaces. Nec ecclesia sectatur extrema, sed haeretici, qui extra eam sunt.

65. Octavum argumentum ab his, per quos immediate petitur calix a concilio; sunt enim ex una parte piissimus pontifex et legati ejus, ex alia vero clementissimus et religiosissimus caesar et illustrissimus dux Bavariae, ejus gener, cum suis oratoribus, qui certo asserunt, calicis concessionem profuturam; et qui hoc asserunt ex experientia cognoverunt illas gentes et damna, quae sequuntur ex ne-

Digitized by Google

gatione, et commoda, quae ex concessione eveniunt; sapientes quoque et optimi sunt, ita ut nec decipiantur, nec velint decipere; quare injuria eis fieret, si synodus eis non acquiesceret; contra vero, qui negant calicem concedendum, licet probi viri sint, quia non sunt experti mala harum nationum, non eis compatiuntur; tamen[1] adhuc non dicunt,[2] certo imminere damnum ex concessione, sed tantum[3] dicunt, se id timere; quum alii certo asserant fructum; et ideo est plus eis credendum.

66. Respondemus, nos plane convenire et certo persuasos esse de sapientia et probitate horum dominorum. Et ideo non dubitamus, quin crediderint, certo magnum fructum esse consequendum, si tamen id dicunt; non dubitamus, inquam, quin id ita credant, uti loquuntur; an vero ita futurum sit, de hoc merito dubitamus, quia futurum est contingens, et quia ex sacra scriptura et historiis cognoscimus ingenia haereticorum, quibus haec remedia non solent prodesse.

67. Putamus igitur, piissimum caesarem more clementissimi patris se habere cum his gentibus, quae calicem petunt. Ut enim ille, si filios aegrotos habet et aquam frigidam postulantes, eis compatiens contendit cum medico, ut illis id refrigerii concedat, sed ita contendit, ut nolit medicum contra regulas medicinae quidpiam nocivum eis committere, ita religiosissimus caesar, tenere amans hos populos sibi subditos, postulat a sancta synodo calicem pro illis, sed ita postulat, ut nihil velit concedi contra gloriam Dei et ecclesiae publicum bonum. Scit enim, quia religiosissimus est et senex prudentissimus, se cito debere stare ante tribunal Christi, quo tempore pro toto mundo nollet quidquam a synodo obtinuisse, quod contra Dei honorem et salutem animarum cederet.[4] Scit quoque, patres hujus synodi promptissimos esse, ut velint placere suae majestati ita bene merenti de christiana republica. Scit

[1] R. *tum*.
[2] R. *dicant*.
[3] R. *tamen*.
[4] M. *crederet*.

Digitized by Google

etiam, eos sapientissimos esse et ad eos spectare, de rebus sacris censere. Ideo in hac re magis credit illis, quam sibi ipsi, qui ad alia vocatus est.

Idcirco re bene perspecta, quia caesar noster sapientissimus[1] medicus est, qui nomine suo nihil petit, et quod nomine eorum populorum petit, sub conditione petit, scilicet si fuerit e re ecclesiae, patres nihil majestati suae negant. Idcirco nullam illi injuriam faciunt. Negant enim calicem non caesari, sed curiositati et irrationabili cupiditati calicem a sua majestate extorquentium, et daemoni hanc importunitatem illis suggerenti. Unde noster Dominus non respondit matri filiorum Zebedaei, sed filiis ejus, quorum mater mentionem faciebat.[2] Ipse etiam Salvator, si Hilario[3] credimus, non Petro, sed daemoni suggerenti respondit: „Vade post me, satana".[4] Ille enim repellendus est et non piissimus caesar; qui etiam intelligit, quod quo minus hi patres viderint tumultus illarum regionum, in quibus calix petitur, eo minus perturbate de re ipsa secundum Deum censebunt;[5] sicut Trojani[6] rectius consultabant Helena absente, quam illa praesente, quia praesentia turbabat affectum et a recto deflectebat.

Ideo non est verum, quod magis credendum est iis, qui certo promittunt futurum fructum, quam illis, qui timent damnum; quia potius creditur medico, qui ob timorem mortis juxta regulas medicinae negat vinum aegroto, quam matri, quae ex materno solum affectu asserit, id illi profuturum.

68. Nonum argumentum, ab eis pro quibus petitur calix; quos jam ajunt fessos esse et destitisse ab aliis haeresibus, et in hoc uno haerere, ut detur ipsis calix; qui si conceditur, confundetur ex hoc haeresis Sacramentariorum, quia credent hi, Christum essentialem esse sub utraque specie.

[1] M. *sanctissimus.*
[2] Mat. XX, 22.
[3] M. *historiae.*
[4] Mat. XVI, 23.
[5] R. *cessabunt.*
[6] M. *tyranni.*

Digitized by Google

69. Respondeo, falsum esse, hos reliquisse omnes has haereses, ut norunt hi qui apud eos versati sunt. Et certo, si[1] omnes alias tam cito reliquissent, sine calicis concessione, sperandum esset, quod etiam absque illa relinquerent hanc haeresem postremam. Calicis quoque concessio non solum non exstinguet haeresim in his, quos jam defessos dicunt, sed recreabit eorum vires, ita ut nunquam lassentur in petendo alias et alias concessiones. Etiam ille ritus nullo modo facit contra Sacramentarios, quum etiam illi omnes utantur ritu utriusque speciei.

70. Et haec de tertio, hoc est de oppositorum argumentorum solutione, dicta sufficiant.

Quia igitur in dubio hoc, an expediat universaliter concedere usum calicis omnibus eum volentibus, an vero aliquibus tantum ex dispensatione, an potius nulli, quum, inquam, in hoc dubio non habeat locum demonstratio, nec fides catholica, sed tantum ex probabilibus procedi possit, quum probabiliora mihi visa sint argumenta suadentia, negandum esse calicem et difficilius resolvi, contra vero ea quae suadent concedendum, minus probabilia et solvi facilius, concludo, meo judicio non esse concedendum.

71. Quam conclusionem ea conscientia non feci, quasi mihi desit promptitudo obsequendi caesareae majestati in omnibus, quae contra Deum et conscientiam non sunt. Scio enim omnes nos, qui in hac minima societate Jesu manemus, ad id multis rationibus teneri. Fuit enim invictissimus caesar quasi primus inter catholicos principes, qui suis in regnis societatem nostram suscepit et fovit, collegiaque ei in diversis locis erexit et fundavit, ut testatur collegium[2] Viennense, Pragense, Tyrnaviense et Oenipontanum. Illustrissimus etiam dux Bavariae, socerum imitatus, collegium Ingolstadiense et Monachiense erexit et alia erigere parat. Sed quo magis devincti sumus beneficiis, eo magis debui fideliter dicere, quod magis putavi conve-

[1] *Si* deest in **M**.

[2] **M** *concilium;* item infra *concilium Ingolstadiense* . . loco *erexit collegium* etc., negligentiae scriptoris argumentum insigne.

Digitized by Google

nire ad Dei gloriam et ad tantorum principum et ipsis subjectorum populorum salutem.

In hac mea sententia secutus sum tamen, ni fallor, majorem et meliorem partem patrum hujus concilii.

Caput X.

72. Quod videntes illustrissimi legati, cupidi placendi suae majestati in Domino, et videntes, se non obtenturos dispensationem a synodo, aliam propositionem fecerunt patribus concilii sub sequenti forma:

Forma decreti faciendi super usum calicis petiti.

Insuper quum eadem sacrosancta synodus superiori sessione duos articulos alias propositos et nondum discussos, videlicet incipiendo *an rationes etc.* in aliud tempus oblata sibi occasione examinandos atque definiendos reservaverit, et successive maxima cum instantia petitum fuerit eosdem articulos per eamdem sanctam synodum examinari atque definiri, et aliquibus nationibus ob graves et multiplices causas christianae caritati consentaneas in medium propositas usum calicis, seu facultatem ordinariis locorum illum concedendi, sub infra scriptis conditionibus concedi, et secum desuper opportune dispensare debere: volens sancta synodus veluti pia mater saluti omnium salubriter, quantum in Domino conceditur, providere, cognoscens tamen negotium hujusmodi a se ipsa de praesenti tuto penitus absolvi et definiri non posse: idcirco re prius diligenter perspecta et examinata, ac omnibus mature consideratis, tandem censuit, quod sanctissimus dominus noster, adhibita ea causae cognitione, quae beatitudini suae videbitur adhibenda, illis nationibus et populis, quibus sua sanctitas proficuum et utile id fore cognoverit, sub infrascriptis conditionibus, vel etiam aliis, quas ei Spiritus sanctus suggesserit, suae beatitudini bene visis, etiam ex voto, consilio et assensu hujus sanctae synodi praefatum calicis usum seu concedendi facultatem petitam concedere et cum illis desuper etiam misericorditer ex benignitate apostolica dispensare possit et valeat.[1]

Responsio ad propositum decretum.

73. Reverendissimi et illustrissimi Domini. Quidquid sanctissimus Dominus noster in hac dispensatione decre-

[1] Cf. Theiner, Acta conc. Trid. II, 127 et Le Plat V, 495.

Digitized by Google

verit, postquam id a sua sanctitate decretum fuerit, id ego libenter probabo. Orabo etiam dominum, ut porrigat illi Spiritum suum, ut id decernat, quod magis futurum sit ad Dei gloriam et animarum salutem.

Interim tamen decretum propositum non mihi placet.

Ac primum displicet in eo, quod nomine synodi dicatur, causas propositas ad concedendum usum calicis fuisse graves, multiplices et christianae caritati consentaneas. Hoc enim falsum videtur. Si enim synodus tales existimaret[1] causas suadentes usum calicis, procul dubio illum concessisset, quem tamen videmus ex eadem caritate negasse.

Secundo displicet, quod petitur in decreto a synodo. Exigitur enim, ut synodus consulat et approbet, quidquid videbitur Sanctissimo faciendum in hac dispensatione. Hoc, inquam, valde displicet variis rationibus.

74. Quas ut proponam suppono primo, dispensationem hanc non spectare ad fidem vel ad jus, sed ad factum. Si enim quaestio fidei esset, secure ex nunc possemus probare, quidquid summus pontifex definiturus esset de cathedra, quia in his non errat ob Christi promissionem et Spiritus sancti assistentiam. Dispensatio autem futura pontificis est res facti. Ad factum enim spectat, his vel illis populis dispensationem concedere, et sub his vel illis conditionibus, et hac vel illa adhibita diligentia. Quia ergo in his, quae sunt facti, errare potest pontifex et concilium et ecclesia, non potest rationabiliter synodus populos eligendos et diligentiam et conditiones remittere ad arbitrium pontificis, et antequam sciatur, quid arbitratus fuerit, id consulere et probare, quod futurum est contingens et poterit esse expediens et non expediens.[2]

Quod autem hoc non possit concilium recte facere, probatur, quia consilium vel probatio alicujus facti, sicut jus, fundatur super ipsum factum, et eo variato variat. Imprudens enim est qui, facto ignoto, consilium praebet,

[1] R. *existimasset.*

[2] In M. additamentum sensu destitutum: *futura objectio.*

Digitized by Google

vel id probat.[1] Sed synodus nescit, quid facturus sit pontifex in hac re. Ergo non potest de ea re consilium dare et eam probare.

75. Secundo quia, licet vere synodus consilium daret de re ignota vel eam probaret (quod tamen potius esset divinare vel ominari, quam dare consilium), hoc tamen consilium vel haec approbatio nullum haberet effectum; quia non quaeritur hic consilium vel approbatio a pontifice, quasi desit ipsi auctoritas, sed ut tuta conscientia ipsius sit et illorum, qui hanc dispensationem vel petunt vel suscipiunt, quum fiat consilio tot sapientium; sed consilium de re ignota non quietat conscientiam, nec qui id praebent, sunt in hoc sapientes, sed potius vel temerarii vel adulatores. Ergo sine effectu est talis approbatio.

Tertio pontifex vellet approbationem vel consilium concilii, ut in bulla dispensationis possit dicere, se eam facere consulente et consentiente[2] et approbante concilio. Sed hoc non potest vere dici, quum id sit potius divinare quam approbare.

Quarto haeretici, si hanc dispensationem suscipiunt ita approbante concilio, licet etiam postea non servent conditiones, non sinent a se per pontificem eripi calicem; quia dicent, se a concilio eum habuisse, et non posse nisi per concilium tolli.

Ob haec ergo non placet mihi decretum.

Caput XI.

76. Quod quia etiam meliori parti patrum non placuit, mutatum est in sequentem formam:

[1] M. addit *juxta Sapientem, qui ait: Si est tibi intellectus, responde proximo* (mendose *pro Christo hic*!), *sin autem, sit digitus tuus super os tuum.* Locus est Eccli. V, 14, ubi tamen legitur .. *sit manus tua super os tuum.* Ms. M. omnia haec verbo *variato* adjungit.

[2] In R. deest *et consentiente.*

Digitized by Google

Decretum super petitione concessionis calicis publicatum in eadem sessione sexta Tridenti sub sanctissimo domino nostro Pio quarto die 17. Septembris 1562.

Insuper quum eadem s. synodus superiori sessione duos articulos alias propositos et tum nondum discussos, videlicet incipiendo *an rationes etc.* in aliud tempus, oblata sibi occasione reservarit, nunc eorum, pro quibus petitur, saluti optime consultum volens, decrevit, integrum negotium SSmo D. N. esse referendum, pronti praesenti decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile reipublicae christianae et salutare petentibus usum calicis fore judicaverit.[1]

77. Responsio ad hoc decretum.[2]

Quum hoc decretum repente et ex improviso propositum est in congregatione generali episcoporum, illustrissimi legati narrarunt, quam acerbe tulissent oratores caesaris et regis Galliarum repulsam praeteriti decreti, quod etiam asserebant, se nolle interesse congregationibus vel sessioni. Exaggerabant etiam legati, quod non acceptare hoc decretum fuisset injuria caesaris, cui non dignabantur respondere. Ob quod enixe rogabant patres, ut hoc saltem decretum simplicis remissionis ad pontificem omnino acceptarent. Quod etiam major pars patrum fecit ob tam urgentes preces, et quia non est eis datum tempus deliberandi.

Quibus visis, ego, cui in extremo loco et breviter dicendum erat, in haec fere verba respondi:

Reverendissimi et illustrissimi domini. Haec res contenta in decreto non mihi displicuisset. Ceterum quia aperitur ostium, ut hac via comminandi et se a nobis separandi extorqueant oratores multa contra fidem et bonos mores, non placet decretum, maxime quum sua sanctitas habeat plenitudinem potestatis, per quam absque nostra remissione sit illi integrum dispensare vel non dispensare.

[1] Cf. Theiner II. 128.

[2] Deest in M.

Digitized by Google

Caput XII.

78. Sequenti autem die, quum in sessione propositum esset hoc idem decretum et a majori parte patrum probatum, quum a me exigeret secretarius, an decretum placeret, in hunc sensum respondi.

Haec res per se omnino[1] displicet. Ceterum si majori parti patrum placuit, mihi placet, modo admoneatur Sanctissimus, quod consulta sancta synodus super hac dispensatione non ausa est praebere suae sanctitati consilium, nec illam approbare.

Hoc autem dixi, quia approbatio hujus decreti mihi displicebat ob multas causas, quas vitandae prolixitatis et modestiae causa non dixi. Hic autem eas apponam.

79. Primo displicebat decretum ob modum id nobis obtrudendi cum precibus armatis, cum minis et sine tempore deliberandi, ut cum pueris et rusticis fieri solet. Et praesertim displicebat illa absentia oratorum, qua videbantur vel velle excommunicare synodum, vel, quod verius est, se ipsos a synodo et consequenter ab ecclesia alienos ostendere. Idcirco occurrebat, quod vel sanctissimus dominus noster vel sancta synodus rogare deberet regem christianissimum, ut magis catholicos oratores ad synodum mitteret. Quia ergo modus proponendi hoc decretum videbatur mihi tela non a Spiritu sancto ordita, non videbatur ei assentiendum.

Secundo etiam displicebat, quia ex ejus concessione aperiebatur ostium oratoribus et aliis ad plura et magis nociva petenda, quae habent jam parata in suis catalogis.

Tertio quia hac via facilius induci potest[2] sanctissimus dominus noster ad dispensandum. Si enim ad id propensus est, procul dubio dispensabit, quia haec remissio concilii[3] tacita quaedam approbatio est dispensationis. Po-

[1] In R. deest *omnino*.

[2] Ita R., probabiliter hoc modo a Lainio correctum. M. habet *faciliorem se reddet*.

[3] *Concilii* deest in M.

Digitized by Google

terit enim subire mentem sanctitatis suae haec cogitatio. Si sapientes hi vidissent aliquod periculum in dispensatione, me admonuissent; modo autem, quum integrum negotium ad me remittant, nihil periculi vident in concessione. Sed e contrario considerare debet sua sanctitas vias, quibus obtenta est haec remissio, et quod in hujusmodi, quae sunt facti, non solum quivis homo, sed quaevis etiam hominum multitudo errare potest. Considerare etiam debet, quod superius dixi, nempe synodum non fuisse ausam consulere vel probare dispensationem, et idcirco tractam esse ad hanc remissionem, cui etiam magna pars patrum qualitate non aliis inferior non consensit.

80. Et haec quidem sunt visae mihi partes summi pontificis in hoc negotio. Nostrae sunt, sperare, quod optime sua sanctitas illas implebit, et orare Dominum, ut porrigat illi Spiritum suum, ut, quod optimum ecclesiae sanctae fuerit, decernat, et postquam id decreverit, quidquid illud fuerit, boni consulere et probare. Quod ego cum Dei gratia profiteor me libenter facturum.

VI.

An pontifex reformandus sit per concilium.

Quod peti non debeat, ut concilium reformet ecclesiam in capite, ex sequentibus constare potest.

I. Illud fieri non potest de jure.

II. Illud de facto nunquam fiet ac ne fieri quidem potest.

III. Nulla est necessitas, quod ita fiat,

IV. Nulla utilitas.

V. Plurima sequentur incommoda, si ita fiat.

Digitized by Google

I. Quod fieri non possit de jure.

Pontifex enim Romanus jure divino est pastor, rector et episcopus universalis ecclesiae, est caput ecclesiae, est fundamentum ecclesiae. Habet plenitudinem potestatis, quemadmodum in alio scripto confirmatum est[1]. Quare a concilio nec reformari nec judicari potest. In his semper excipimus casum haereseos. Quo casu non necessum est, ab ecclesia damnari qui haereticus esset, quum sint omnes haeretici suo ipsorum judicio condemnati et ab ecclesia separati. Quare tunc non esset actio ecclesiae vel concilii adversus papam, sed adversus eum, qui papatu et unione ecclesiae jam excidisset per haeresim. Praeterea Matth. 23, 2, „Super cathedram Moysi" inquit Christus, „sederunt scribae et pharisaei; omnia ergo quaecunque dixerint vobis, servate et facite". Quare quum sedeat super cathedram Petri, hoc est universalis ecclesiae, Romanus pontifex, et institutione quidem divina sedeat, fit, ut ab omnibus audiendus, a nullo vero judicandus sit, ac nec ab ecclesia quidem, quae ab illo regitur et gubernatur. Deinde Petrus (I. ep. 2, 18) praecipit, obediendum esse praepositis, non bonis tantum et modestis, sed etiam dyscolis. Quare obedire etiam necessum est summo pontifici, etiamsi dyscolus esset, quod non est.

Idem conficitur argumento sumpto ex vetere testamento, sc. Exod. 19, 13, ubi bestia, quae tetigerit montem, jubetur lapidari, et 2. Reg. 6, 7, ubi Oza a Deo percutitur, quod arcam Dei tetigisset. Intelligitur enim per arcam et montem praelatus, per bestiam autem et Ozam intelliguntur subditi, ut animadvertitur post cap. Plerique 2. q. 7.[2] Adde historiam Davidis[3], quum ipsum quaereret Saul ad mortem; et tamen Saulem David noluit interficere, atque adeo percussit cor suum, quod oram chlamydis Saulis

[1] Auctor respicere videtur ad ea, quae in *Disputationis de primatu etc. Quaestione III.*, praesertim parte prima capite I. nr. 90 ss. disseruit.

[2] Decretum Gratiani Pars II. causa II. qu. 7. cap. 27 in additamento Gratiani.

[3] Ibid. cap. 13. Cf. addit. citatum.

Digitized by Google

praecidisset. Ad idem enim haec historia attinet ex cap. Oves 2. q. 7. et ex cap. Plerique 2. q. 7.[1]

Adde eximium locum Geneseos cap. 9., ubi magna cum severitate maledicitur Cham in Chanaan, benedictionem vero accipiunt Sem et Japhet; ille quod nuntiasset, aperta esse verenda patris sui, illi quod et noluerunt videre et honeste operuerunt.[2]

Idem conficitur ex summorum pontificum et conciliorum auctoritate. Anacletus papa martyr, quartus post Petrum, ut habetur 79. distinct.: „Ejectionem", inquit, „summorum sacerdotum sibi Dominus reservavit".[3] Antherus papa et martyr C. 9. qu. 3. cap. Facta: „Facta", inquit, „subditorum judicantur a nobis, nostra a Deo".[4] Bonifatius martyr c. Si papa 40. dist.: „Si papa suae et fraternae salutis negligens reprehenditur, inutilis et remissus in operibus suis et insuper a bono taciturnus, quod magis officit sibi et omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit, primo mancipio gehennae cum ipso plagis multis in aeternum vapulaturus, hujus culpas istic redarguere mortalium praesumit nullus".[5] Innocentius I. 9. qu. 3. c. Nemo: „Nemo judicabit primam sedem justitiam temperare desiderantem; neque enim ab augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo judex judicabitur".[6]

Et Innocentius III. c. Innotuit De electione et electi potestate: „Quamvis autem canon Lateranensis concilii,

[1] Ibid. cap. 15., in pag. sequenti; cap. 27. in addit. Gratiani.

[2] Cf. ibid. cap. 8.

[3] Locus pseudoisidorianus in Decreto Grat. parte I. dist. 79. c. 11; apud Ivonem Decr. VI, 115

[4] Decret Grat. Pars II. Causa IX. qu. 3. c. 15. Locus item pseudoisidorianus.

[5] Ibid. Pars I. Dist. 40. c. 6 Locus dubiae fidei. Deusdedit Coll. can. I, 231; Ivo Decr. V, 23.

[6] Ibid Pars II. Causa IX. qu. 3. c. 13. Non est Innocentii hoc caput, sed desumptum est ex apocrypho constituto Silvestri c. 20. apud Mansi II, 631.

Digitized by Google

ab Alexandro praedecessore nostro editus, non legitime genitos adeo persequatur, quod electionem talium innuit nullam esse, nobis tamen per eum adempta non fuit dispensandi facultas, quum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte praejudicium generare, pari post eum, imo eadem potestate functuris, quum non habeat imperium par in parem".[1] Ubi non solum auctoritate agit Innocentius, sed juncta ratione, ut ex superioribus constat. — Eusebius papa cap. Oves 2. qu. 7.: „Oves, quae suo pastori commissae sunt, eum nec reprehendere, nisi a fide exorbitaverit, nec ullatenus accusare possunt".[2]

Nicolaus papa cap. Patet 9. qu. 3.: „Patet profecto, sedis apostolicae, cujus auctoritate majus non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Juxta quod Innocentius papa Rufo et ceteris episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait ‚Nemo unquam apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari', et beatus papa Gelasius: ‚Nec de ejus (id est Romanae ecclesiae) canones unquam praeceperunt judicari judicio, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandaverunt'."[3]

Gelasius papa cap. Ipsi sunt canones 9. qu. 3.: „Ipsi sunt canones, qui appellationes totius ecclesiae ad hujus sedis examen voluerunt deferre, ab ipsa vero nunquam prorsus appellare debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare ju-

[1] Decretal. Greg. IX. Lib. I. tit. 6. cap 20. Ex epist Innocentii III. ad Cantuariensem archiepiscopum (Potthast Reg. Rom. pont. nr. 953).

[2] Decret Grat. P. II. Causa II qu. 7. c 13. Locus pseudoisidorianus; cf. Greg. M. Lib. past. III c. 5.

[3] Ibid P. II. Causa IX. qu. 3. c. 10. Ex epistola Nicolai I ad Michael. imp. Migne 119, 926 (Jaffé nr. 2796). De loco allegato Innocentii dicunt correctores Romani a h. l. Decreti: Neque in Bonifatii neque in Innocentii epistolis inventum est, quod hic affertur. Locus etiam Gelasii ibidem citatus spurius est

Digitized by Google

dicium, nec de ejus unquam praeceperunt judicari judicio, sententiamque ejus constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandaverunt."[1] Idem omnibus episcopis cap. Cuncta: „Cuncta per mundum novit ecclesia, quod sacrosancta Romana ecclesia fas de omnibus habet judicandi, nec cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est; ab ea autem nemo est appellare permissus. Sed nec illa praeterimus, quod apostolica sedes sine ulla praecedente synodo et solvendi, quos synodus iniqua damnaverat, et damnandi nulla existente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem; et hoc nimirum pro suo principatu, quem beatus Petrus apostolus dominica voce et tenuit semper et tenebit."[2]

Paschalis II. papa l. 1. de elect. et electi potestate, cap. Significasti: „Ajunt in conciliis statutum non inveniri, quasi Romanae ecclesiae legem concilia ulla praefixerint, quum omnia concilia per Romanae ecclesiae auctoritatem et facta sint et robur acceperint et in eorum statutis Romani pontificis patenter excipiatur auctoritas."[3]

Innocentius III. in sermone consecrationis Romani pontificis, qui incipit: „Quis putas fidelis est servus", ita inquit: „In tantum mihi fides necessaria est, ut quum de ceteris peccatis solum Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab ecclesia judicari. Nam qui non credit, jam judicatus est."[4]

Omittuntur loca alia ex summis pontificibus. Sat enim sunt superiora.

Neque hic quisquam dicat, parum in hac causa valere auctoritate summos pontifices, in qua de eorum auc-

[1] Ibid. c. 16. Ex ep. Gelasii I. papae ad Faustum magistrum, Migne P. L. 59, 26 (Jaffé nr 622).

[2] Ibid. c. 17. Ex ep. ejusdem ad episcopos per Dardaniam constitutos. Migne P. L. 59, 61 (Jaffé nr. 664).

[3] Decretal. Greg. IX. Lib. 1. tit. 6. de electione etc. c. 4. Ex ep. ad Spalatinum archiep., Mansi 20, 984 (Jaffé nr 4851 1. edit.).

[4] Migne P. L. 217, 656.

Digitized by Google

toritate agitur et privilegio, nisi qui velit sanctissimos martyres, sanctissimos praeterea pontifices, quorum providentia ac sapientia per divinam illis traditam potestatem Deus ecclesiam gubernavit, ambitionis atque adeo erroris arguere et condemnare.

Verum addenda est conciliorum auctoritas.

Concilium Sinuessae in Campania congregatum 180 episcoporum ob causam Marcellini papae uno ore sanxit, primam sedem non judicari a quoquam; sed Marcellino dixit: „Noli audiri in judicio nostro, sed collige causam tuam in sinu tuo, tuo ore causam tuam judica, non nostro judicio.“[1]

In concilio Romano praesidente beato Silvestro papa cap. 20. ita definitum legitur: „Nemo judicabit primam sedem, quoniam omnes sedes a prima sede justitiam desiderant temperari; . . nec ab omni clero nec ab omni populo judex judicabitur.“ Subscripserunt vero synodo 284 episcopi, 40 presbyteri, 5 diaconi, qui intererant concilio, tum etiam Constantinus Magnus imperator et mater ejus Helena.[2]

Praeterea Romae congregata synodo quum de criminibus ageretur, quae Sixto papae, qui fuit praedecessor Leonis I., a perversis quibusdam hominibus objiciebantur, et adesset Valentinianus imperator, responderunt patres, adversus Romanum pontificem non licere sententiam dicere. Quod quum Valentinianus audisset, tantorum patrum consensu surrexit et concilii sententiam secutus arbitrio Sixti causam ipsius censuit deferendam.[3]

In Romana synodo 219 episcoporum praesidente sanctissimo papa Symmacho (temporibus Theodorici regis) ita habetur: „Non est necesse super his nova condere, sed vetera recitare atque firmare. Est enim a multis ex nostris antecessoribus synodaliter decretum atque firmatum, ut oves, quae pastori suo commissae fuerunt, eum nec repre-

[1] Locus spurius fictumque concilium. Mansi 1, 1250. Hefele, Conciliengeschichte ed. 2. 1, 143.

[2] Concilium item fictum. Mansi 2, 632. Hefele, l. c. 440.

[3] Haec iterum synodus pseudoisidorianum figmentum est. Mansi 5, 1154 (Jaffé nr. 397).

Digitized by Google

hendere, nisi a recta fide exorbitaverit, praesumant."[1] De hujus synodi sententia in apologia Ennodii, Romanae ecclesiae diaconi, adversus detractores ejusdem (quam quinta Romana synodus 214 episcoporum, qui non solum ex Italia, Sicilia, Galliis, Hispaniis, sed et ex Macedonia, Thracia Graeciaque universa atque Asia, etiam sub eodem Symmacho, postea convenerunt, approbavit et tanquam synodali auctoritate dictatam compositamque haberi voluit) legitur: „Aliorum forte hominum causas Deus voluit per homines terminari, sed istius praesulem suo sine quaestione reservavit arbitrio. Voluit beati Petri successores coelo tantum debere innocentiam et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam."[2]

Synodus Constantinopolitana (VIII.) 21. can.: „Porro si synodus universalis fuerit congregata et facta fuerit etiam de Romanorum ecclesia quaevis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita quaestione sciscitari et solutionem accipere et proficere vel profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romanae pontifices."[3] Ubi notanda sunt verba hujus sanctae synodi. Dicit enim, quod non sit audendum sive praesumendum dare sententiam contra Romanum pontificem. Et haec rationabiliter valde dicit, quoniam si Romanus pontifex ab alio quam a Christo, extra casum haeresis, judicandus esset, maneret jam non summus pontifex, nec summus et generalis Christi vicarius esset, quum superiorem judicem haberet in terris.

Alexander III. in universali concilio Lateranensi c. Licet De electione ita inquit: „In Romana vero ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non poterit ad superiorem recursus haberi."[4]

[1] Synodus Romana Symmachi papae sexta (alias quinta) habita a. 603; Mansi VIII, 295 s. Cf. Hefele Conciliengeschichte 2. edit. II, 645.

[2] M. Felicis Ennodii Apologeticus pro synodo quarta Romana: Mansi VIII, 284.

[3] Mansi XVI, 174. Hefele l. c. IV, 421.

[4] Decret. Greg. IX. lib. 1. tit 6. De elect. c. 6. ex conc. Lateran. a. 1179 can. 1.

Digitized by Google

Adrianus II. papa in allocutione 3., quam habuit in concilio Romano, quae etiam lecta fuit in VIII. synodo et probata: „Siquidem Romanum pontificem de omnium ecclesiarum praesulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus; licet enim Honorio ab orientalibus post mortem anathema dictum sit, sciendum tamen est, quia fuerat super haeresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus majorum suorum motibus resistendi vel pravos sensus libere respuendi."[1]

In eundem modum etiam, quum Leo ille III. a Paschali primicerio et Campulo presbytero apud Carolum Magnum imperatorem graviter et de gravibus criminibus accusaretur et eam ob causam totius Galliae, Germaniae et Italiae Romam convenisset episcoporum synodus, eaque considente in beati Petri apostoli basilica, rogasset imperator episcopos de causa pontificis (cui accusatores capitale crimen intenderant) communem ipsorum sententiam, uno veluti ore ocius concorditer responderunt: Sedem apostolicam, quod Dei ecclesiarum omnium caput sit, a nemine judicari debere. Quo tam gravi responso deterrito imperatore, omissa est omnis utilior causae inquisitio, quamvis aliter sibi optime conscius pontifex cuperet. Qui ut hominibus etiam de se satisfaceret, absolutus concilii judicio, surgens in medio, dicit, se praedecessorum suorum vestigiis insistentem, objectis falsis criminibus postridie responsurum. Et mane convenientibus cum Carolo et omni populo episcopis pontifex conscenso suggestu, Christi evangelia manibus tenens coram omnibus jurejurando affirmavit, se insontem esse. Accusatores autem pontificis capitali addicti sunt sententiae ob exemplum in posteros; ejusdem tamen benignitate salvati sunt.[2]

Additur ad superiora doctorum sententia.

S. Cyprianus epist. ad Cornelium papam: „Neque

[1] Ex concilio Romano habito a. 869 in causa Photii; Mansi XVI. 126, inter documenta actionis VII. synodi Constantinopolitanae VIII. ejusdem anni.

[2] Cf. relationem de hac synodo Romana a. 800 celebrata apud Mansi XIII, 932. 1042. Erronee dicitur, *totius* Galliae etc. episcopos adfuisse.

Digitized by Google

enim aliunde haereses obortae sunt aut nata sunt schismata, quam dum sacerdoti Dei non obtemperatur nec unus in ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quidquam moveret; nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum judicem se jam non episcopi, sed Dei faceret."[1]

Divus Gregorius M. exponens locum Genesis de Sem et Japhet inquit: „Quid est quod . . aversi operiunt, nisi quod bonis subditis sic praepositorum suorum mala displicent, ut tamen haec ab aliis occultent? Operimentum aversi deferunt, quia judicantes factum et venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt."[2]

Beda in Apocalypsin: „Sola ecclesia Romana sua auctoritate valet judicare de omnibus, de ea vero nulli judicare permittitur." Et habetur 9. qu. 3. c. episcopo.[3]

Bernardus ad Innocentium: „Quis", inquit, „facite mihi de vobis justitiam? Si haberem judicem, ad quem vos trahere possem, jam nunc ostenderem vobis (ut parturiens loquor), quid meremini. Exstat quidem tribunal Christi, sed absit ut ad illud appellem vos."[4]

Hugo de s. Victore 2. parte de sacramentis: „Potestas", inquit, „(summi pontificis) a Deo primum instituta est, et quum deviat, a solo Deo judicari potest."[5]

Sunt praeterea alii doctores, qui idem confirmant: S. Thomas, S. Bonaventura, Albertus Magnus episcopus Ratisbonensis, Alexander de Hales, Petrus de Tarantasia, qui fuit Innocentius V., Ulricus, Jacobus de Altavilla, Petrus de Palude patriarcha Jerosolymitanus et Augustinus de Ancona, ut alii omittantur. Praeterea praecipui

[1] Ep. XII. c. 5. Migne P. L 3, 802.
[2] Moral. l. 25 c. 16. n. 37. Ibid. 76, 345.
[3] Dictum est Gratiani, non Bedae.
[4] Ep. CCXIII. Ibid. 182. 378.
[5] De sacramentis christianae fidei P. II. c. 4. ibid. 176. 418. Sed Hugo de potestate spirituali in genere loquitur, cujus caput summum

Digitized by Google

doctores juris canonici idem docent: Ostiensis, Johannes, Andreas, Guido archidiaconus, Innocentius etc. Ex his rationes variae duci possunt, quae, quoniam obviae facile cuilibet sunt, consulto praetermittuntur.

II. Quod de facto nunquam fiet ac ne fieri quidem potest.

Nam si concilium de reformatione capitis acturum est, id nunquam faciet, nisi proponatur tractandum ab illustrissimis legatis. Atqui hi nec nomine summi pontificis id proponent unquam nec alio nomine id facere possunt. Etenim summus pontifex non cedet divino privilegio ac ne cedere quidem potest. Ordo enim divinus perturbaretur, si id faceret et ecclesiastica hierarchia. Legati vero alio nomine proponere non possunt, nisi schisma in ecclesiam inducere vellent. Et tamen, si id proponerent, quod nunquam facient, essent illegitimae tractationes et actiones patrum nullamque haberent auctoritatem. Constat enim, legitimum non esse concilium non solum illud, quod auctoritate summi pontificis congregatum non est, sed etiam, quod ejusdem consilio non gubernatur, etiamsi omnes episcopi convenerint. Primum constat ex conventu vel conciliabulo Ariminensi[1]; secundum vero ex concilio Ephesino II.[2], quod etiamsi congregatum fuerat Leonis I. auctoritate, tamen illius auctoritate gubernatum non est, sed tyrannide et impietate Dioscori Alexandrini archiepiscopi. Posset addi exemplum concilii Basileensis, quod etiamsi legitime congregatum sit, tamen, quia auctoritate summi pontificis gubernatum non est, vidimus tot peperisse dissensiones in ecclesia Dei; et utinam plures hoc tempore non parturiret!

pontificem esse utique antea dixerat. Allegatio textus 1 Cor 2, 15: „Spiritualis autem homo judicat omnia, et ipse a nemine judicatur, quem Hugo statim post citata verba affert certo nihil ad institutum, de quo supra, juvat.

[1] Pseudosynodus Ariminensis anni 359 a Liberio papa rejecta.

[2] Ita dictum latrocinium Ephesinum anni 449 innuitur.

Digitized by Google

Praeterea etiamsi de facto contra voluntatem summi pontificis decerneretur de ejus reformatione, nihil tamen de facto consequerentur patres sive concilium acephalum. Nam illis decretis nunquam obediret summus pontifex nec in illorum obedientiam se submitteret.

Praeterea quum nihil definiri possit in concilio, etiam vero et legitimo, esse juris divini, quod juris divini non erat (neque enim ecclesia credere potest articulum fidei novum, sed qui erat articulus, eum declarare esse), quumque nec summo pontifici jus divinum declarandum sit (quippe qui hoc sciat et simul illorum declarationi stare non tenetur), reliquum est, ut tota reformatio attineret ad jus positivum, quod summus pontifex non solum interpretari potest, sed etiam in eo dispensare. Itaque effectum non haberet illa reformatio.

Praeterea nihil certius est, quam quod summus pontifex, quum primum audierit in concilio eam causam proponi tractandam, sit dissoluturus concilium. Et id quidem et ex jure et ex debito faciet, ne adversus divinum praeceptum peccetur sua auctoritate. Cujus dissolutionis et causam et invidiam necessum erit in eos redundare, qui hujus fuerint tractationis auctores et promotores.

Ex superioribus constat, eorum consilium, qui propterea urgere videntur reformari summum pontificem per concilium, ne quae per concilium gesta essent, possent ulla auctoritate infirmari, propositum suum tenere non posse. Nam neque de jure, ut in superioribus confirmatum est, obtinere id unquam poterunt nec de facto. Et sane his atque adeo omnibus patribus, si vellent hanc causam tractare, dici non immerito posset, quod Cyprianus, gloriosus martyr et episcopus, ait: „Oves estis, grex estis, nolite discutere pastorem, ne ejus quoque criminis rei teneamini. Nolite vos judices Dei constituere et Christi.“ Et caveant sibi a maledictione, quam interminatur Spiritus sanctus per Salomonem, ubi scribit: „Qui maledicit patri suo“ etc. et rursus: „Oculum qui subsannat patrem“ etc.[1]

[1] Proverb. 20, 20; 30, 17.

Digitized by Google

III. Quod nulla sit necessitas.

Primo illud constat, quod nulla possit esse necessitas ejus rei, quae nec de jure nec de facto fieri potest.

Deinde illud certum est, consecutum iri id, quod desideratur ex reformatione in capite, si reliquae omnes potestates ecclesiae reformentur. Huic igitur reformationi corporis ecclesiae diligentissime esset insistendum. Unde fiet haud dubie, ut papa per se in sua persona illa exhiberet, quae ab ipso desiderantur.

Praeterea aliae sunt viae, quibus ea reformatio capitis, quam isti desiderant, postulari possit, non in concilio sed a summo pontifice: 1. per legationes principum, 2. per patres, qui in concilio sunt, privatim; et per ejusmodi alia media, quae, conservata summi pontificis dignitate, adhiberi possunt.

Adde quod, qui in contraria sunt persuasione, affirmant in concilio tunc agendum esse de reformatione capitis, ubi constaret non solum illud et perversae esse vitae et exempli, non solum dissipare bona ecclesiastica et ecclesiam perturbare, sed etiam id facere incorrigibiliter. Atqui nullus est tam profligatae impietatis, qui summum pontificem Pium IV. possit vel audeat illis nominibus arcessere.

Ad haec quum sciamus certissime, summum pontificem in ea reformatione versari accuratissime, quam isti homines efflagitant, planum fit, et id necessum non esse, quod isti petunt et alio videri rem spectare; quod ego non dicam, alii suspicabuntur.

Quod si quis dicat, reformationem non attinere ad Pium IV., sed ad abusum Romanae ecclesiae inveteratum, quam necessum sit emendari, qui ejusmodi est, audiat: Primo, usum Romanae ecclesiae, antiquum praesertim, convellere, esse ut difficillimum, ita in primis periculosum, id scilicet velle rescindere, quod ecclesiastica potestate ac usu est comprobatum antiquitus. Deinde si de his ageretur in concilio, praesertim absque capite, necessum esset multos errores committi tum ab iis, qui illarum rerum

Digitized by Google

sunt inexpertes et inscii, tum ab iis, qui falsae reformationis desiderio atque spe occupantur, tum etiam ab iis, qui pia simplicitate moventur. Itaque perpauci inter tot patres idonei videbuntur, qui ea de re sententiam dicant pro dignitate. Fac tamen id fieri utcunque, quis fructus ejus definitionis tandem erit? Nam non id egit concilium Basileense? Cui tamen nullus pontificum obedivit, quod scilicet nullum sit jus concilii in Romanam ecclesiam.

Praeterea nihil magis obtinebit haec reformatio in futuris Romanis pontificibus, quum omnes aequalem, imo eandem habeant potestatem.

Longe igitur erit et consultius et melius et fructuosius, si, quae desiderantur ab istis reformatoribus in capite esse reformanda, ea, ut diximus, afferantur summo pontifici. Tamen illud curetur summo studio et diligentia, ut summus pontifex bullam edat quam poterit severissimam et rigorosissimam, qua caveatur, ne possit per ambitionem vel simoniam vel malam aliquam artem creari summus pontifex, et ut non solum „sanctissimum“ et „beatissimum“ habeat ecclesia pontificem ex statu et potestate, sed etiam moribus integerrimum et totius vitae sanctitate praestantissimum.

IV. Quod nulla sit utilitas, atque adeo quod multae sequantur inutilitates atque detrimenta, si ita fiat.

Nam 1. inde induci certum est schisma, quod malum quum semper fuerit in ecclesia pernitiosum, certe hoc tempore longe esset pernitiosissimum, quum videremus, quod reliquum est catholicorum in ecclesia, inter se esse divisum et a capite et a fundamento ecclesiae esse separatum. Inde facile potest ea pars, quae a summo pontifice discessisset, in haeresim prolabi apertam, quum tanta sit affinitas inter haeresim et schisma, ut nullum videatur schisma (ut beatus Hieronymus inquit), quod aliquam non videatur habere adjunctam haeresim. Ita enim scri-

Digitized by Google

bit: „Ceterum nullum schisma non sibi aliquam confingit haeresim, confingat, ut recte ab ecclesia recessisse videatur.“[1]

2. quia est summum incommodum et pernitiosissimum inventum contra legem naturalem, divinam atque politicam. Nam ea concilii auctoritas in summum pontificem nihil aliud inducit in ecclesiam quam aristocratiam, et tamen principatus monarchicus jure divino, naturae et politico constitutus est. Et hic quidem error est Lutheranorum, in ecclesia dominari non principem unum sed primarios homines.

3. fieret, ut ecclesia visibilis sine capite aliquo visibili esset. Nam si concilium auctoritatem obtineat in papam absque papae auctoritate, et illud, ut isti volunt, repraesentet, ecclesiam illam esse sine capite consequitur. Unde fiet, illam ecclesiam Dei non esse, quae acephala esse non potest.

4. Si id obtinetur, quo isti homines tendunt, tota gubernatio ecclesiastica dissipabitur ac peribit: Via enim aperta erit et occasio data compertissima, ut a judicio summi pontificis ad concilium appelletur. Peribit enim non solum gubernatio, sed etiam obedientia orbis christiani. Et tamen perseverabunt decreta Calixti III., Pii II., Pauli II., Julii II., qui statuerunt, non carere haeresis suspicione, si quis a Romano pontifice concilium appellet, atque tales appellationes omnino damnarunt.

5. illud esset incommodum maximum. Nam si haec auctoritas daretur concilio, confirmarentur acta omnia concilii Basileensis contra Eugenium IV., quod pugnat cum auctoritate tot conciliorum, tot summorum pontificum et martyrum, tot doctorum, ut ex superioribus constat; et moderatricem sectari videremur Sorbonam Parisiensem, quae utinam tam sanae esset doctrinae in hoc, quam in aliis dogmatibus esse solet.

6. Si quis attendat diligentius, videbit quod ii, qui a concilio postulant fieri reformationem in capite et membris,

[1] Comment. in ep. ad Titum cap. 3. v. 11. Migne P. L. 26. 598.

Digitized by Google

petunt non solum summi pontificis personam et gubernationem reformari, sed etiam principes omnes seculares atque eorum gubernationes; quod haud dubie plenum est periculi atque seditionis, si tam multi homines absque capite, absque gubernatore, absque spiritu, absque Deo velint leges ponere imperatoribus atque regibus, non solum papae. Volent enim judicare de controversia inter regem Hispaniarum et regem christianissimum et sic rursus inter alios principes. Unde sane rempublicam christianam concuti atque labefactari necesse est.

7. summum illud detrimentum prius sequi necessum est, ut dissolvatur concilium. Neque enim aliter facere potest summus pontifex. Dissolutionem vero necessum est schisma consequi vel saltem extrema illa mala, quae imminent hoc tempore hac de causa, si re infecta concilium abrumpatur.

Postremo quando quidem totum hoc negotium ad discessionem ab ecclesia spectare videtur, videant, qui hanc causam urgent, quid mali illos sequatur, qui a Romana ecclesia vel discesserunt vel illi parum reverenter obedierint. Scimus siquidem Graecos identidem prolapsos in schisma, tandem in teterrimam servitutem barbari immanis atque impii traditos esse; legimus frequenter, quam magna pars Germaniae a summo pontifice desciverit, et simul nunc videmus Germaniae maximam partem in haeresim pessimam esse provolutam. Et quod Galliam attinet, etiamsi aliae possent adduci causae, quapropter tam misere affligatur ab haereticis, tamen hanc inquam causam esse unam, quod, ut ex concilio Basileensi et Sorbona et pragmatica sanctione patet, Galli non plene fuerunt sedi apostolicae obedientes, cujus solebant esse observantissimi eorum majores.

Digitized by Google

VII.

Auctoritates, quae dicunt, papam regere aut pascere universalem ecclesiam.

In concilio Chalcedonensi act. 16. in fine: „Apostolico viro universalis ecclesiae papae.“[1]

In 6. synodo: „Obeunte hujus Romanae universalis ecclesiae pontifice.“[2]

In Alexandrina synodo Athanasius et alii episcopi scribunt ad Felicem II. pontificem: „Vos universalis ecclesiae, et maxime episcoporum, qui oculi vocantur Domini, curam gerere.“ Et ibidem: „Omniumque ecclesiarum ei curam habere praecepit.“[3]

In concilio Ilerdensi: „Petrus in pastorem totius ecclesiae a Christo institui meruit.“[4]

In concilio generali Lugdunensi: „Vicarii Jesu Christi, successoris Petri, rectoris universalis ecclesiae, gregis dominici directoris.“[5]

In concilio Constantiensi in art. 41. inter articulos damnatos contra Joannem Wikleff: „Non est de necessitate salutis credere, Romanam ecclesiam esse supremam

[1] Mansi VII, 454. Verba sunt legatorum apostolicae sedis, qui etiam subscribunt actis hac formula: vicarii apostolici universalis ecclesiae papae; ib. 136. In scriptis a Theodoro, Ischyrione, Sophronio et Athanasio synodo propositis pontifex Romanus pluries vocabatur „universalis archiepiscopus et patriarcha magnae Romae.“ Mansi VI, 1005. 1012. 1021. 1029. Cf. Gregorium M. Ep. IV, 32. 36; VII, 30, qui ad hanc normam intelligendus est.

[2] Potius ex concilio Romano anni 1059. Decret. p. I. Dist. 33. c. 1.

[3] Epistola pseudoisidoriana. Hinschius, Decretales pseudois. (Lipsiae 1863) p. 482.

[4] Dicta verba sunt Gratiani post c. 52. Dist. 50., qui eadem probat ex S. Greg. M. hom in Evang. XXI c. 4.

[5] Cap. Ubi periculum 3. De electione (I. 5) in VI. §. Caeterum. Ex can. II. concilii Lugdunensis II. a. 1274.

Digitized by Google

inter alias ecclesias."[1] Error est, si per Romanam ecclesiam intelligatur universalis ecclesia. In eodem concilio sess. 40. in tit. De forma eligendi papam, habentur haec verba: „Vicarii Jesu Christi, successoris beati Petri, universalis rectoris ecclesiae, gregis dominici directoris."[2]

In concilio Basileensi in principio sub rubrica: Initium et approbatio: „Martinus sanctae Romanae ac universalis ecclesiae tunc praesidens pontifex." Sunt verba concilii.[3] In eodem, sessione 12. sub decreto de elect.: „Pro oneribus, quae ipsum pro regimine universalis ecclesiae subire oportet", loquens de papa.[4] In eodem, sess. 23., dum agitur de forma electionis Romani pontificis in juramento cardinalium: „Eligemus, quem credemus ecclesiae universali in spiritualibus et temporalibus utilem et tantae dignitati idoneum."[5] In eadem sessione, dum agitur de electione cardinalium, in principio: „Super quem (papam) ostia universalis ecclesiae versantur."[6] In eodem concilio in responsione synodali de auctoritate concilii generalis supra papam: Traditam esse in beato Petro summo pontifici soli „plenitudinem potestatis", et eum esse „caput et primum ecclesiae."[7] Idemmet concilium eodem in loco: veram illam esse propositionem, summum pontificem pastorem esse universalis ecclesiae.

[1] Damnati sunt ii (45) articuli a Martino V. per bullam *Inter cunctas* 8. Kal. Martii 1418 et bullam *In eminentis* ejusdem diei.

[2] Mansi 27, 1165.

[3] Ibid. 29, 10.

[4] Ibid. 29, 63.

[5] Ibid. 111.

[6] Ibid. 116.

[7] „In primis late explicat (archiepiscopus Tarentinus) jurisdictionem et potestatem summi pontificis, quod caput sit et primus ecclesiae, vicarius Christi, et a Christo non ab hominibus vel synodis, aliis praelatus et pastor Christianorum, et ei datae sint a Domino claves, et uni dictum sit „Tu es Petrus" et solus in plenitudinem potestatis vocatus sit, alii in partem sollicitudinis; et multa hujusmodi, quae quum vulgatissima sint, minime necessarium erat recensere. *Ista plane fatemur* et credimus operamque in hoc sacro concilio dare intendimus, ut omnes eandem sententiam credant. Et nihilominus ipsum Romanum pontificem dicimus obedire teneri mandatis . . hujus s. synodi Basileensis." Mansi l. c. 245. 246.

Digitized by Google

In concilio Florentino: „Et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.“[1]

In concilio Lateranensi, ultima sess. 6.: „Leo papa sanctae suae (Dei) universalis ecclesiae . . praesidens.“[2] In eodem concilio sub Julio II. in 5. sess., in bulla contra simoniacos: „Debet habere curam et regimen „universalis ecclesiae.“[3] In eodem concilio sess. 9. in bulla approbante concilio data, quam legit episcopus Massiliensis: Papa habet „curam et regimen universalis ecclesiae.“[4]

Sixtus, qui fuit sextus a Petro, in epistola 2., quam scribit ad omnes episcopos: „Sixtus universalis apostolicae ecclesiae episcopus.“[5] Sixtus II. in ep. 1.: „Penes universalis apostolicae ecclesiae papam judicetur.“[6]

Similiter Victor I. papa.[7]

Calixtus ita scribit in epistola sua prima: „Calixtus archiepiscopus ecclesiae catholicae, urbis Romae.“[8]

Pontianus epist. 2.: „Pontianus sanctae et universalis ecclesiae episcopus.“[9]

Sixtus II. epist. 1.: Conatus sui sunt „pro ecclesia universali.“[10]

[1] Mansi 31, 1022; cf. Hefele Conciliengeschichte 7, 746 ss.

[2] Harduini Coll. Concil. 9, 1677; ex bulla salviconductus et indictionis sess. VII.

[3] Ea expressio pluries in bulla cit. occurrit; Harduini Coll. 9, 1656. 1657.

[4] Ibid. 1742.

[5] Pseudoisidoriana ep. Sixti I. (Jaffé nr. 32).

[6] Pseudoisid. ep. ad Gratum episc. (Jaffé nr. 133). In Decreto c. Si quis 15. C. II. qu. 6.

[7] Pseudoisid. ep. Victoris ad Theophilum Alexandrinum (Jaffé nr. 74): „Si quis putaverit, se a proprio metropolitano gravari apud primatem dioeceseos aut „penes universalis apostolicae ecclesiae judicetur sedem.“ Decret. l. c. c. 7. Locus confectus est secundum conc. Chalcedon. can. 17.

[8] Pseudoisid. ep. Calixti ad Benedictum fratrem et episcopum (Jaffé nr. 85).

[9] Pseudoisid. ep. Pontiani de fraterna dilectione etc. (Jaffé nr. 89).

[10] Pseudoisid. ep. supra N. 6. citata.

Digitized by Google

Julius papa I. epist. 1. ad Orientales: „Ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura confluit.“[1]

Felix II. scribit ad episcopos Aegypti in Alexandrina synodo congregatos: „Felix universalis ecclesiae episcopus.“[2]

Athanasius et episcopi Aegypti vocant Marcum „papam universalis ecclesiae.“[3] Idem Athanasius et episcopi Aegyptiorum scribunt ad Liberium papam, universalem a Christo ei commissam esse ecclesiam.

Eisdem Liberius ita scribit.[4]

Gelasius papa can. 11.: „Dominus ecclesiae totius (in ea) posuit principatum.“[5]

Symmachus papa, ut habetur in Decreto: „Symmachus episcopus catholicae ecclesiae urbis Romae.“[6]

Gregorius Magnus, ut habetur ibidem: Deus „Petrum cunctae ecclesiae praeferre disposuerat.“[7]

Innocentius III. c. Novit De judiciis: „Qui sumus ad regimen universalis ecclesiae superna dispositione vocati.“[8]

Johannes XXII. in Extravagante Sancta De religiosis domibus: „Sancta Romana atque universalis ecclesia, cui . . praesidemus.“[9]

Bonifatius VIII. c. 1. de renuntiatione in VI.: „Ad regendam universalem ecclesiam.“[9]

[1] Pseudoisid. ep. (Jaffé nr. 195).

[2] Pseudoisid. ep. ad Athanasium etc. (Jaffé nr. 230).

[3] Pseudoisid. ep. ad Marcum ed. Hinschius p. 451.

[4] Pseudoisid. ib. 474. 476 (Jaffé nr. 222).

[5] Gelasii ep. ad episcopos per Lucaniam etc. (Jaffé nr 636) c. 11: „Satis indignum est, quemquam vel pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere, satisque conveniens est, ut totum corpus ecclesiae in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi dominus ecclesiae totius posuit principatum.“

[6] C. Bene quidem 1. Dist. 96., ex synodo Rom. a. 502.

[7] C. Considerandum 53. Dist. 50, ex S. Greg. M. homil. in Evang. XXI c. 4.

[8] C. Novit 13. De judiciis (II. 1), ex ep. ad archiepiscopos et episcopos per Franciam (Potthast nr. 2181).

[9] Verba citata sunt initium dictae Extravagantis (tit. VII. cap. un.)

[10] Cap. Quoniam aliqui (lib. 1. tit. 7).

Digitized by Google

Quod pontifex sit caput ecclesiae affirmant:

C. Non decet 12. dist.[1] — C. Praeceptis ibidem.[2] — C. Rogamus 24. qu. 1.[3] — C. Ita Dominus 19. dist.[4] — C. Fundamenta De elect. in VI°.[5] — Extravagans Unam sanctam De majoritate.[6] — In decreto Ivonis par. 5. c. 44.[7]

[1] Dist. 12. can. 1.: „Non decet a capite membra dissidere . . Nulli dubium est, quod apostolica ecclesia mater sit omnium ecclesiarum, a cujus vos regulis nullatenus convenit deviare; . . (Ecclesia) cujus caput existit Romana ecclesia.“ Ex ep. pseudoisidoriana Calixti I. ad Benedictum episc. (Jaffé nr. 85). Locus initio repetit, quae Leo I. ep. 14. c. 11. dixerat.

[2] Dist. 12. can. 2., ex ep. Gregorii IV. ad universos episcopos, quae juxta Jaffé nr. 2579 et alios inter spurias reponenda est. Animadvertendum tamen, eas epistolae partes, quae primatum Romani pontificis testantur, ex aliis ut plurimum vetustioribus epistolis Romanorum pontificum conflatas esse, ut tabule a Hinschio, Decretales Pseudoisidorianae p. CLXXXVIII exhibitae demonstrant. Ita ex. gr. illa verba, quae Lainius innuere videtur: *omnis sanctae religionis relatio ad sedem apostolicam quasi ad caput ecclesiarum debet referri* fluxerunt ex epist. Innocentii I. ad Felicem Nucerianum (Jaffé nr 314): *omniaque, quae possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput atque apicem episcopatus referre.*

[3] Can. Rogamus 15. (C. 24. q. 1.) originis pseudoisidorianae, videl. ex ep. Marcelli P. ad episcopos per Antiochenam provinciam constitutos (Jaffé nr. 160) confecta ex variis anterioribus documentis.

[4] Can. Ita Dominus (7.) ex Leonis I. ep. ad episcopos per Viennensem provinciam constitutos (Jaffé nr. 407), ubi verba occurrunt: (ut Christus) „ab ipso (b. Petro) quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.“

[5] Cap. Fundamenta 17. (lib. 1. tit. 6) ex Nicolai III. constitutione super electione senatoris Urbis facienda (Potthast nr. 21362), ubi verba S. Leonis in nota praecedenti allegata repetuntur, similiaque adduntur ut: „Roma per sacram beati Petri sedem caput totius orbis effecta“ etc.

[6] Extrav. com. I. 8. cap. 1. Constitutio celeberrima Bonifatii VIII. a. 1302 die 18. Nov. edita (Potthast nr. 25189).

[7] Migne P. L. 161, 338. Ex ep. saepius cit. Leonis IX. ad Michaelem imperatorem (Jaffé nr. 2796).

Digitized by Google

VIII.
Contra haereticos Galliae perturbatores.

I. Ragionamento alla regina contra Pietro Martire.

Madama,

Ancorchè il pellegrino non habbia d' esser curioso nella republica d' altrui, nondimeno perchè la fede non è di particolari nationi, ma universale et catholica, non mi par inconveniente di proporre a V. Mtà quel che m' occorre, tanto parlando in generale di quel che quì si tratta, come in particolare rispondendo ad alcune oggettioni fatte da fra Pietro Martire et dal suo suo collego.

E quant' al primo per quel ch' io ho letto e s' è visto per isperienza sempre, mi par cosa molto pericolosa il trattar con persone, ch' escono fuori della chiesa, e sentirle; perchè, come l' ecclesiastico dice: „Quis miserebitur incantatori a serpente percusso et omnibus, qui appropiant bestiis?“[1] Quelli adunque, ch' escono dalla chiesa, si chiamano nella scrittura serpenti e lupi in vestimentis ovium et volpi, acciò ch' intendiamo, che bisogna molto guardarsi da loro specialmente per la loro fittione, la quale sempre hanno usato; come per esempio i Pelagiani, i quali negavano il bisogno della gratia di Dio ed attribuivano alla natura le forze, ch' ella non aveva, e costretti da' superiori confessavano, esser necessaria la gratia, et di poi per li cantoni dicevano alli suoi, che per la gratia intendevano la natura, quale gratiosamente c' era stata da Dio concessa. Altri ancora negavano la resurrettione del corpo et dicevano, che sola l' anima risuscita, quando si giustifica; di poi, dimandati, se credevano di risuscitare, dicevano di sì; ed interrogati di più, se in questa carne, rispondevano di sì; ma di poi dichiaravano il suo senso,

[1] Eccli. 22. 13.

Digitized by Google

il qual era, che l' anima essendo in questa carne risuscita quando si giustifica etc.[1] Et così si potrebbe dire di altre particolari sette. Et in universale tutti convengono in questo, che confessano la chiesa catholica et i ministri di essa et l' autorità delle scritture, almeno d' alcune. Et tutti fanno essi stessi chiesa catholica, et li suoi ministri leggitimi ministri, ed il senso loro sopra le scritture senso catholico. Et nondimeno la verità è, che la loro chiesa, ministri e senso, ch' impongono alle scritture, non sono catholici ma simie delli catholici. Et però bisogna, che, chi gli ascolta, apra molto ben gli occhi per evitar li pericoli.

Per il che, Madama, mi occoreva rappresentar a V. M^tà^ duo rimedii, l' uno de' quali mi par buono, l' altro men malo.

Il primo è, ch' intenda V. M^tà^, che non appartiene a Lei nè a niun prencipe temporale il trattar delle cose della fede; perchè non è in loro la potestà; oltre chè non sogliono communemente i tali occuparsi nelle sottilità e minutie di quella. Et è ben ragionevole, che „tractent fabrilia fabri". Tocca dunque ai sacerdoti trattarne. Et perchè le cose della fede sunt causae majores, tocca al sommo sacerdote et al *concilio generale* il definirle. Il quale concilio essendo al presente aperto, non par conveniente nè leggitimo far simili congregationi. Et perciò li padri congregati nel concilio Basiliense determinarono, che durante il concilio generale et sei mesi prima non si facessero i concilii particolari. Adunque il miglior rimedio è, che V. M^tà^ *indirizzi costoro al concilio,* perchè andandovi in quello uomini dotti di tutte le nationi ed essendoci (che è quel che più importa) l' assistenza infallibile dello Spirito santo, la quale quì non ci possiamo promettere, e dandoli S. S^tà^ sicuramente salvocondotto ed ogni sicurtà necessaria, volendo essi andare et esser ivi ammaestrati, come dicono, là si potrà fare molto meglio. Benchè, per dir il vero, io non credo, che pretendano d' esser am-

[1] Veteres quidam haeretici gnostici, ut Menander Samaritanus, dicto modo resurrectionem mortuorum negaverunt. Cf. Tertull. De resurrectione carnis c. 19. Migne P. L. 2, 820; Iren. Adversus haereses lib. 1. c. 23. c. 5. Migne P. G. 7, 673.

Digitized by Google

maestrati, ma si bene ammaestrar e sparger il suo veleno; poichè in luogo d' udir gli altri fanno prediche, che durano una hora e mezza.

Il secondo rimedio, non buono, ma manco malo, è che, già che per usarli misericordia e carità et per guadagnarli vuole V. M^{tà} che si disputi, si faccia questo solamente in presenza di persone dotte ed esercitate, quali non ci sia pericolo, che et infettino nè convincano, anzi sian' atte a convincer loro et ammaestrarli; et in questo modo si scuserebbe anco V. M^{tà} et questi Ill^{mi} SS^{ri} di fastidio, e la cosa sarebbe più sicura.

Quant' al secondo, che è rispondere ad alcune oggettioni, vedo bene, che non è necessario; perchè per grazia del Signore l' Ill^{mo} cardinale di Loreno specialmente, ed ancora gli altri dottori gli hanno risposto sofficientissimamente, et non solo risposto, ma in molte cose convinto. Perchè in vero, Madama, in quella cosa della missione loro gli hanno fatto sudare. Et similmente quanto a quel, che dicono, che non s' ha da credere cosa, che non si provi per l' espressa parola di Dio. Et per ciò a me resta manco che dire.

Et primo quanto a quel, che dicono delli nostri vescovi, che si fanno per simonia, et che però non siano leggitimi, oltre quel, che s' è risposto, et ben risposto, dico, che se pure fusse alcuno, il quale revera fusse simoniaco, quantunque in presenza di Dio sia malo et reo, et non sia entrato per la porta, tamen quanto a noi e quanto alla chiesa, quae non judicat de occultis, è leggitimo insin' a tanto, che in foro exteriori è convinto et dichiarato tale. Et il Signore Dio quant' all' amministratione delli sacramenti e quant' alla dottrina fa per mezzo d' esso quel che per gli altri leggitimi; perchè la prelatione è gratia, che si da in utilità de gli altri, ai quali non imputa il Signore il peccato occulto del ministro.

Quant' a quel, che diceva fra Pietro martire, che sarebbe meglio, che i popoli eleggessero, come si faceva anticamente, oltre che in questo dimostri, che non viene

Digitized by Google

per esser ammaestrato, ma per dar leggi, direi, che come si vede per isperienza, sono state varie forme d' eleggere, et in tutte sono intrati abusi. Perchè per dar' un esempio del papa, è chiaro, che qualche volta l' elettione si faceva dal clero et popolo Romano, poi dal clero solo (come si fa anche hoggi et lì et in Allemagna nell' elettione delli vescovi), poi dagl' imperadori (come si fa hoggi delli vescovi in Francia et Spagna dalli rè); et nondimeno in tutti questi modi col tempo sono entrati abusi, come si è detto, perchè non meno si possono corrompere molti della moltitudine de gli elettori, che un prencipe, et così potrebbe entrar la simonia. Di modo che l' argomento di quella tanto stringe contra loro, che vogliono, che la moltitudine elegga, come contra coloro, che vogliono, ch' elegga il rè, il quale, com' è stato detto, ha il consenso de' popoli.

Quant' agli altri argomenti, che faceva fra Pietro Martire della loro missione, cioè che gli apostoli o li profeti senza impositione de' mani havevano predicato, et per necessità la moglie di Mosè circoncise suo figliuolo, e per quella medesima può un Turco battezzar un, che si vuol far christiano, et così loro per necessità lo fanno leggitimamente etiam che non siano mandati da altri superiori, nè habbiano l' impositioni delle mani: primieramente mi maraviglio, ch' essi si comparino alli profeti ed a gli apostoli; perchè quelli, oltre la vita, furno mandati immediamente da Dio, il quale non è astretto ad imponer le mani a suoi ministri e può dar l' effetto del sacramento senza la materia e forma d' esso; et non predicarono niente contra quel ch' era definito esser di fede, et confermarono la lor divina missione con segni et effetti sopranaturali, come costa degli apostoli e molti profeti; e se alcuni non fecero altri miracoli, la medesima profetia prova sua missione, perchè è effetto sopranaturale. Quest' altri non hanno la buona vita; le cose che predicano sono contrarie alle cose diffinite; non hanno segno, nè scrittura della sua missione estraordinaria; non sono dunque mandati da Dio. Immo se li mandasse, contradirebbe a se stesso, perchè li man-

Digitized by Google

derebbe a predicar cose contrarie a quelle, ch' egli ha definite.

Et è cosa frivola, dire che gli mandano i suo magistrati; primo perchè quand' essi cominciaron' a predicare, non era republica alcuna tutta guasta, ma alcuni particolari heretici, che non facevano popolo; et così all' hora è chiaro, che mancava questa missione, et tamen predicavano et amministravano i sacramenti, che confessavano. Di poi ancorchè fosse una republica intiera di questa dottrina, chiaro è, che non ha autorità di privar il vescovo della sua giurisdittione, ed il rè, che l' ha nominato, della sua, ed il papa, che l' ha et confermato ed istituto della sua, mettendo ministri sopra le sue pecorelle contra loro voglia. Et se bene a niuno di costoro si facesse pregiudicio, la republica potrebbe far cose civili ed altre, alle quali s' estende l' umana potestà, et potrebbe dar facoltà a costoro che le facessero; ma non può mai dar facoltà di far cose sopranaturali, qual è far che un rinasca per il battesimo, consacrar la ss. eucharistia, et conferendola ad altri dar gratia ai communicanti, et predicar le cose sopranaturali della fede, alle quali niun' intelletto di republica arriva.

Et se la moglie di Mosè circoncise il figliuolo, primo non habbiamo scrittura espressa, che deputi certo ministro della circoncisione escludendo gli altri; et quando ben ci fosse, consta, che hebbe special istinto ed ispiration di Dio a far quel, che fece, perchè l' angelo, che voleva ammazzare Mosè, cessò circonciso il figliuolo.[1]

Et il battesimo ancora, che fa il Turco, è valido, perchè essend' il battesimo sacramento a tutti necessario, ha voluto il Signore, che qualsivoglia huomo o donna possa esser ministro di quello. Et con tutto che ciò sia verità, peccherebbe il Turco et qualsivoglia altr' huomo, che contra la volontà de gli ordinarii ministri apparecchiati a battezzare volesse battezzare. Et così peccano costoro, ch' amministrano la parola di Dio ed li sacramenti contra la volontà de gli

[1] Exod. 4, 24 ss.

Digitized by Google

ordinarii, li quali per se o per li suo ministri danno a' popoli il verbo di Dio ed li sacramenti secondo il senso e rito vero e catholico. Et questi predicano le scritture secondo il proprio senso et ministrano i sacramenti quanti e come vogliono. Et però, se peccherebbono predicando etiam et ministrando catholicamente, se lo facessero contro gli ordini de' superiori, molto più peccano contro la medesima obedienza, predicando errori et superstitioni. Et se bastasse non predicar il vescovo, o predicar male a parer di qualunque huomo, potrebbon saltare tutte le sette de gli heretici a predicar contro l' ordine del vescovo con pretesto di questa necessità. Et per la medesima via potrebbon gli ambitiosi et seditiosi levarsi contra i prencipi secolari, dicendo, che mancano al loro ufficio e favoriscono l' idolatria etc., tolerando la messa, la veneratione de' santi et imagini et reliquie.

Gli altri argomenti c' hanno fatto costoro contro la reale presenza del nostro Signore nell' eucharistia, facilmente si risolvono.

Perchè quel che diceva il Beza, ch' era contra la verità della natura del corpo di Christo N. S. star in tanto piccol luogo, massimamente stando in cielo et non discendendo di là, si risponde che, come dice Damasceno 4°. libro cap. 13°., per esser il esser il N. S. realmente nell' eucharistia, non bisogna che discenda dal cielo[1]. Il che la ragione anche dimostra; perchè se bisognasse, che discendesse dal cielo per trovarsi nell' hostia, bisognerebbe ancora, che si partisse da una hostia per trovarsi in un' altra. Per virtù dunque di Dio sta nel cielo e in tutte le hostie consecrate; nel cielo naturalmente occupando tanto luogo quanto richiede la sua quantità, nelle hostie sopranaturalmente et non occupando. Perchè in Christo c' è la divinità, l' anima e corpo. E la divinità non occupa, e sta non solamente in tutte l' hostie consacrate et parti loro minime, ma in tutto il mondo, secondo quello: „Coelum et terram ego impleo."[2] L' anima, perchè è spirito ancora non oc-

[1] Migne, Patrol. graecà 94, 1135. [2] Jerem. 23, 24.

Digitized by Google

cupa, et però può star in tutta l' hostia et in qualunque minima parte di essa, come vediamo che sta nel corpo nostro et in qualunque parte di esso. Ma per virtù sopranaturale et infinita di Dio sta in tutte l' hostie consacrate, secondo che naturalmente sta tutta nel mio corpo e tutta nel mio piede.

Il corpo, del quale è la difficultà, non ista nell' ostia alla distesa et al modo, che sta nel cielo; perchè bisognerebbe che l' hostia fosse tanto grande quanto il corpo di Christo N. S., e che tutto il corpo fosse in tutta l' hostia et le parti sue nelle parti dell' hostia, come per essempio è l' uccello et il pesce nel pasticcio. Sta dunque non a modo di corpo alla distesa et occupando, ma a modo di so stanza et spirito, il quale sta realmente presente senz' occupare. Ha dunque il corpo due cose, l' esser presente al luogo et l' occuparlo et empirlo. Prima è l' esser presente, e poi seguita l' occupare, perchè se non fosse presente non occuperebbe. Il miracolo dunque è, che Dio benedetto per sua infinita potenza lascia star il primo et leva il secondo; cioè fa, che il suo corpo nell' eucharistia sia realmente et sostantialmente presente, et pur non occupi. Et così può star tutto e sta tutto in tutta l' hostia e tutto in qualunque parte d' essa, come un angelo et la nostra anima, perchè di tal modo sono presenti, che non occupano essendo spiriti. Stanno tutti in tutto il luogo, dove operano, e tutti in ciascheduna parte. Perchè dunque la natura di qualunque creatura è, ubbidir al creatore, et quella ubbidienza gli è soave, non perde il corpo di Christo N. S. la verità di sua natura per stare per miracolo, come vuole Iddio, nell' hostia, secondo che non perse il fuoco nella fornace di Babilone la verità della spetie sua, non abbrucciando i compagni di Daniele, ma li ministri di Nabuchodonosor; et secondo che il grave non perde la verità di sua natura quando ascende per evitar il vacuo; et se questi corpi naturali, per ubbidir a Dio, non perdono la loro natura, molto manco il corpo di N. S., il quale non è corpo solamente dotato di qualità naturali, ma corpo glorioso, et non solo glorioso, ma corpo dell' eterno Verbo,

Digitized by Google

perde la verità della sua natura per trovarsi in lui cose sopranaturali, come ancora non la perdè uscendo dal ventre immacolato della gloriosa Vergine et dal sepolcro serrato, et entrando nel cenacolo, essendo le porte chiuse. Ben disse adunque Ambrogio: „Hoc, quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, quum praeter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine.“[1]

L' aver detto S. Agostino contra Adimantio e Tertulliano[2] et altri, che l' eucharistia è segno o figura di Christo N. S. non leva la real presentia sua in essa, come voleva fra Pietro martire, quantunque dicesse, che non pretendeva allora dire contra l' eucharistia, gittando la pietra e ascondendo la mano; questo, dico, non pregiudica all' eucharistia, perchè oltre chè, come dice la settima sinodo[3], si chiama l' eucharistia segno, perchè le spetie sono segno, e non perchè sotto quello non sia la verità del corpo e sangue del Salvatore. Sono segni e figure e rappresentationi del vero medesimo corpo in croce e del sangue ch' uscì d' esso; perchè secondo che nella croce morì il Signore, separandosi il sangue dal corpo, così il corpo separatamente è significato per l' hostia et il sangue

[1] Ambros. lib. de mysteriis c. 9. nr. 53. Migne P. L. 16, 407.

[2] Augustin. lib. contra Adimantium Manichaei discipulum c. 12. n. 3. Migne P. L. 42, 144.; Tertull. contra Marcionem l. 3. c. 19. Migne P. L. 2 348.

[3] Synodus VII. (Nicaena II) Act. VI. in Refutatione lecta a Johanne et Epiphanio diaconis tom. 3. Mansi XIII, 263 s: „Nullus enim aliquando tubarum Spiritus, sanctorum videlicet apostolorum aut illustrium patrum nostrorum incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt a Domino sic dicere vel confiteri, sed audiunt evangelice dicentem eum: ‚Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejús sanguinem, non intrabitis in regnum coelorum‘; et, ‚qui manducat meam carnem et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo‘; . . et ‚Hoc est corpus meum‘ . . ‚Hic est sanguis meus‘. Et non dixit: Accipite et comedite imaginem corporis mei . . Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus vel apostoli aut patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, quod per sacerdotem offertur, sed ipsum corpus et ipsum sanguinem.“

Digitized by Google

per il calice. Nè ripugna, che il medesimo sia verità e significatione, come l'urna di manna era segno della manna, ch' era caduta nel deserto, et era verità, perchè ancora essa cadde, et il vero corpo di Christo N. S. morto è segno della morte del peccato, et il vero corpo risuscitato è tipo della giustificatione nostra. Come sarebbe in questo sensibile essempio: Mettiamo, che un prencipe liberasse in guerra una città assediata et presa da' suoi nemici, et che, affinchè il popol fosse grato et per mezzo della gratitudine havesse lui a farli più bene, volesse che ogn' anno si rappresentasse sua vittoria, è chiaro che si potrebbe rappresentar in tre modi. Il primo, narrando semplicemente l' historia del fatto; il secondo, facendo, che in modo di spettacolo una terza persona rappresenti la persona del prencipe et altri la battaglia, et questo sarebbe più efficace, „quia segnius irritant animos demissa per aurem, quam quae sunt oculis subjecta fidelibus;“[1] il terzo, et è efficacissimo, se il prencipe stesso si degnasse per se medesimo rappresentare la sua antica vittoria. Et così è fede cattolica, che il N. S. sta presente nell' eucharistia realmente, e che sta realmente presente in memoria et rappresentatione di sua morte, perchè nell' eucharistia non muore, ne si sparge veramente il sangue, ma si rappresenta la sua morte. Nè questo è indegno della maestà del N. S. et del del corpo suo; perchè essendo al modo già detto reale e sopranaturale, nè si può brusciar, nè romper, nè imbrattare, nè patire niuna alteratione. Et è insieme con la divinità adorato per tutto' l mondo, e mostrasi per questo la somma carità del Signore et il sommo amor suo verso la sua sposa, la chiesa santa, con la quale vuol' esser' etiam in questo modo usque ad consummationem saeculi. Et perciò la scrittura et la chiesa santa, confessando, ch' è Christo presente, et ch' è in memoriam passionis nella santa eucharistia, non lo fa, come uno di questi bestemmiò, ma predica l' infinita potentia sua in questo misterio et infinita maestà et carità et bontà.

[1] Horat. Ars poet. v. 241 s.

Digitized by Google

Et perchè fra Pietro martire ha essortati li presenti a confessar sua fede, io ancora, Madama, confesso, che questo, che V' ho detto della presentia reale di Christo nell' eucharistia in memoria di sua passione è verità catholica, per la quale con la gratia del Signore io sono apparechiato a morire.

Et supplico la Maestà Vostra, che sempre difenda e confessi la verità catholica (com' Ella fa) et tema più Iddio che gli huomini, perchè in questo modo Iddio piglierà la protettione Vostra et di Vostro figliuolo, il rè christianissimo, et Vi conserverà il vostro regno temporale, et Vi darà l' eterno. Dove se posponeste il timor di Dio et la sua fede et amor al timor o amor del mondo, sarebbe pericolo, che, perso lo spirituale, non perdeste ancora il temporale, il che spero in Dio N. S., che non sarà, anzi che farà V. M^{tà} e vostro figliuolo perseverare e non permetterà giammai, che una nobiltà come questa, et un regno christianissimo, che è stato esempio et regola degli altri lasci la religion catholica ed antica de' suoi maggiori, et si lasci imbrattare da nuove sette ed errori.

2. Adhortatio ad principem Condaeum ad rem concilii Tridentini promovendam.

(Sacchinii Hist. Soc. Jesu P. II. l. 5. n. 213 ss.)

Excellentissime princeps,

Viam inire idoneam, qua novae ecclesiae cum Romana veteri, a qua discessere, concilientur, quanti non ad pacem modo et quietem civilem, sed multo etiam magis ad aeternam salutem tot pereuntium animarum intersit, minime arduum intellectu est. Etenim quum vera ecclesia non nisi una sit, extraque eam spes salutis nulla sit, si haec est Romana vetus, sane actum est de reliquis; si forte novarum aliqua vera est, item infelix est conditio reliquarum, eorumque caritas, qui sunt in ecclesia vera, postulat, ut curent ad eamdem caeteros aggregare.

Digitized by Google

Conjunctionis autem ratio, cognitis dissidii ac disjunctionis causis, pervestiganda est, ut ad removendas eas incumbatur. Porro causae potissimum fuisse videntur duae: altera ecclesiasticorum vita; quae re vera in moribus suorumque functione munerum correctione haud modica indiget. Mala enim horum exempla tantum praebuere offensionis, ut quorum vita contemptui fuit, eorum pariter contempta doctrina sit. Injuste id quidem. Nam scribae quoque et pharisaei improbi erant, et tamen Christus ait: „Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei; omnia quaecunque dixerint vobis, servate et facite; secundum autem opera eorum nolite facere."[1] Verum justo judicio permisisse Deus videtur, ut sal infatuatum conculcaretur, idem tamen conculcantes judicaturus. Altera dissidii causa fuit, quod in cultum divinum sive ex inscitia, sive ex avaritia, sive aliunde irrepsere vitia quaedam, quae abalienationis causam praebuerunt. Ergo remedium ad disjunctionem tollendam esse tale debet, quo et duo haec mala removeantur, ac simul de conciliandis dogmatibus agatur in spiritu caritatis et non contentionis.

Tale autem hoc videtur:

Papa oecumenicum edixit concilium, accivitque universos, qui jure aut consuetudine adesse generalibus conciliis solent. Hi sunt non soli tantum episcopi, sed abbates quoque et religiosorum ordinum praepositi generales; praeterque hos alii viri docti, saltem ut suadendi consulendique jus habeant. Quocirca faciendum videretur, ut e regno Galliae probi doctique permulti ex episcopis, abbatibus, doctoribus aliisque idoneis viris mitterentur, qui copiosum ac floridum suffragiorum numerum vel statuentium vel suadentium efficerent, qui quum a prudentia, tum a doctrina merito auctoritatem haberent; possetque capitibus eorum negotium dari, ut serio reformationem morum urgerent. Idem cum Philippo rege, idem cum caesare agi posset, ut demandarent suis. Nec dubito, quin pro eo, quantum hi principes cleri emendationem op-

[1] Matth. 23, 2.

Digitized by Google

tant, paratissimi sint futuri; idque eo proclivius fieret, quod suapte sponte paratus papa est, uti potest de legato[1] cognosci, imperare imprimis, ut de reformatione agatur. Quapropter si accedere voluntatem principum viderit, idem impensius exequetur.

Jam concilium quum plane liberum sit, in eoque serio de correctione sit agendum, videtur aequum, ut capita novarum ecclesiarum in Gallia, Germania, et ubicunque locorum sunt, eo conferant sese, ut monitis correctionem suis juvent, et de controversis suis dogmatibus disceptent. Spesque est fore, ut Sanctus Spiritus verae auctor unitatis et pacis, quemadmodum in aliis conciliis in ejus nomine congregatis adfuit et fidei controversias diremit magnas, ita in hoc quoque adsit et dissidia, quae in praesentia terrarum permiscent orbem, componat. Quod si novarum ecclesiarum hominibus haudquaquam placeret de dogmatibus suis ex majore totius concilii suffragiorum numero decerni, in promptu est via, quae in concilio Ferrariensi et Florentino sub Eugenio Quarto est inita, quum Graeci Latinis reconciliati sunt, totidem utrimque constitutis, qui absque suffragii latione, sanctarum scripturarum inter se doctorumque locos ac rationum momenta expenderent.

Securique sint novarum ecclesiarum homines, bene se acceptum iri et humaniter ante postque consensionem. Pro qua equidem vel centies, si toties possim, mori non abnuam. Atque hoc pacto ex dissidii malo emendationis in ecclesiae capite ac membris bonum existeret.

3. Commentarius, ne templa haereticis concedantur, admonens.

(Sachinii Hist. Soc. Jesu P. II. l. 6. n. 32ss.)

Quum a multis saeculis Christi fidem complexa Gallia catholicae Romanae ecclesiae perpetuo adhaeserit, et nova nunc ei obtrudatur religio, quae se a Romana segregat, videndum etiam atque etiam est, recipienda sit necne.

[1] Hippolyto Estensi, cardinali Ferrariensi.

Digitized by Google

Nam, quoniam nonnisi una est fides, una religio sancta, una ecclesia, profecto altera harum religionum falsa est, vel nova vel vetus. Si nova falsa est, nulla relinquitur eam sequentibus via salutis; si vetus, populi igitur regesque priores aberrarunt omnes ac periere exitio sempiterno.

Quis autem non videt, quanti negotii sit majores omnes, non solum e populo, sed antistites regesque, quorum multi coluntur in sanctis, de caelo quodammodo detrahere et damnare? Erit ergo prudentissimae reginae, tantam in regno conversionem, rege pupillo, nequaquam pati. Nec vero e concilio regio suadere id quisquam debet, ne scilicet quum necessitas nulla sit, quae moram non ferat, regis pueritiae videatur illusum; cui non paternum avitumque, sed novitium quoddam, praecipiti fictum prolatumque consilio traderetur regnum. Quippe eorum, qui templa petunt, doctrina non modo ea non est, quam adhuc secuta est Gallia, sed illi plane contraria, multisque damnata conciliis est: in Romano[1] ac Vercellensi[2] sub Leone Nono pontifice, in Turonensi sub Victore Secundo[3] et Innocentio Tertio[4], itemque in eo, quod Basileae, quodque Constantiae habitum est. Quibus conciliis quum explicata et tradita sit ecclesiae catholicae doctrina, qui sectantur hanc novam illi contrariam, luce clarius est, in catholica ecclesia eos non esse. Quare nec rectam habent fidem, „sine qua", ut ait apostolus, „impossibile est placere Deo.[5]" At fidei subruto fundamento, omnes istius novae sectae ritus ac cerimoniae invisae sunt Deo.

Atque adeo nullo modo concedenda sunt templa, quae talibus ritibus polluantur; quae sint superstitiosae impietatis receptacula et sacrilegiorum officinae; sed potius sub-

[1] Synodus Romana a. 1050 contra Berengarii Turonensis errores de eucharistiae sacramento.

[2] Synodus Vercellensis eodem anno celebrata.

[3] Synodus Turonensis a. 1054 contra dictum Berengarium.

[4] Intelligi videtur synodus oecumenica Lateranensis IV. sub Innocentio III. a. 1215, quae cap. 1. inter alias doctrinam catholicam de „transsubstantiatione" contra Catharos confirmat. Mansi XXII, 982.

[5] Hebr. 11, 6.

Digitized by Google

trahenda illis materia est, per quam majestatem divinam violent iramque ejus in totum regnum concitent. Et quam possit celerrime excidenda radicitus tantae pravitatis semina sunt.

Atqui templa permittere, quid est nisi publice ac palam haec scelera fovere atque alere?

Aliae haereses conciderunt per sese, quum populus publice nonnisi catholicos audiret exhortatores, nonnisi catholicos spectaret ritus. Compertumque usu est, diutius viguisse eas, quae loca publica et conciliabula habuerunt; iisque ademptis paulatim resipuisse etiam deceptos. Itaque si certa sedes et quasi arx hisce nunc hominibus, quorum haud pauci errore abducti sunt, detur, in eorum quoque perniciem cedet, quibus hic ad sanitatem recessus adimetur, et pertinaciae propugnacula et alimenta errorum tribuentur.

Nec vero quisquam pacis nomine perque minoris incommodi speciem indulgendum hoc dixerit; contra enim prorsus eveniret.

Quippe quanquam haud pauci factionis hujusce sunt, multo tamen sunt catholici et numero et genere superiores. Neque tam indulgentia haec grata illis, quam invisa his foret. Nec prudentia fert, ut placeas deterioribus, irritare meliores potentioresque, qui, si qua demum desperatio ad novas res consternarit, periculosius tumultuentur. At enim etiam novatores hi turbas tempestatesque maximas excitarunt. Excitavere enim vero plus satis. Invasere urbes totas, exturbavere catholicos viros, feminas Deo sacras religiosis ejecere adytis, incendere ac diripuere templa; etiam lacerare sacras imagines, cruces infringere, conculcare divinissimum Christi Domini corpus ausi sunt, praeter latrocinia et caedes et genera omnia barbarae immanitatis. At haec, impunitatem inter initia nacti, furtim aggregatis ad sua consilia multis insaniae sociis, ausi sunt. Quid ergo fiet, si publica auctoritate vires nanciscantur, et, copia templorum facta, gratiam ad se stare principum credant? Quid contra haec catholici? Sine dubio haud ferentes indignitatem, ad haec jure veriti solicitique, ne, si istorum

Digitized by Google

opes corroborentur, eas contra se expromant, et facultates ac templa (quae sunt consueta haereticis facta) per vim eripiant, ad arma ac manus venient. Atque ita, quod pacis credebatur fore tessera, id erit classicum belli, meritoque formidari seditiones poterunt ac bella civilia. Ac proinde templorum his condonatio, fraus et crimen est violatae majestatis, non Dei modo, sed christianissimi etiam regis.

Quippe ad hanc diem id regnum popularium amore adversus regem suum, fide, obsequio potentissimum et inexpugnabile semper fuit. Sed post haec discordiae civiles attererent enervarentque ejus opes. Religionis dissidium dissidia parit animorum. Istine ut regem unquam religionis alienae bona fide ament? Illud potius, ut suae factionis habeant principem, adnitentur. Igitur hac ratione fides, qua regna, ut nervis corpora, continentur ac vigent, tollitur. Quid tum si forte externus hostis ingruat? Nonne multis modis regnum patebit injuriae? Nec opinandum est, posse parti utrique fieri satis. Vetat id ea causa, ob quam Christus dixit, neminem duobus servire dominis posse. Illud magis timendum est, ne regnum in se divisum desoletur; idque eo metuendum est etiam, quod si adhuc, quamdiu in religione avita perstitit, protexit illud semper et fovit Deus, posthac, si deseratur, deseret. Quod Orientis imperio miserum magis, quam miserandum in modum videmus factum, nimiumque multis provinciis. Ut jam minus mirum sit, quod sacrae litterae narrant de Israelitica gente, quam Deus ob religionem desertam Assyriis Chaldaeisque praedam dedit.

Veterum imperatorum ac principum maxime commendati clarique templa haereticis non dedere, sed abstulere. Ita Constantinus primus, ita Theodosius, ita Marcianus. Ab horum exemplis christianissimae reginae degenerandum non est, nec committendum, ut quanta cum laude facta eorum memorantur, tanta cum infamia posterorum historiae ac litterae aeternis temporibus, si quid indignum nunc committatur, canant.

Digitized by Google

Ipsi (Deus immortalis) haeretici in iis, quae per injuriam invasere locis, si quis catholicum usurpet cultum, in eum severe animadvertunt; et nos non antiquis modo imperatoribus, sed etiam nequissimis hisce turbatoribus nequiores erimus facileque domicilium dabimus impietati, quum ipsi nullum pietati velint esse, sed obstinate eam ex regionibus, quas invadunt, expellant? Sinemusque eos ad superstitionem hodie enatam tuendam audaciores esse, quam simus nos ad obtinendam avitam pietatem ac veram constantes? Ne quidquam dein principes excidere malum, incendiumque conentur extinguere, si per indulgentiam templorum corroborari nunc sinant ac spargi. Licentia, quae praedicatur, catervas ad se magnas pelliciet, nec agitare isti ac ventilare cessabunt flammam; donec, si quo modo queant, redigant omnia in cineres, et Angliae Saxoniaeque et aliis septemtrionis provinciis Galliam similem faciant.

Denique, si templorum potestas fiat, innumerabiles animas ea res a via salutis abducet; et tamen gravissime comminatur Christus ei, qui vel uni e minimis, qui in se credunt, ruinae causam objecerit. Injuria fiet episcopis, quorum e ditione ereptis quamplurimis tum res et auctoritas concidet, tum potestas ac minae contumacibus ludibrio erunt. Permanabit ad externa regna e pernicioso exemplo velut contagione calamitas; quantoque hujus regni amplior auctoritas, vis ac dignitas est, tanto erit pernicies major latiusque fundetur.

Injuria fiet oecumenicae synodo, quae maxime hujus rogatu regni convocata Tridentum est. Id enim re factoque comprobaretur, de quo ut cognoscant ac statuant, ex omni christiano orbe antistites ac viri sapientissimi convenere.

Ad extremum grave vulnus universae catholicae infligeretur ecclesiae, a qua tam praecipuum ac nobile abscindi membrum inciperet. Gravis imponeretur plaga apostolicae sedi, si contra eam converteret se christianissimum hoc regnum, cujus principes turbulentis temporibus semper ei perfugio, auxilio, propugnaculo fuerunt, cujusque majestatem et auctoritatem armis ac virtute Gallica immortali

Digitized by Google

cum sua gloria tutati sunt. Eoque videretur absurdius in regni viscera sedis apostolicae hostes inducere, recordantibus jusjurandum, quo ex una parte suo regnique nomine Carolus Magnus et Galli, ex altera Adrianus pontifex hoc nomine primus et Romani super divi Petri sanctum altare aeternum foedus et amicitiam pacti sunt, adjecta conditione, ut alterius partis hostes et alterius essent.[1]

Quid? quod qui in christianis principibus sectis favere, gravissima etiam inter mortales luere supplicia? Alii ab inimicis trucidati sunt, alios jugularunt sui, alios repentina mors oppressit in flore aetatis, ac plurimum Deus etiam a stirpe imperia eorum ad alios transtulit; ut satis testimonio sunt Valens imperator, Anastasius, Constantius, Leo, Theodoricus aliique permulti.

Quamobrem omnibus circumspectis, nec ad Dei gloriam, nec ad dignitatem amplitudinemque christianissimi regis, nec ad commune regni bonum, nec ad totius catholicae ecclesiae rationes expedit, ut regina templis concessis tantam rerum commutationem permittat; sed ut ad tollenda doctrinae dissidia et morum corruptelam, vel ad apostolicam sedem istos rejiciat, Ludovici imperatoris et Galliarum regis exemplo, qui, per legatos a Michaële Constantinopolitano imperatore de habendis necne in templis imaginibus sacris consultus, ad Romanum pontificem, ad quem norat talia pertinere negotia, rem detulit[2]; vel certe Tridentino concilio, hanc ob causam praecipue repetito, causam permitti integram curet.

[1] Videlicet quum Carolus a. 774 post captam Paviam Romam venit tituloque patricii ornatus est.

[2] De hac legatione Michaelis Balbi ad Ludovicum Pium imperatorem (a. 824), quae deinde ad Eugenium II. papam migravit, vide Hefele Conciliengeschichte 2. edit. IV, 41.

Digitized by Google

IX.

De indulgentiis quaestiones quinque.

Responsiones ad dubia ex mandato Pii papae IV. proposita.

Quaestiones de indulgentiis propositae a Pio papa IV.

1. Quae causa dicatur magna pro danda indulgentia plenaria.

2. Quibus verbis debeant concedi indulgentiae pro defunctis.

3. Quid agendum sit de jam concessis indulgentiis.

4. An verba illa *de injunctis ponitentiis* apponi debeant in concedendis indulgentiis.

5. Quid de indulgentiis, quae conceduntur coronis.

Ill^{me} ac R^{me} Domine,

Quia non potest quis ad rem respondere nisi prius intelligat mentem interrogantis, ego responsurus ad quaestiones de indulgentiis de mandato SS^{mi} D. N. nobis propositas, dicam in primis, quam conjiciam esse mentem ejusdem SS^{mi} in hac jussione, deinde vero ad singulas quaestiones breviter, quantum res patitur, respondebo.

1. Puto igitur SS^{mum} nosse, se habere potestatem concedendi indulgentias, nosse etiam, illam potestatem se accepisse in aedificationem et non in destructionem. Idcirco jussit, quae nobis proposita sunt, a theologis discuti, ut inde constet, quomodo uti debeat clavibus. Huc accedit,

Digitized by Google

quod concilium Tridentinum sess. 25. in decreto de indulgentiis decernit, tollendos esse abusus ex indiscreta concessione indulgentiarum ortos[1]; ac proinde cupit fortassis SS^mus, ut in aliis rebus, ita in hac concilium, quod confirmavit, executioni mandari. Ex quo constat, quaestiones nobis propositas ad politiam et oeconomiam ecclesiasticam pertinere, et non ad dogmata vel speculationes, sed ad praxim potius et prudentiam, ob idque responsiones non debere esse dogmaticas vel metaphysicas, sed quae praxim potius ostendant et rationem, absque Dei offensa et scandalo utendi clavibus in concedendis indulgentiis. Quare et ego omissis superfluis speculationibus practice nitar respondere propositis dubiis.

Quaestio I.

2. Prima quaestio est: *Quae causa dicatur magna pro danda indulgentia plenaria.*

Respondeo, quod meo judicio non hic quaeritur, quae causa dicatur magna ad conferendam indulgentiam plenariam ad hoc solum, ut indulgentia concessa valeat, sed ad hoc potius, ut recte et absque peccato et ad aedificationem indulgentia concedatur; ea enim videtur esse mens summi

[1] Verba synodi sunt: „In his (indulgentiis) tamen concedendis moderationem juxta veterem et probatam in ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur Abusus vero, qui in his irrepserunt . . correctos cupiens, praesenti decreto generaliter statuit, pravos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia aut aliunde quomodocunque provenerunt . . mandat omnibus episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus ecclesiae suae colligant eosque in prima synodo provinciali referant, ut aliorum quoque episcoporum sententia cogniti statim ad summum Romanum pontificem deferantur, cujus auctoritate et prudentia, quod universali ecclesiae expediet, statuatur, ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.“ Sess. 25. Decretum de indulg. Cf. Sess. 21. de reform. cap. 9.

Digitized by Google

pontificis. Quare dicerem in genere, eam esse magnam causam ad indulgentiam plenariam concedendam, quae vel aequat vel superat damnum, quod indulgentia sine causa concessa inferret. Nam quum lex Dei sit, ut peccator, qui post baptismum peccavit, dum resipiscit, culpa et poena aeterna culpae debita gratis remissa, poenas temporales hic vel in futuro saeculo luat (ex qua ordinaria lege sequitur honor justitiae Dei, quam cum misericordia miscet in justificatione peccatoris post baptismum; sequitur etiam utilitas ecclesiae, quia illa via plus cavet peccata et occasionem habet compatiendi, ut et conglorificetur), sequitur plane, quod indulgentia, quum dispensatio sit hujus legis ac proinde, ut dicitur, vulnus juris, si sine causa fit convenienti, et honori Dei derogat et ecclesiae utilitati. Quapropter ea in communi loquendo censenda est causa magna, quae jam dictum vulnus resarcit et compensat, dum cedit in tantam vel majorem Dei gloriam quam cessura fuisset toleratio poenae, a qua indulgentia liberat.

3. Quae autem sit jam dicta magna causa, *duplici via* investigari potest. Primo ex judicio ipsius summi pontificis. Nam quum Dominus non obliget illum ad impossibile nec cogat causam praecisam divinare, illa censenda est causa magna, quam ipse seclusis affectibus et consultis consulendis talem esse judicat. Neque enim adstrictus est ad suscipiendam hanc vel illam opinionem, modo probabilem ipse sequatur, quum potius illius sit, judicare aliorum judicia et corrigere aliorum opiniones, si a vero et recto devient. Secunda via investigandi hujusmodi causam est ex probato usu praecedentis ecclesiae, qui ex historiis ecclesiasticis est investigandus. Quia enim sancti et sapientes patres, si melius scivissent (ut dicebat Ambrosius), melius facerent, illa censenda est causa magna indulgentiae plenariae, pro qua ipsi indulgentias hujusmodi concesserunt. Cujus perspicuitatis gratia aliqua exempla subjiciam.

Causa igitur magna imprimis est causa fidei, et ideo indulgentiam plenariam concessit Innocentius III. euntibus ad bellum contra infideles, ut patet ex bulla Innocentii

Digitized by Google

de ipsa expeditione.[1] Eandem concessit Alexander III. in tertio concilio oecumenico Lateranensi cap. XXVII. obeuntibus in bello contra haereticos.[2] Eandem dicunt posse concedi patres Basilienses pro eis, qui capiunt haereticos vel brachium seculare contra ipsos porrigunt, vel si id non possunt, eos e terris suis pellunt, ut ex epistola VII. eorundem Basiliensium constat.[3] Qui etiam concessere indulgentiam plenariam certam eleemosynam facientibus ad expensas faciendas in reductione Graecorum, quam illi moliebantur, ut constat ex eadem epistola.[4] Assistentibus quoque concilio generali concessa est indulgentia plenaria, ut patet ex concilio Constantiensi Sess. XLV.[5] et ex Basiliensi Sess. XXIV.[6] et XLV[7]. Pro indictione quoque vel continuatione concilii Tridentini merito concessae sunt indulgentiae plenariae a variis pontificibus.[8] In discessu

[1] Cf. ex. gr. Regestorum Innoc. III. lib. 1. ep. 302 (Potth. nr. 320) incipiens: „Plorans ploravit." Migne P. L. 214, 263. In ea bulla legitur: „Omnibus autem qui propter hoc (scil. expeditionem sacram) in persona propria laborabunt, de Dei et apostolorum ejus Petri et Pauli auctoritate confisi, *plenam peccatorum suorum*, de quibus cordis et oris egerint poenitentiam, *veniam* indulgemus. Caeteros vero, qui ad opus hujusmodi exequendum aliqua de bonis suis forte contulerint juxta muneris quantitatem et praecipue juxta devotionis affectum, remissionis hujus participes esse censemus."

[2] Mansi XXII, 232: „Qui autem in vera poenitentia ibi (in pugna contra Catharos aliosque haereticos) decesserint et *peccatorum indulgentiam* et fructum mercedis aeternae se non dubitent percepturos. Nos etiam de misericordia Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi fidelibus christianis, qui contra eos (Catharos haereticos) arma susceperint et ad episcoporum seu aliorum praelatorum consilium ad eos certaverint expugnandos, biennium de poenitentia injuncta relaxamus."

[3] Responsio s. synodi, quod possit concilium concedere indulgentias plenarias pro unione Graecorum. Mansi XXII, 286.

[4] L. c.

[5] Videatur bulla Martini V. in sessione cit. promulgata, Mansi XXVII. 1199.

[6] Mansi XXIX, 128.

[7] Potius quae post sess. XLV. in actis invenitur epistola concilii anni 1439 huc pertinet. Mansi XXIX, 222.

[8] Cf. supra p. 3. n. 1.

Digitized by Google

quoque concilii concessa est indulgentia plenaria in concilio Lateranensi ultimo Sess. XII.[1]

4. Magna quoque necessitas ecclesiae ob varias persecutiones instantes vel imminentes causa est magna indulgentiae plenariae, ut dicunt Basilienses dicta epistola VII. et ut constat ex epistola s. Cypriani ad Cornelium papam.[2] Nam quum decrevisset, longas poenitentias imponere lapsis, qui fidem in persecutione negaverant, imminente nova persecutione sententiam mutavit et poenitentias illis relaxavit et ad communionem eos admisit. „Ne igitur (inquit) ore nostro, quo pacem negamus, quo duritiam magis humanae crudelitatis, quam divinae et paternae pietatis opponimus, oves nobis commissae a Domino reposcantur, placuit nobis, Sancto Spiritu suggerente et Domino per visiones multas et manifestas admonente, quia hostis nobis imminere praenuntiatur et ostenditur, colligere intra castra milites Christi, et examinatis singulorum causis pacem lapsis dare, imo pugnaturis arma suggerere; quod credimus vobis quoque paternae misericordiae contemplatione placiturum.“

Augmentum etiam devotionis et cultus notabile in aliquo loco causa potest esse indulgentiae plenariae. Quam creditur Christus Dominus concessisse beato Francisco pro iis, qui quotannis in die assumptionis beatae et gloriosae virginis ejus templum prope Asisium visitarent.[3] — Refectio quoque pontium et exustarum villarum putatur causa sufficiens indulgentiae plenariae a Basiliensibus.

Reformatio et pax ecclesiae, quum vere cedat in magnam gloriam Dei et ecclesiae utilitatem, vere magna causa est indulgentiae plenariae. Ac proinde potentia media ad

[1] Bulla Leonis X. apud Harduin. Coll. conc. IX, 1851.

[2] Epistola synodica ex concilio II. Carthag. sub S. Cypriano in causa schismaticorum Felicissimi et Novatiani c. 5., Migne P. L. 3, 860.

[3] Indulgentia sic dicta Portiunculae olim Calendis Augusti, nunc pluribus in regionibus dominica 1. Augusti lucranda. Cf. Bened. XIV. De synodo dioecesana lib. 13. c. 18. Acta SS. Bolland. 4. Oct. Anal. P. III.

Digitized by Google

hanc reformationem causa etiam sunt indulgentiae. Qualia sunt praesertim frequentia usus sacramentorum, confessiones et communiones, frequentes orationes et carnis mortificationes, devotae et longae peregrinationes praesertim in Hierosolymam et ad limina apostolorum Petri et Pauli et s. Jacobi et similia pia loca. — Quinimo parvae in se causae, si magnis conjunctae sint vel ad magnas referantur, causa sunt sufficiens ad indulgentiam plenariam. Quales sunt visitare templum s. Petri in anno jubilaei, suscipere benedictionem papalem in die paschatis; quae licet parvi laboris in se sint, tamen quia, qui illa praestant, protestantur unitatem ecclesiae sub uno pastore Christi vicario (quae unitas in maximum honorem Dei cedit et maximam ecclesiae utilitatem, quum maxime juvet vinculum charitatis et obedientiae), ideo merito illis conceditur plenaria indulgentia.

5. Ex jam dictis ergo et similibus causis conjici potest, qualis habenda sit magna causa plenariae indulgentiae. Circa quam, ut tandem concludam, duo libet adnotare.

Alterum est, quod causa indulgentiae non solum est opus illud pium, quod imponitur tanquam medium vel conditio requisita ad lucrandam indulgentiam, sed omnia potius bona, quae ex illo resultant vel cum illo conjuncta sunt. Nam absque dubio posset pontifex absque hoc, quod imponeret aliquod novum opus, concedere plenariam indulgentiam vel ob egregia opera facta, vel ob ea quae probabiliter exspectantur facienda, si concedatur indulgentia. Non enim est dubium, quod si aliquis imperator vel rex strenue pro ecclesia pugnasset contra haereticos vel infideles, posset illi pontifex intuitu jam facti operis concedere plenariam indulgentiam absque novi operis impositione; eandemque posset illi concedere si simile opus speraretur, illa concessa. Et ideo non tam hujusmodi opera de novo imposita quam illis annexa consideranda sunt tanquam causa indulgentiarum. Ubi etiam advertendum, quod, quum indulgentia omnibus conceditur, causa debet esse etiam omnibus communis; ubi paucis vel uni, itidem causa com-

Digitized by Google

munis illis paucis vel uni, ut causae effectus respondeat vel proportionetur.

Alterum notandum, quod occurrebat, est quod, quum eadem res uno tempore magis expediat quam altero, habenda est ratio temporis in indulgentiis concedendis. Et in primitiva quidem ecclesia, in qua canones poenitentiales in usu erant et Christiani ferventiores erant in explendis poenitentiis, non opus erat larga manu praelatorum in concedendis indulgentiis. In posterum vero, in ecclesia abolitis canonibus poenitentialibus et fidelibus jam remissis et horrentibus poenitentiam, vel opus esset eos derelinquere eorum spreta salute, vel ne calamus conquassatus confringatur et linum fumigans extinguatur, juvandi sunt etiam per indulgentias. Atque ita putarim, minorem causam esse magnam ad hoc, quod hoc tempore concedatur indulgentia plenaria, quam olim. Et haec dixerim ad quaestionem primam.

Quaestio II.

6. Ad secundum dubium, quo quaeritur, *quibus verbis debeat concedi indulgentia pro defunctis*, respondeo, merito in hoc dubio supponi, ecclesiam quidem posse indulgentiam defunctis concedere; quia licet claves ecclesiae Petro et successoribus ejus collatae non ita se extendant ad defunctos, ut vi clavium possint illis sacramenta ministrari, tamen omnino potestas ecclesiastica, Petro et successoribus ejus collata, se extendit aliquo modo ad defunctos sive directus ille modus sit, sive indirectus, de quo non contendo.

Quod autem id ita sit, constat tam patrum traditione quam ratione manifesta ex illa deducta.

7. Dionysius igitur Areopagita De ecclesiastica hierarchia ait: „Quaenam vero de hujusmodi prece, quam super defuncto peragit praesul, ex divinis ducibus nostris traditio pervenit ad nos, operae pretium est ut dicamus. Venerandus antistes, ut scriptura ait, interpres est judi-

Digitized by Google

ciorum divinorum. Angelus enim Domini exercituum est. Didicit igitur de scripturis divinitus traditis, ut his qui pie vixerunt, lucidissima divinaque vita pro merito ab aequissimis lancibus redditur, non recordante divina bonitate per summam clementiam maculas, quae illis ex humana infirmitate adhaeserunt. Nullus enim, inquit, est mundus a labe. Tota quidem novit pontifex promissa a sanctis eloquiis; petit autem ea fieri donarique praemia sacra eis, qui pie vixerunt, simul quoque seipsum ad imitationem Dei benignus formans et aliorum dona quasi proprias expetens gratias; neque ignorans, veras repromissiones futuras, praesentibus etiam aperte demonstrat, quod quae ab eo sacro jure postulantur, omnino illi consequentur, qui in vita divina consummati sunt. Neque enim unquam peteret pontifex, divinae justificationis praedicator, quae Deo sciret non esse gratissima et quae largiturum se ille nequaquam promisisset. Quocirca profanis vita functis non ista precatur, non modo quia in hoc proprium desereret ordinem et aliqua pontificalis officii praesumeret a divino Spiritu nequaquam agitatus, verum quia et indigne orans non exaudiretur, atque ad ipsum illud non immerito diceretur eloquium justitiae plenum: ‚Petitis et non accipitis, quia male petitis'.[1] Postulat itaque sanctus antistes, quae sunt promissa divinitus atque accepta Deo, et quae largienda non ambigit, una et divinum ac benignum habitum praeferens, clementissimo Deo et praesentibus aperte insinuans, quibus bonis donandi sunt sancti. Sic enim utuntur secernentibus virtutibus praesules (quasi interpretes divinarum justificationum), non eorum irrationabilibus motibus sapientissima divinitate (ut honeste dixerim) obsequente serviliter, sed ipsis pro merito eos, qui a Deo judicati sunt, ministerio suo separantibus, Spiritusque Sancti inspirationi obtemperantibus. ‚Accipite enim (inquit) Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt';[2] eique qui revelationes divinas a Patre summo didicerat, dicitur: ‚Quod-

[1] Jac. 4, 3.

[2] Joan. 20, 22.

Digitized by Google

cumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis' etc.[1] Sic profecto ille omnisque illi similis praesul, juxta paternarum justificationum sibi indultas revelationes declarando et traducendo, Deo charos admittit et excludit impios."[2]

Ex cujus verbis colligimus, per verba illa Salvatoris „Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis" et „Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis", collatam fuisse potestatem et vim discernendi non solum inter vivos, hos absolvendo et illos ligando, sed et inter defunctos, juvando eos, qui in pietate moriuntur, licet labe minutorum peccatorum infectos, et impios et profanos excludendo ab hoc auxilio.

Divus etiam Gregorius M. lib. 2. Dialog. cap. 23. postquam narravit, duas moniales defunctas absolutas fuisse ab excommunicatione, introducit Petrum loquentem: „Mirum valde, quamvis venerabilem et sanctissimum virum, adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem, potuisse animas solvere in illo jam invisibili judicio constitutas." Cui Petro Gregorius respondet: „Numquidnam, Petre, in hac adhuc carne non erat, qui audiebat: ‚Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quae solveris super terram, soluta erunt et in coelis'? Cujus nunc vicem in ligando et solvendo obtinent, qui locum sancti regiminis fide et moribus tenent. Sed ut tanta valeat homo de terra, coeli et terrae conditor in terram venit e coelo, atque ut judicare caro etiam de spiritibus possit, hoc ei largiri dignatus est, factus pro hominibus Deus caro; quia inde surrexit ultra se infirmitas nostra, unde sub se infirmata est firmitas Dei."[3] Haec ille, perspicue asserens, per Christum hominem factum, collatam esse homini mortali potestatem, ut animas judicet.

[1] Matth. 16, 19.

[2] Pseudo-Dionysius cap. VII. De eccl. hierarch. n. 6. 7. Migne P. G. 3, 562 et 579; utrobique tamen aliae versiones latinae ex graeco inveniuntur.

[3] Migne P. L. 66, 178.

Digitized by Google

Innocentius item III. epistola ad abbatem S. Andreae de quodam, qui in itinere, quando Romam, ut absolveretur ab excommunicatione, petebat, obierat, ait: „Potest tamen et debet ei ecclesiae beneficio subveniri, ut, quum de ipsius viventis poenitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat, quod ecclesiae legitur attributa potestas ligandi et solvendi homines super terram, tamquam non possit solvere et ligare sub terra sepultos, et quod legitur: ‚Non communicetur mortuo, cui non est communicatum et vivo‘,[1] quum etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus religionis, sed necessitatis articulus impedivit, et in certis casibus a canonibus deputatis ligasse legatur ecclesia mortuos et solvisse. Ut autem in uno pariter et eodem negotio et servemus rigorem et mansuetudinem ostendamus, statuimus, ut illius mortui absolutio a sede apostolica requiratur, qui quum viveret, a sede apostolica fuerat absolvendus. Aliorum autem absolutionem ex praemissa causa caeteris indulgemus, a quibus, dum viverent, fuerant absolvendi. Absolutionis autem forma servetur, ut fiat cum poenitentiali psalmo, et tam oratione dominica, quam alia consueta.“[2]

8. Inter scholasticos vero S. Bonaventura non solum confitetur qualemcumque potestatem, sed de potestate directa ait: „Si quis autem contendat, vicarium Jesu Christi habere judiciariam potestatem super eos, qui sunt in purgatorio, non est ei multum improbe resistendum, dum tamen hoc dictet ratio vel auctoritas manifesta. Quidquid enim loquamur disputantes vel etiam praedicantes, hoc sana fide tenendum est, quod Dominus vicario suo plenitudinem potestatis contulit, et tantam utique recepit potestatem, quantam decebat homini puro dari; et hoc ad aedificationem corporis sui, quod est ecclesia. Unde super hoc non teme-

[1] Cf. Decretal. Greg. IX. c. 12. De sepult. (III. 28).

[2] Reg. lib. II. n. 61. (Potthast nr. 690). Migne P. L. 214, 600. Decretal. Greg. IX. c. 28. De sent. excom. (V, 39).

Digitized by Google

rarie judicare, sed gratias plurimas Deo debemus agere."[1] Haec ille, pie et devote de potestate summi pontificis loquens.

9. Praeter praedictos patres sunt rationes efficaces ex eisdem collectae, quae eamdem veritatem probant.

Primo manifestum est, quod ecclesia potest excommunicare jam defunctos, et patet ex tota quinta synodo, et habetur C. 24. q. 2. cap. Sane[2]; igitur potestas ligandi et solvendi se extendit ad defunctos. Neque dicat aliquis, per excommunicationem defunctorum tantum privari mortuos sepultura, et per absolutionem tantum illis concedi sepulchrum ecclesiasticum, non vero ligari vel solvi ipsum spiritum; quia, ut ex quinta synodo constat, magna fuit controversia inter sapientes, an ecclesia potuisset excommunicare defunctos, vel ab excommunicatione eos absolvere; quae revera nulla fuisset, si tantum esset quaestio de sepultura, quia manifestum est, quod idem ecclesia possit. De vi ergo spirituali erga animam erat quaestio. Et certe non potest ecclesia privare animas, quae in purgatorio sunt, auxilio ab illis proveniente, qui charitate uniti sunt. De quo David dixit: „Particeps ego sum omnium timentium te."[3] Potest tamen privare illas auxilio, quod illis provenit ex speciali applicatione suffragiorum, quam facit ecclesia pro defunctis. Quia, quum filii ecclesiae pastoribus pareant, si aliquem defunctum excommunicaverint, qui sit in purgatorio, non applicant illi suffragia, quae applicassent, si non esset excommunicatus, et hujusmodi suffragia aufert a defuncto excommunicatio, reddit vero absolutio. Si ergo ecclesia potest excomunicare et absolvere defunctos, poterit ergo concedere illis indulgentias, quia non minor est Dei misericordia ad condonandum, quam sit severitas ad excommunicandum.

[1] In Sentent. lib. IV. Dist. 20. Pars II. art. 1. qu. 5. Ed. Paris. 1866 tom. VI. p. 84. Nota editoris l. c.: Hoc tenet Medina De Indulg. c. 34. et 35.

[2] Caput hoc ex variis locis synodi V. conflatum est.

[3] Psalm. 118, 63.

Digitized by Google

Est tamen verum quod, quia excommunicatio damnum infert, non potest ecclesia defunctum excommunicare, nisi discussa in particulari ejus causa constiterit eum meruisse talem excommunicationem. Quia tamen indulgentia confert beneficium, dari potest etiam non cognita causa in particulari, quia hujusmodi indulgentia, quum ita datur, non decernitur sententia judiciaria, ad quam proferendam opus est merita causae cognoscere, quum tamen pontifex nesciat quantitatem poenae, quam animae patiuntur. Decernitur igitur indulgentia hujusmodi sententia extrajudiciaria; sicut rex, qui non potest damnare judicialiter vinctum, incognita ejus causa, potest liberare extrajudicialiter omnes carceris vinctos, licet ignoret illorum demerita, quia hujusmodi liberatio non fit propter merita vinctorum, sed civitatis.

10. Deinde multi pontifices concesserunt indulgentias defunctis, confisi de misericordia Dei et auctoritate concessa apostolis Petro et Paulo, ut nos experientia vidimus de modernis pontificibus, et doctores scholastici referunt de Paschali II., Calixto III., Pio II., Innocentio VIII. Aut igitur hoc jure fecerunt, et ita potestas ad defunctos extenditur, vel errarunt ita decernentes, et hoc dici non potest. Quia quum indulgentia ad cultum Dei pertineat et ad sacramentum poenitentiae, nempe ad satisfactionem, quae poenitentiae est pars, errarent igitur et pontifices et ecclesia in re gravissima, quod esse non potest; quia tunc non esset sancta neque „columna et firmamentum veritatis,“[1] sed „pórtae inferi“ praevalerent „adversus eam.“[2]

Praeterea consensus omnium scholasticorum est, quod pontifex potest juvare defunctos indulgentiis, et patet ex IV. sententiar. dist. 20. Sed scholasticos theologos in rebus religionis secuti sunt episcopi et pastores his quadringentis annis, pastores vero secutae sunt plebes christianae. Ergo consensus totius populi christiani est, quod pontifex id possit; qui consensus in re religionis a Spiritu Sancto est et falsus esse non potest.

[1] 1 Tim. 3, 15. [2] Math. 16, 18.

Digitized by Google

Amplius, Christi passio et meritum potest extendi ad animas defunctorum, quae sunt in purgatorio, quia, quum infiniti meriti sit, non exhauritur applicata solum per sacramenta vel extra sacramenta, dum sunt in vita; ergo potest etiam extendi ad defunctos, dum capaces sunt juvaminis. Sed qui sunt in purgatorio, capaces sunt, quia nondum sunt in regno, neque etiam sunt in inferno et carentes charitate, sed quodammodo in via ad regnum, et ideo indigentes juvamine. Sunt etiam oves Christi, et, licet non sint in hoc seculo, tamen clavis Petri, cui Christus oves suas commisit, ad illas se extendit, quia ad officium pascendi pertinet omne commodum ovium; nec parvum commodum ovis est, ligatam et impeditam, quo minus ad pascua pergat, solvere et ad pascua remittere. Si igitur non deest per Christi passionem et sanctorum merita et intentionem, neque per potestatem ecclesiasticam, neque per animarum defunctarum capacitatem et egestatem, quo minus juventur, sententia erit catholica, quod per verba illa: „Quodcumque ligaveris“ et „Pasce oves meas“ promissa et data est Petro potestas etiam ad animas juvandas via indulgentiae se extendens. Quia, quum Petrus nullam potestatem haberet ordinariam, quae non sit illis verbis promissa vel concessa, vel nullam potestatem habet concedendi indulgentias vivis et defunctis, vel ex illis verbis illam habet ipse et successores ejus.

Et haec dicta sufficiant de veritate illa, quam supponit hoc dubium.

11. Ad dubium autem ipsum breviter respondetur, quod triplici forma verborum, meo quidem judicio, uti potest SS^{mus} concedens indulgentiam defunctis.

Prima est, si dicat, se concedere indulgentiam *per modum suffragii* defunctis. Quod tamen verbum non est eo referendum, ut significet incertitudinem aliquam, vel dubium, an juventur animae necne. Nam si ita esset, non esset suffragium. Quomodo enim, quod non juvat, suffragatur? Deinde si dubium esset et incertum, ecclesia, idem concedens vel credens, periculose errasset; neque, ut

Digitized by Google

ex Dionysio vidimus, ecclesia auderet suffragari defunctis, nisi, Dei Spiritu revelante, eam sciret esse voluntatem Dei. Dicitur igitur modus suffragii ille modus, per quem ecclesia potest suffragari defunctis et eos juvare. De fide enim est, quod ecclesia potest juvare defunctos. Sed modus in particulari juvandi non est de fide, nec scitur ab ecclesia. Et ideo communi quodam vocabulo et generico illam insinuat, dum ait: Concedo tibi indulgentiam per modum suffragii.

Secunda formula est, si dicat: Ego concedo huic vel illi defuncto indulgentiam *in forma ecclesiae consueta.* Cujus quidem formulae eadem est significatio. Nam quia ecclesia non minus affirmat factis quam decretis, sicut, si expresse decrevisset, se posse juvare defunctos per viam indulgentiae, omnino esset certum illud juvamen, quantum esset ex parte ecclesiae, si indispositio suscipientis non impediret; ita etiam, si ecclesia consuevit juvare defunctos hac via, certum est, quod juvat; licet, quia modus, quo juvat, est incertus, explicetur generali vocabulo „in forma ecclesiae consueta."

Tertia formula potest esse: *Concedo huic indulgentiam plenariam*, nihil amplius addendo. Et tali formula dicitur a Felisso[1] usum fuisse quemdam pontificem erga quemdam doctorem Parisiensem defunctum; quem quum pontifex audisset, dum viveret, defendisse potestatem pontificis circa indulgentias in defunctos, gratitudinis ergo jam defuncto concessit indulgentiam plenariam.

His igitur vel similibus formis uti potest, quum per indulgentias juvare vult defunctos:

Quod quidem non solum facere potest, sed (ut puto) et tenetur hoc praesertim tempore; tum quia, quum hanc potestatem a Domino acceperit, tenetur illa uti in aedificationem, ne abscondat talentum Domini sui; tum etiam quia, quum hoc tempore haeretici negent illam potestatem,

[1] Forsitan ille Mathias Felisius (Katz) O. Min., qui scripsit Institutionis christianae cathol. elucidationem (Antwerpiae 1575) et alia. Cf. Hurter, Nomenclator liter. recent. theol. cath. I, 35.

Digitized by Google

tenetur non solum dictis sed factis confiteri fidem suam haeresi contrariam, ne dissimulatio usus potestatis haereticos in suo errore confirmet; tum demum quia hoc tempore animae purgatorii plus egent subsidio, quam alio, propter discessionem multorum innumerabiliumque ab ecclesia, qui defunctis subtraxerunt sua suffragia.

Et haec dicta sint de secundo dubio.

Quaestio III.

12. Ad tertiam dubitationem, *quidnam sit agendum de jam concessis indulgentiis,* respondeo, reformandas esse, ut in decreto de indulgentiis Sess. XXV. asseruit concilium Tridentinum.[1] Caeterum in ipsa reformatione salva justitia et charitate cavendum est, quantum fieri potest, scandalum tum principum tum etiam populorum. Principes enim irritandi non sunt, dicente b. Ignatio Antioch.: „Nolite irritare principes et nolite praebere occasionem iis, qui illam quaerunt.“ — Populi etiam ex indiscreta correctione indulgentiarum offendi possent, putantes, ecclesiam hactenus in ea re errasse, et suspicantes, quod in aliis etiam rebus errare poterit, quod haeretici totis viribus nituntur suadere.

Alii etiam, qui pro obtinendis indulgentiis suas pecunias expenderunt, conqueri juste poterunt, si sine causa eis auferantur.

In moderandis etiam indulgentiis cavenda est techna daemonis, qua praetextu zeli honoris Dei traducere solet pia opera, tanquam sint abusus, quum abusus non sint. Hoc enim praetextu usus per Iconoclastas nisus est abolere usum imaginum tanquam idolatriam. Hoc etiam praetextu episcopos et sanctos seduxit, suadens abusum esse non rebaptizare baptizatos ab haereticis; quia maluerunt, ut inquit Augustinus in libris de baptismo, novum aliquid moliri, quam tenere consuetudinem, cujus defensionem non intelligebant, et occurrerunt animo verisimiles quaedam rationes et praecluserunt iter intelligendae veritati.

[1] Vide supra pag. 112 not. 1.

Digitized by Google

13. Scandalo igitur et hac daemonis techna vitatis, via moderandi indulgentias jam concessas poterit esse, quam innuit concilium Tridentinum loco jam citato: nempe ut ordinarii examinent per suas dioeceses indulgentias, quae illic sunt in usu, et earum modum et causas et fructum vel abusus ex eis secutos, et referant ad summum pontificem. Quodsi invenerit illarum aliquas sine causa concessas vel ex causa parva, poterit eas abolere, vel novam et sufficientem causam addere; si invenerit etiam exorbitantes abusus ex eis secutos, etiam in causam habentibus poterit abusus corrigere, vel, si non corrigantur, privilegium indulgentiarum auferre; si autem invenerit causam convenientem vel tolerabilem, ut communiter invenitur, et fructum convenientem, ita quod tota res magis spectet ad aedificationem quam ad destructionem, debet eas relinquere, licet non perpetuae sint, vel etiam confirmare, quia privilegia juste concessa, iis, qui illis non abutuntur, non debent sine causa tolli.

Et haec de tertia dubitatione.

Quaestio IV.

14. Quartum quaesitum fuit, *an verba illa „de injunctis poenitentiis" apponi debeant in concedendis indulgentiis.*

Respondeo, posse quidem summum pontificem illa formula uti, qua quidem usi sunt multi pontifices, praesertim in antiquiori ecclesia, in qua vigebat observatio canonum poenitentialium.

Non tamen expedit ob nonnullas rationes.

Primo quia primitiva ecclesia, in qua vigebat fervor christianorum adimplentium poenitentias juxta canones injunctas, adhuc tamen relaxabat poenitentias nondum quidem injunctas, sed coram Deo debitas et a ministris, si indulgere nollent, injungendas.

Quod constat 1° ex Cypriani epistola ad Cornelium papam, ubi legimus quod, quum decrevisset in concilio episcoporum, lapsis imponere longiorem poenitentiam, an-

Digitized by Google

tequam ea imponeretur per ministros sigillatim, decrevit mutare sententiam ob imminentem persecutionem, atque ita relaxavit illis poenitentiam illam longiorem, quae quidem relaxatio indulgentia fuit nondum per ministros injunctae poenitentiae. Ejus verba sic habent: „Statueramus quidem pridem, frater charissime, participato invicem nobiscum consilio, ut, qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario et lapsi fuissent, et sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu poenitentiam plenam, et si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat aut permittebat paterna pietas et divina clementia ecclesiam pulsantibus claudi, et dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de saeculo recedentes sine excommunicatione et pace ad Dominum dimitterentur; quando permiserit ipse et legem dederit, ut ligata in terris et in coelis ligata essent, solvi autem possent illic, quae hic prius in ecclesia solverent. Sed enim quum videamus, diem rursus alterius infestationis appropinquare coepisse, et crebris atque assiduis ostentionibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hostis indicit, armati et parati simus, plebem etiam nobis de divina dignatione commissam exhortationibus nostris paremus, et omnes omnino milites Christi, qui arma desiderant et praelium flagitant, intra castra dominica colligamus, necessitate cogente censuimus eis, qui de ecclesia Domini non recesserunt, et poenitentiam agere et lamentari ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, et eos ad praelium, quod imminet, armari et instrui oportere.“[1]

2° Quoties concilia antiqua sigillatim imponunt poenitentias et eas ex misericordia suo decreto imminuunt, faciunt indulgentiam de injungendis, et non de injunctis poenitentiis. Cujus rei exemplum habemus in concilio Nicaeno can. XI. et XII., ubi dicitur de his, qui sine necessitate praevaricati sunt, aut sine ablatione facultatum, aut

[1] S. Cypriani ep. synodica ad Cornelium ex conc. Carthag. secundo sub Cypriano c. 1. Migne P. L. 3, 853.

Digitized by Google

sine periculo aut aliquo hujusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinii: „Placuit synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicumque igitur veraciter poenitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur. . . Quicumque vocati per gratiam, primum quidem impetum monstraverunt deponentes militiae cingulum, postmodum vero ad proprium vomitum sunt relapsi, ita ut quidam et pecunias tribuerent et beneficiis militiam repeterent, hi decem annis post triennii tempus (quo inter audientes erunt) in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum et speciem poenitentiae convenit explorare. Quotquot enim metu et lacrymis atque patientia vel bonis operibus rebus ipsis conversionem suam, non simulationem demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes tum demum fidelibus in oratione communicent; postmodum vero licebit episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicumque vero indifferenter tulerunt, aditum introeundi ecclesiam [praeclusum] sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.“[1] Haec ibi illi patres. Qui quum dicunt, se indignis velle benevolentiam accommodare, ac proinde illis minorem poenitentiam imponunt, relaxant procul dubio poenitentiam injungendam; quum vero postea faciunt episcopis facultatem relaxandi etiam injunctam poenitentiam, concedunt illis facultatem concedendi indulgentias de injunctis. Quia procul dubio, quum sacerdotes indulgent, coram Deo indulgent et non solum in foro exteriori, sicut saeculares principes, quia claves regni coelorum ipsum regnum aperiunt, quod non tam externum quam internum est; dicente Domino: „Regnum Dei intra vos est,“[2] et Paulo asseverante: „Regnum Dei non est esca et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu Sancto.“[3]

Ex concilio etiam Triburiensi can. 34. idem probari potest. Ait enim: „Undique bella consurgunt, hostes sae-

[1] Can. XI. et XII. ex versione Dionysii Exig. Mansi II, 681. Cf. interpretationem eorundem apud Hefele Conciliengesch. 2. edit. I, 414 s.
[2] Luc. 17, 21. [3] Rom. 14, 17.

Digitized by Google

viunt, inimica gens paganorum insequitur populum christianorum; impletum est enim, quod evangelica testatur historia: ‚Surget gens contra gentem et regnum adversus regnum'[1] etc. Et alibi scriptum est: ‚Pugnabit orbis terrarum pro eo contra insensatos'.[2] Quapropter zelo divinae aemulationis accensi christianorum exercitus procedunt ad bellum, confidentes in eum qui dixit: ‚Vos ad certamen acceditis, ego praelior pro vobis'. Fit conventus christianorum, fortiter dimicant isti pro fide, illi contra fidem. Unde fortissimo confortante Domino (sicut Matthathias pater Machabaeorum ait: ‚Non in multitudine exercitus fit victoria belli, sed de coelo veniet fortitudo'[3]) saepe fuit victoria christianorum, victa est pars paganorum. Quare una cum interfectis paganis perempti fuerunt christiani captivi a barbaris, quia in impetu belli nequeunt distingui. Idcirco justum decernentes statuimus cum interfectoribus misericordius agendum, ita ut 40 diebus poenitentiae indulgentius transactis, penes episcopum sit auctoritas et potestas, ut perpendat culpam, agat indulgentiam."[4] Haec illi. Qui minorem poenitentiam, quam par erat, imponentes, de injungendis poenitentiis faciunt indulgentias, et insuper concedunt facultatem episcopis indulgendi de injunctis.

15. Secunda ratio est, quia ecclesia posterior saepissime indulgentias concedit absolute, nil adjungendo de injunctis poenitentiis, sed concedendo remissionem omnium peccatorum, ut patet ex capite 27. concilii tertii Lateranensis sub Alexandro III.[5], et ex bulla expeditionis adversus infideles Innocentii III.[6], et ex concilio Constantiensi sess. 45. et Basiliensi sess. 24. et 45.[7], et ex Extravaganti Unigenitus[8] et Extravaganti Antiquorum.[9] In

[1] Matth. 24, 7. [2] Sap. 5, 21.
[3] Cf. I. Mach 3, 19. [4] Mansi XVIII. 149.
[5] Vide textum supra pag. 114 not. 2. allegatum.
[6] Ibid. not. 1. [7] Ibid.
[8] Cap. 2. Unigenitus (V, 9). Est bulla Clementis VI. ad archiepiscopum Tarraconensem ejusque suffraganeos de anno jubilaei.
[9] Cap. 1. Antiquorum (V. 9). Bulla Bonifatii VIII., qua jubilaeum primum instituitur.

Digitized by Google

quibus locis non solum dicitur concedi indulgentia omnium peccatorum, sed etiam indulgentia plenissima; quae esse non posset, si tantum esset de injunctis, quia plenior esset, quae etiam de injungendis concederetur.

In quadam etiam solemni forma concedendi indulgentiam plenariam dicitur, illum, qui illam suscipit, restitui innocentiae baptismali. Et quae Alexander III. loco citato concilii III. Lateranensis ait de iis, qui in bello contra haereticos obeunt, vera non essent, si tantum de injunctis poenitentiis indulgentiam concessisset.

Quum igitur ecclesia moderna crebrius concedat indulgentias etiam de non injunctis, licet antiqua crebrius de injunctis indulgentiam concesserit, videtur mihi (salvo meliori judicio), modernos pontifices potius debere imitari modernam ecclesiam seclusis abusibus, quam anteriorem. Nam tempora nostra similiora sunt temporibus modernae ecclesiae, quam antiquae; quia in moderna sicut et in nostra cessaverant canones poenitentiales, decreverat fervor et rigor spiritus, et ideo opus erat majori indulgentia; adeo quod si viri illi primitivi pastores cum omni sua sanctitate hodie extitissent, majori indulgentia usi fuissent, quam olim usi sunt; nam ut viri sancti et pii probe nossent, onera juxta humeros esse imponenda, nec juxta morem Pharisaeorum onera gravia alligarent supra cervices discipulorum, quae ipsi digito nollent tangere.

16. Tertio. Ecclesia, ut vidimus, dat indulgentias defunctis; et non solum confessis, sed his etiam, qui suo tempore confitebuntur, modo contriti sint. Sed hujusmodi non possunt esse indulgentiae de injunctis, quia illis, qui non sunt confessi, non est injuncta poenitentia; mortuos etiam non obligat injuncta, ita ut teneantur jejunare etc.

Quarto. Si tantum indulgentia concederetur de injunctis, nihil vel parum concederetur, sed potius verbis magnificis et blandis sermonibus et benedictionibus homines deciperentur. Quod non solum non est ecclesiae facere, sed nec boni privati viri. Quod autem hoc ita sit, constat; quia tempore jubilaei vel indulgentiae plenariae, si tantum injunctae poenitentiae condonarentur, quia parvae

Digitized by Google

sunt hodie, quum jam non vigeant canones poenitentiales, et pro arbitrio sacerdotum minime dari soleant iis, qui illas non voluerunt, parum admodum sub magnificis verbis et pollicitationibus concederetur; illis vero, qui vel non susceperunt injunctas, vel susceptas expleverunt, nihil esset; quod plane illos deciperet. Non expedit igitur, communiter concedere solum indulgentias de injunctis, sed absolute illas concedere, prout exigit causa.

Et haec de quarto quaesito.

Quaestio V.

17. Ad difficultatem, qua quaeritur, *quid de indulgentiis, quae conceduntur coronis*, duo responderem. Alterum est, nullo modo expedire ut aboleantur. Secundum est, expedire ut reformentur modo convenienti.

Et primum quidem probari meo judicio potest validis rationibus, et facile solvi possunt rationes, quas in contrarium quidam adferunt. Primo enim, *quod non expediat illas abolere*, constat, quia secundum communem consensum doctorum pro quavis causa pia, quae cedat in honorem Dei et ecclesiae aedificationem, concedi potest aliqua indulgentia causae conveniens. Sed pium est recitare Pater Noster et Ave Maria et revereri rem sacram et benedictam etiam inanimatam, nisi velimus sequi Hussitas inanes putantes hujusmodi benedictiones contra usum ecclesiae, quae ab ipso sui initio benedixit altaria, templa, imagines, aquam, oleum, sal et multa alia, et contra ipsum sanctum Paulum, qui cibos ait sanctificari per verbum Dei et orationem.[1] Quum igitur pium sit recitare orationem dominicam et salutationem angelicam et revereri rem sacram (quales sunt calculi benedicti, qui et ex benedictione sacerdotali et ex applicatione ad sacrum usum sacri fiunt), poterit pro hac re indulgentia concedi, quum subsit causa aliquam conce-

[1] I. Tim. 4, 4 s.: Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.

Digitized by Google

dendi. Si igitur abolerentur, tollerentur fructus hujusmodi indulgentiae.

Nec obstat quod quis dicat, concedi pro parva causa magnam indulgentiam. Quia quum varii sint doctores, d. Thomas[1] et alii fortassis probabiliores scholastici tenent, quod causa quantumvis parva sufficit ad consequendam totam indulgentiam, licet peccet, qui eam concedit. Et sic secundum istos ex abolitione calculorum amitteretur fructus totius indulgentiae. Secundum alios vero, qui tenent causam debere proportionari ipsi indulgentiae, licet pro tam parva causa non censeant consequi posse tantam indulgentiam, censent tamen posse consequi eam partem, quae respondeat, quia utile non debet pro inutili vitiari. Quum igitur secundum omnes doctores, etiam eos qui parci sunt in indulgentiis, semper aliquid lucremur, non expedit tollere hoc lucrum ecclesiae, sed illo relicto tollere abusus.

18. Secundo, non solum tollerentur, abolitis calculis, fructus indulgentiae, sed multa alia meliora et majora bona, quae huic usui adnexa sunt hoc praesertim tempore. Nam quum haeretici negent potestatem concedendi indulgentias vivis vel defunctis, negent intercessionem et cultum beatae Virginis et aliorum sanctorum, satisfactiones poenitentiales et thesaurum ecclesiae, per concessionem harum indulgentiarum et earum susceptionem et usum fit protestatio hujus fidei contra haereticos, quae Deo valde grata est et honorifica et valde utilis ecclesiae. Occasione etiam calculorum conceditur indulgentia frequentantibus sacramenta confessionis et communionis, frequentantibus etiam orationes; ex qua re innumerae animae Catholicorum in Italia, Hispania, Gallia, Germania, ut nostri experientia norunt, ad Deum sunt conversae et vitam mutarunt, adeo ut *sperandum esset, quod si usus orationis et sacramentorum hac vel quacumque alia pia occasione invalesceret, hac via posset ecclesia reformari, cujus reformatio maxima causa est ad concedendas indulgentias.* Nullo igitur modo expedit, hos et similes fructus auferre, quales sunt devotio ad claves

[1] In lib. IV. Sent. dist. 20. art. 3.

Digitized by Google

ecclesiae et sanctos, humilitas et reverentia ad res sacras, spes veniae; quae omnia occasione hujus legitimi usus calculorum dominus elargitur.

Tertio, non solum abolitis calculis tolluntur jam dicta bona, quae magna sunt, sed sequentur multa inconvenientia et damna. Et primum est suggillatio pontificum, qui hujusmodi indulgentias concesserunt, quasi decepti sint in re gravissima, nempe in cultu Dei et sacramentis; quum indulgentiarum concessio et usus ad cultum Dei et satisfactionem sacramentalem etiam pertineant. Viri et pii et sancti atque pene totus populus christianus, demptis paucis sciolis, videbuntur decepti, quum tamen illorum consensus communis a Spiritu Sancto esse videatur, haereticorum autem opinio irridentium indulgentias videbitur confirmari. Non ergo expedit hujusmodi abolitio.

19. Superest autem, ut objectiones quasdam, quae in usum calculorum fieri solent, resolvamus.

Primo opponunt nobis F. Dominicum de Soto, qui hujusmodi usum calculorum impugnat in suo IV. Sent.[1] Sed hanc objectionem solvimus, opponendo illi Navarrum in Relectione sua de indulgentiis[2] et Antonium a Corduba Lib. de indulgent. qu. 18.

Secundo opponunt, pro parva causa dari magnas indulgentias. Respondemus imprimis, non esse tam parvam causam, sicut ipsi putant. Quia *non est solum causa ipsa oratio, quae imponitur, dominica, sed jam dicta confessio et protestatio fidei et spes veniae et reverentia et devotio et frequentatio orationis et sacramentorum et renovatio et reformatio vitae*, et, ut supra diximus, causa etiam in se parva, conjuncta vel relata ad magnam, magna censenda est. — Respondemus item, quod poena quaevis temporalis, licet respectu nostri sensus magna sit, respectu tamen divinae misericordiae et potestatis clavium, per quas gementi

[1] Cf. In lib. IV. Sent. dist. 21. q. 1. art. 2.

[2] Martini Navarri Opp. ed. Colon. Agripp. 1616 tom. III. p. 542s.: Commentarius de anno jubilaei et de indulgentiis. Cf. ibid. p. 477: Miscell. 12. s. De oratione, praesertim de rosario.

Digitized by Google

conceditur remissio culpae et poenae aeternae et gratia et jus ad aeternam haereditatem, non est tam magna, ut requirat tam ingentem causam ad remissionem; praesertim quum secundum d. Thomam et Durandum et alios ex quavis causa pia valeat indulgentia etiam male concessa. — Praeterea licet demus parvam esse causam, non ob id sequitur, abolendum esse usum hujusmodi calculorum, sed reformandum.

20. Tertio opponunt nonnulla, quae sequi dicunt ex usu hujusmodi calculorum, nempe vilitas et irrisio et incredulitas erga indulgentias, quae tam passim dantur, mendacia confingentium hujusmodi indulgentias, licentia peccandi ex tam facili venia, omissio orationis et satisfactionis etiam pro defunctis, quos omnino putant per calculos liberatos esse a purgatorio. Respondemus, ista non sequi ex usu moderato calculorum, quem solum probamus, sed ex immoderato. Et, si moderatum aliqui reprehendunt et asserunt, ex illo sequi jam dicta vitia, dico, per accidens illa sequi. Quia nulla est res tam sancta, qua non possit abuti humana pravitas. Ob id tamen non est tollendus usus rerum. Alioquin nec sacramentis nec aliis rebus sacris esset utendum. Deinde dico, quod quantum experientia ego et nostri cognovimus, qui his utuntur non incidunt in praedicta inconvenientia, sed illi potius qui his calculis nolunt uti et illos spernunt. Nam qui devoti sunt, quales fere sunt illi, qui hujusmodi calculos petunt et desiderant, non incidunt in ista vitia, sed indevoti et contemptores et faciles ad judicandum facta suorum superiorum et ex sensu et non ex fide metientes divinam et ecclesiasticam potestatem. Praeterea scandala hujusmodi, quae orta sunt occasione indulgentiarum in ecclesia, praesertim orta sunt propter avaritiam immistam ministrorum, qui indulgentias venales faciunt. Inde enim contemptus illarum nascitur et mendacia et incredulitas caeteraque mala. Indulgentiae vero, quae ob usum calculorum conceduntur, gratis dantur, et non passim conceduntur vel quibuslibet, sed tantum piis personis, quae illas desiderant. Idcirco ex illis non nascuntur jam dicta scandala.

Digitized by Google

Quarto opponunt de animabus purgatorii: Quod si per orationem in his calculis factam anima una magnam debens poenam liberaretur, crudelis esset Deus, qui tamdiu illam cruciaret, quum per brevem orationem erui posset. Respondetur, quod si animae ob hujusmodi orationem liberantur, causa liberationis non est sola illa brevis oratio, sed multa bona adnexa illi orationi, de quibus jam supra diximus. Ob quae, si Deus misericors eruere vult animam aliquam a purgatorio, non ob id est crudelis, si, hujusmodi suffragiis non adhibitis, eam luere poenas sinat. Quia justa et non crudelis fuit sententia, qua illam ad illas poenas luendas damnavit. Quae quidem sententia non ita absoluta fuit, ut omnino deberet luere poenas, sed ut vel eas lueret vel suffragiis juvaretur; quibus non adhibitis, sequitur, ut eas luat absque aliqua crudelitate.

21. Quinto opponunt, videri superstitiosum, quod inanimis signis benedictio et indulgentia concedatur, et ideo abolendam esse hujusmodi superstitionem, praesertim quum de novo sit introducta. Respondemus, duo esse consideranda hac in re. Alterum est benedictio ipsa, alterum vero concessio indulgentiae. Et quidem benedictionis capaces sunt ipsae sphaerulae sicut et cibi et alia, de quibus superius diximus. Quod negare error fuit Joannis Hus et Lutheranorum. Hoc enim ipso quod applicatae sunt ad usum Dei et sanctorum, sacrae factae sunt, sicut imagines, quae in domo pictoris vel sculptoris nihil sacrum habent, positae in altari vel templo efficiuntur sacrae. Ultra hanc vero sanctitatem accedit alia ex benedictione sacerdotali, quia Deus benedicit, quod sacerdos benedicit. In benedictione igitur nulla est superstitio. — Indulgentia vero non conceditur lignis (id enim esset superstitiosum), sed conceditur hominibus sumentibus indulgentiam. Causa vero concessionis non est profana vel ludicra contrectatio lignorum, quia hoc non esset causa pia, sed est ipsa oratio et etiam reverentia et pietas erga ipsas sphaerulas, quae benedictae et sacrae sunt. Quorum utrumque causa pia est. Pium siquidem est orare, et pium est sacra revereri et rebus sacris uti in eum usum, in quem sacratae sunt.

Digitized by Google

Si igitur superstitiosum esset, ob orationem ad calculos benedictos factam concedere convenientem indulgentiam, superstitiosum quoque esset, eam concedere ob visitationem quorundam templorum vel altarium, ob processionem per aliquos vicos, ob auditionem missae, praesertim in capella papae, vel susceptionem benedictionis die paschatis ab ipso. Quod tamen asserere non est nisi errantium et „non intelligentium neque quae loquuntur neque de quibus affirmant.“[1]

22. Quia igitur usus calculorum benedictorum non est cur aboleatur, sed potius multis de causis retineatur, superest ut, si aliquis se immiscuit abusus, reformetur. Quod quidem commode fiet, si tam in concedendis indulgentiis quam in jam concessis conveniens causa apponatur ad indulgentiam, quae debet concedi.

Et quidem si plenaria erit, videtur mihi sufficiens causa: congrua quaedam frequentatio orationis et sacramentorum poenitentiae et communionis. Ex hac enim ultra professionem fidei in haereticos hujus temporis, sequitur etiam renovatio et reformatio morum. Quae duo magna causa sunt plenariae indulgentiae, quia ad magnam Dei gloriam et ecclesiae utilitatem cedunt.

Et haec dicta sint de indulgentiis ob usum calculorum concessis. Et omnia a me dicta libenter et humiliter submitto non solum judicio sanctae sedis apostolicae sed etiam cujusvis melius sentientis.

[1] I. Tim. 1, 7.

Digitized by Google

X.

Suffragium de Johannis Grimanii, patriarchae Aquilejensis, doctrina de praedestinatione, in concilio Tridentino cum processu ejusdem patriarchae propositum.

Quando ita jussit D. V. Ill^ma^ breviter dicam et sincere, quid de unaquaque propositionum, quas ejus jussu excerpsi ex quadam epistola mihi videbatur.

Fateor tamen, me paene invitum istas annotationes fecisse, tum quia habet s. officium multos viros doctos et exercitatos, qui melius possent ista praestare, tum quia mens divisa et in procinctu itineris posita non potuit libros videre, nec sese colligere ad hanc rem mature (ut par erat) considerandam. Ideo condonabit D. V. Ill^ma^, si quid erratum fuerit, condonabit etiam, ut spero, si sincere proferam, quid mihi videatur de quibusdam in illa epistola insertis. Nam contra personam ejus (auctoris) profiteor me nihil dicturum, et quia mihi facile persuadeo, ipsum catholicum esse et judicio sanctae matris ecclesiae subjectum, et quia etiam, quum non esset in rebus sacris et in dogmatibus ecclesiae satis exercitatus, scripsit bona fide et absque pertinacia quae sibi vera videbantur, et quae si visa sibi fuissent aut ostensa ecclesiae doctrina contraria, ea facillime rejecisset neque ut sua recognosceret. Subjiciam singillatim ipsasmet propositiones ab eo vulgari sermone scriptas et qualecumque judicium meum de unaquaque eorum.

Propositio I.

Prima igitur propositio est: *„Li predestinati non si possono dannare, nè li presciti salvare."* Quae quidem

Digitized by Google

videtur haeresim sapiens et scandalosa et temeraria. Quod ut ostendam, primo suppono, idem esse dicere praedestinatum non posse damnari neque praescitum salvari, ac si diceretur, praedestinatus necessario salvatur et praescitus necessario damnatur, quod verum esse constat ex dialecticis et theologis et ex communi modo loquendi. Suppono secundo ex eisdem fundamentis, duplicem esse necessitatem: absolutam, quae est, quum res ipsa per se considerata non potest aliter se habere, quia habet causas determinatas, ut necesse est, solem oriri; et ex suppositione, quae tunc est, quum res quidem per se ipsam contingens est, et indeterminatas causas habet, et ideo aliter se habere potest, tamen si aliquid supponatur, non potest aliter se habere; et haec quidem necessitas potius est in ipsa illatione, quam in re, quae infertur; ut si video Socratem sedentem, necesse quidem est, ut sedeat, non per se, quia surgere potest, sed ex suppositione, si ego video illum sedentem. Tertio suppono, propositionem loqui de necessitate absoluta et non de ea suppositione aut consequentia; ut deducitur primo, quia propositio cujusdam concionatoris, quae tuenda suscipitur in epistola habebat: *Praedestinatus non potest aliquo modo damnari,* quod quidem necessitatem absolutam dicit; secundo constat, quia ad probandam necessitatem adducitur aeternitas et immutabilitas Dei, a qua sola dicitur pendere praedestinatio ac reprobatio et quam nec nos, nec daemon ipse, nec aliqua creatura impedire potest, et quae si impediretur, non esset, ut dicitur, Christi sanguis securus; tertio, quia asseritur, ita esse necessarium, ut reprobus damnetur, sicut filius referat naturam patris sui, quae omnia necessitatem absolutam probant.

De qua, supposito, quod propositio loquatur, constat imprimis, quod sapiat haeresim praedestinatianorum; quia ut refert divus Ildephonsus archiepiscopus Toletanus in suo catalogo haereticorum haeresi 90.,[1] praedestinatiani as-

[1] Non S. Ildephonsus sed auctor ignotus operis, cui titulus „Praedestinatus", in libro primo haeresium catalogum exhibente, haer. utique 90. Migne P. L. 53, 620.

Digitized by Google

serebant, praedestinatos ad bonum necessario salvari, praedestinatos autem ad malum necessario damnari. De quo errore idem Ildephonsus in libro edito contra libellum quemdam istorum[1], ita ait: „Nonagesimam haeresim praedestinatiani fecerunt ostendentes libros falsos, quos Augustini confingunt, cujus dicta in multis locis leguntur istis libris valde contraria. Datur ergo catholicis vera suspicio, quod tam scelerata dicta viri orthodoxi esse non possint.“[2] Idem in eosdem praedestinatianos ibidem ait: „Prophetae omnes vocant, apostoli omnes vocant, Christus omnes vocat, in toto orbe terrarum sacerdotes Dei innumerabiles omnes vocant ad gratiam et misericordiam Dei et ad indulgentiam, soli duo aut tres homunciones, cereum habentes cor, egrediuntur cum his libris apostaticis, quos viri catholici esse confingentes, totum vulnerant mundum; qui novum genus blasphemiae inducentes dicunt, quod Deus non omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, atque unius loci obscuritatem passi, tanto lumini tamque immenso splendor tenebrarum suarum volunt inferre caliginem.“ Haec ille.

Quod vero scandalum sit, et occasionem praebeat peccandi idem auctor confirmat dicens de hoc errore: „Octoginta novem haereses in primo libro conscripsimus; nullam ita hominibus ad crimina frena laxasse conspeximus, nullam sic blasphemias in Deum astruentem invenimus,“ et paulo inferius: „Quis non videat, quid hoc dolo tollatur sollicitudinis justis timendi, ne corruant, et peccatoribus amputetur effectus sperandi, ne surgant.“

Quod vero sit temeraria, hoc est, sine sufficienti ratione asserta, ex eo probatur, quia loca scripturae, quae adducit ad probandam hanc necessitatem praedestinationis et reprobationis, legerunt omnes majores nostri, et ita in-

[1] Liber secundus dicti anonymi hoc scriptum Augustino attributum continet; tertius idem refellit.

[2] Lib. III. post praef. Migne l. c. 627.

Digitized by Google

tellexerunt, ut nullam necessitatem absolutam ex illis deducerent.

Propositio II.

Secunda propositio, videlicet: *„Ha rivelato lo Spirito Santo a consolation nostra contra gl' errori et inimici della gratia questa verità, che hora io confesso, che li predestinati et eletti da Dio secondo il beneplacito della sua voluntà non si possono dannare, e così li presciti e reprobati non si possono salvare,“* eadem est cum priori, et eisdem notis videtur digna. Sed ideo illam adnotavi seorsum, quia tacite videtur sugillare catholicos et vix non ecclesiam sanctam, quum initio ait: Ha rivelato lo Spirito Santo a consolation nostra contra gl' errori et inimici della gratia questa verità, che hora io confesso; perspicuum autem est, quod eo tempore, quo auctor scripsit hanc epistolam, catholici erant, qui contra hanc necessitatem praedestinationis docebant, et qui de illis, qui illam praedicabant, scandalizabantur. Catholicos igitur vocat inimicos gratiae et dicit, eos in errore esse; quod non solum injuriosum est, sed contra illum articulum: Credo sanctam ecclesiam catholicam. Sancta enim est, quia munda est ab errore, et non inimica gratiae Dei.

Propositio III.

Tertia propositio, quae sic inquit: *„Adunque bisogna concludere, che la predestinatione et reprobatione è voluta da Iddio, si perchè la scrittura lo dice et Paulo in questo luogo, et in molti altri apertamente lo confessa, come perchè ella non cade sotto principii naturali, essendo tutta divina e spirituale, et pendendo sola dalle libere promesse, che Dio ci ha fatte,* primo notari potest, quia nimis secure et confidenter asserit, praedestinationem et reprobationem aequaliter esse a solo Deo et sine discrimine, quum tamen multi doctorum tam antiquorum quam scholasticorum discrimen faciant, et praedestinationem tribuant soli divinae clementiae absque praevisione meritorum, reprobationem autem

Digitized by Google

tribuant divinae justitiae decernenti poenam praevisis peccatis hominum. Quia tamen alii etiam catholici utrumque tribuunt Deo, et auctor illos voluit sequi, non est in hoc reprehendendus, sed in illo, quod in fine ait, praedestinationem et reprobationem pendere ex liberis promissionibus Dei nobis factis. Quod omnino falsum est. Primo quia praedestinatio antiquior est et aeterna, promissiones autem, quas Deus facit nobis, in tempore fiunt. Error autem est dicere, quod aeternum pendeat a temporali, quum potius viceversa se res habeat. Quia enim ab aeterno Deus elegit aliquos ad aeternam vitam, ideo in tempore illis talia pollicetur, nam ante tempus non erat, cui polliceretur. Secundo, reprobatio quia aeterna est, et secundum auctorem sine praevisione demeritorum, non potest pendere a temporali promissione. Tertio reprobationem nulla sequitur promissio Dei, sed potius minae et si aliquid illam praecederet a quo penderet, essent potius minae quam promissiones.

Propositio IV.

In quarta propositione, quae sic habet: *„Il medesimo confirma Giovanni nella sua apocalipsi descrivendo gl' eletti nel numero delli 12000 per ciascuna tribù posti nel libro della vita e dice che erano segnati non d' altro che del sangue di Jesu Christo non già per trapassare in quello della morte, perchè la sua revelatione haverebbe più tosto potuto fare confusione, che consolatione negli animi nostri, nè il sangue del Redentore sarebbe stato sicuro“*, duo occurrebant notanda. Primo hoc, quod reputat inconveniens, si apocalypsis vel scriptura aliqua canonica faciat alicui confusionem et non pacem et consolationem, quum tamen manifestum sit, quod scriptura malis et nolentibus resipiscere, imo et bonis, si non perseveraverint, confusionem afferat, dum illis minatur aeterna supplicia, sicut bono perseveranti pollicetur aeterna gaudia, juxta illud Isaiae: „Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Vae impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei.“[1] Christus Dominus in evan-

[1] Is. 3, 10.

Digitized by Google

gelio, qui dixit: „Beati pauperes spiritu“[1] etc., „Beati qui lugent“[2] etc., dixit etiam: „Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram“[3] etc. Similiter Paulus ait: „Qui reddit unicuique secundum opera ejus, iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam; iis autem, qui sunt ex contentione et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio“[4] etc. Dicere igitur, quod scripturae solum offerant pacem et consolationem, contra scripturam est, et sapere videtur errorem Lutheri, qui ajebat, promissiones evangelicas absolutas esse et a nulla conditione penderc.

Secundo notatu dignum est, quod ait, sanguinem Christi non fore securum, si reprobatus posset salvari, vel praedestinatus reprobari. Manifestum enim est, quod ex hoc, quod reprobus posset salvari, nihil deperit Christi sanguini, quum ejus virtute id possit; rursus nihil deperit illi, si praedestinatus potest damnari, quia non defectu sanguinis id potest, sed proprio. Laus quoque sanguinis Christi est, quod ejus effusio non violet naturas, sed conservet, ita ut praedestinatus libere et contingenter salvetur, et reprobus similiter damnetur; siquidem utriusque natura libera est. Error igitur est, asserere, non esse securum sanguinem Christi, si haec absoluta necessitas non inducatur.

Propositio V.

In quinta propositione, videlicet: *„Il predestinare di Dio è il profetizzare suo, secondo questo stilo, che impossibil sia, che altro riesca di quello, che ab eterno è proveduto“*, duo errores occurrebant. Primus quod praedestinatio Dei sit sua prophetia et praedictio, nam praedestinatio, quia aeterna, non est praedictio; nullus enim erat ab aeterno, cui aliquid Deus praediceret; rursus non est sola praevisio,

[1] Mat. 5, 3.
[2] Mat. 5, 5.
[3] Luc. 6, 24.
[4] Rom. 2, 7. 8.

Digitized by Google

sed praedilectio, est enim pars providentiae secundum omnes doctores; et secundum eosdem providentia non solum scientiam Dei includit, qua omnia regere et ad finem debitum dirigere scit, sed voluntatem etiam qua velit. Ideo falso et temere ita definitur praedestinatio.

Secundus error est dicere, impossibile esse aliter evenire, quam Deus praevidit. Sapit enim haec propositio articulum illum Joannis Wiklef damnatum sess. 8. concilii Constantiensis, qui ajebat: „Omnia de necessitate absoluta eveniunt.“[1] Si enim sola praevisio Dei necessitatem rebus imponit, quum Deus omnia praevideat, omnia de necessitate eveniunt; quod non solum est contra fidem sed contra omnem bonam philosophiam, quae ita fatetur divinam providentiam, ut fatalem necessitatem neget.

Propositio VI.

In sexta propositione, quae sic ait: *„Certo è che se la scrittura si deve adempire, è necessario, che il prescito non si possi salvare, perchè egli è figlio della perditione, come dice Christo; il figliuolo non puote mai negare la natura, che il padre gli da, e perciò diceva il Redentore: „Vos ex patre diabolo estis, quia opera ejus facitis“,*[2] *e sono proprio quelli, alli quali Iddio e Christo non mira mai con l' occhio della sua pietà“,* occurrebant tria adnotanda. Primum quod, ut diximus, asserat, reprobum necessario absolute damnari. Putat hoc sequi ex eo, quod scriptura damnationem reproborum praedicat, quum tamen ut vidimus et ut fides catholica praedicat, praevisio Dei et praedictio scripturae non mutat naturas, sed relinquat res necessarias in sua necessitate, et contingentes in sua contingentia.

Secundum notandum est, quod ait, quod, sicut filius non potest negare naturam, quam praebet ei pater, ita praescitus non potest non damnari. Ex quo, ut diximus, constat, quod loquatur de necessitate absoluta reprobationis;

[1] Est articulus 27. inter 45 damnatos.

[2] Joh. 8, 44.

Digitized by Google

quia absolute necessarium est, ut filius habeat naturam, quam ei confert pater.

Tertium nota dignum est, quod ait, Deum non respicere oculis misericordiae reprobos, quod manifeste est contra scripturam et sapere videtur errorem quemdam in concilio Tridentino damnatum. Scriptura enim dicit: „Misereris omnium, . . et nihil odisti eorum, quae fecisti.“[1] Eadem iterum dicit: „Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.“[2] Reprobi etiam baptizantur et caetera sacramenta suscipiunt, et in illis Dei gratiam, quamquam non ex merito et justitia suscipiunt, ex misericordia suscipiunt, et ita pietatis oculo a Deo respiciuntur, licet ipsi culpa sua finaliter se reddant indignos. Sapere igitur videtur haec assertio errorem illum damnatum sess. 6. can. 17. concilii Tridentini, qui sic habet: „Si quis justificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum, anathema sit.“

Propositio VII.

Septima propositio, videlicet: „*Alla volontà di Dio nessuno fa resistenza, perchè è detto dal propheta: Quis est qui resistat vultui meo?*“[3] contra scripturam est et sapere videtur errorem ab ecclesia damnatum. Scriptura enim in multis locis asserit, nos resistere divinae voluntati, dicente Job de quibusdam: „Ipsi vero rebelles fuerunt lumini.“[4] Job quoque dicit: „Quis restitit ei et habuit pacem?“[5] et David: „Si hodie vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra,“[6] et Isaias: „Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem,“[7] et sapientia per Salomonem: „Vocavi et renuistis . . despe-

[1] Sap. 11, 24. 25.
[2] Joh. 1, 9.
[3] Jerem. 49, 19; 50, 44.
[4] Job. 24. 13.
[5] Job. 9. 4.
[6] Psalm. 94, 8.
[7] Rom. 10, 21, secundum Is. 65, 2.

Digitized by Google

xistis omne consilium meum,“[1] et Dominus in evangelio: „Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti“[2], et Stephanus dicebat Judaeis: „Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos.“[3] Ideo can. quarto decreti de justificatione concilii Tridentini anathemate damnatur asserens, liberum arbitrium non posse dissentire, si velit, Deo excitanti et vocanti.

Propositio VIII.

Octava propositio, quae sic se habet: „*Non ci elegge semplicemente per abandonarci e lasciarci liberi nelle mani delli nostri proprii consigli,*“ vera est quoad ejus priorem partem. Non enim Deus eligit aliquem ut finaliter eum derelinquat. Posterior autem pars, quod non eligat, ut relinquat nos liberos in manu consilii nostri, videtur expresse contra scripturam, quae de primis nostris parentibus (qui plene secundum ecclesiae definitionem electi fuerunt) inquit: „Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui; adjecit mandata et praecepta sua; si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.“[4]

Propositio IX.

Nona propositio: „*E perciò questi servi, i quali si conoscono figlioli, operano sempre con amore et non con timore*“ duo habet reprehensione digna. Primum est, quod electi se cognoscunt filios Dei, et quia filios Dei vocat electos ipsos, manifeste sapit errorem dicentium, citra reve-

[1] Mat. 23, 37.
[2] Prov. 1, 24. 25.
[3] Act. 7, 51.
[4] Ecclus. 15, 14 -18.

Digitized by Google

lationem haberi posse certitudinem suae praedestinationis; contra illud sapientis: „Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta,“[1] et contra canonem concilii Tridentini de justificatione dicentem: „Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certe habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.“[2] Secunda hujus propositionis pars, asserens electos semper operari ex amore et numquam ex timore, erronea videtur et temeraria. Non enim solis reprobis ait Paulus: „Cum metu et tremore vestram salutem operamini,“[3] nec de solis illis dicebat Isaias: Domine a timore tuo „concepimus, et quasi parturivimus et peperimus spiritum;“[4] Paulus etiam timere videbatur, quum dicebat: „Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte quum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar,“[5] et Romanis ait: „Noli altum sapere, sed time.“[6] Job quoque dicebat: „Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.“[7] Electi praeterea, ut David et Paulus et Petrus, saepe fuerunt extra Dei gratiam et in peccato mortali, et tunc constat, eos non operatos esse ex amore Dei infuso.

Propositio X.

Decima propositio inquiens: *„Adunque quello, che è eletto in Christo, e che è fondato in Christo, non può cadere in ruina“*, quantum ad id, quod asserit: Qui est fundatus in Christo non potest ruere, si loquitur de ea fundatione, quae fit per praedestinationem, ut certo loqui videtur, eadem censura est digna, qua prima ejus propositio, si autem de ea fundatione loquitur, quae est per praesentem charitatem et gratiam, sapere videtur errorem asserentium, semel baptizatum non posse a gratia excidere. Contra quod

[1] Eccles. 9, 1.
[2] Sess. VI. can. 16.
[3] Phil. 2, 12.
[4] Is. 26, 18.
[5] I. Cor. 9, 27.
[6] Rom. 11, 20.
[7] Job. 9, 28.

Digitized by Google

praeter multa et manifesta loca scripturae est canon Tridentinus 23. decreti de justificatione dicens: „Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, numquam vere fuisse justificatum, aut contra, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet ecclesia, anathema sit." Potest enim fundatus in Christo excidere a fundamento, non vitio fundamenti, quod eum ex se sustineret, sed proprio. Quia enim lapis vivus est et liber, ut potest cum Dei gratia fundamento adhaerere, ita non potest ab eo sine culpa segregari.

Propositio XI.

Undecima propositio, videlicet: *„Medesimamente non può prevalere contro l' edificio construtto di viva pietra, il quale è la s. chiesa et il numero determinato delli eletti"*, asserens, aedificium constructum ex vivis lapidibus esse sanctam ecclesiam et numerum determinatum electorum, manifeste sapit errorem Joannis Hus damnatum in concilio Constantiensi sess. 16. qui sic se habet: „Unica est sancta universalis ecclesia, quae est praedestinatorum universitas."[1] Idem autem videtur asserere hic auctor. Quia, si unicum et idem aedificium est ecclesia et numerus praedestinatorum, consequens est, ut ecclesia sit numerus praedestinatorum, quia, quaecumque sunt eadem cum tertio, sunt eadem inter se.

Propositio XII.

Duodecima, quae sic habet: *„Gli eletti purgatissimi rimangono quando in tutto sono levati dall' asprezza e lordura di questo mondo"*, manifeste sapit errorem Graecorum, Armenorum, Waldensium, Wicclefitarum, Joannis Hus et modernorum haereticorum negantium purgatorium. Quia

[1] Articulus 1. inter 30, qui damnati sunt.

Digitized by Google

enim reprobi numquam purgantur, (quum in inferno nulla sit redemptio), si electi, ut ait hic auctor, quum e mundo exeunt, discedunt purgatissimi, nullum superest purgatorium, contra scripturas et continuam ecclesiae traditionem et concilia; inter quae concilium Tridentinum can. 30. decr. de justificatione ait: „Si quis, post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit, anathema sit." Nec excusari potest haec propositio ex eo, quod non plane asserat, electos purgatissimos decedere ex hoc mundo, sed purgatissimos remanere, quum omnino auferantur ab asperitate et sordibus hujus mundi, non excusatur, inquam, ex hoc, quasi velit dicere, eos tunc esse purgatissimos, quum non solum a mundo tolluntur, sed ab ejus sordibus; tum quia hoc dicere, esset statuere, esse purgatissimos eos, qui purgatissimi essent, quod non solum in electis habet locum, sed in omnibus, qui vere essent purgatissimi; tum etiam quia in praecedentibus hanc propositionem manifeste asserit, ita Spiritum Sanctum excitare et movere et compungere electos, dum vivunt, ut, quum e vita excesserint, remaneant purgatissimi.

Propositio XIII.

Decimatertia propositio, quae talis est: *„Queste sono consequentie di quelli, che vogliono dare tutto l' honore a Dio, come si deve, overo di quelli, che vogliono partire per mezzo quello, che è solo di Christo"*, mihi videtur sapere errorem illorum, qui negant liberum arbitrium et asserunt, id non cooperari Deo in sui ipsius justificatione, sed mere passive se habere, contra vero putant, eos, qui asserebant, nos esse cooperatores Dei, auferre Christo gloriam suam et eam velle cum illo partiri, quasi ex aequo; haec propositio, inquam, est contra canonem quartum decreti Tridentini de justificatione dicentis: „Si quis dixerit liberum

Digitized by Google

hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, nihil operari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere, anathema sit." Non ergo est contra Dei gloriam, neque contra virtutem humilitatis, fateri, nos liberum arbitrium habere, quod Deo cooperetur; quia illud ipsum liberum arbitrium et posse Deo cooperari ipsi Deo tribuimus, qui illud creando nobis dedit et creatum conservat et adjuvat, ut sibi cooperetur. Itaque esset potius superbiae et ingratitudinis non recognoscere hoc Dei beneficium, de quo in Deo et non in nobis possumus gloriari. Superbiae quoque est, putare, se nosse melius laudare gratiam redemptoris, et cognoscere vel habere virtutem humilitatis, quam non habeat ipsa ecclesia; quum contra omnino res se habeat, quia, qui tollit liberum arbitrium, tollit gratiam et virtutes omnes et salutem, sicut et ille, qui tollit gratiam. „Tolle", inquit Bernardus, „gratiam, non est, quod salvet; tolle liberum arbitrium, non est, quod salvetur, quia revera quod liberum non est, non est capax virtutis vel gratiae vel beatitudinis."

Propositio XIV.

Decimaquarta propositio, quae ait: *„Pertanto doveriamo cognoscere, che la predestinatione non toglie nelli eletti il libero arbitrio, ma lo da, lo procura e lo conserva"*, eumdem sapit errorem. Quia, si praedestinatio dat liberum arbitrium, reprobi carebunt libero arbitrio, electi quoque natura non erunt liberi, sed effectu gratiae et praedestinationis. Quae omnia contra scripturas et definitiones ecclesiae sunt, et signanter contra quartum canonem decreti de justificatione jam citatum et contra quintum, qui sic habet: „Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in ecclesiam, anathema sit."

Digitized by Google

Propositio XV.

Decimaquinta propositio, videlicet: *È ben vero, che nelli reprobati il libero arbitrio nulla vale a conseguire la salute*", asserens liberum arbitrium nil juvare reprobos ad consequendam salutem, ultra hoc, quod contradicit praecedenti propositioni, quae fatetur, liberum arbitrium in reprobis, quod conferri a praedestinatione dixerat, ultra hoc, inquam, sapere videtur errorem damnatum in 17. citato canone concilii Tridentini asserentium, gratiam non dari nisi praedestinatis. Nam si datur reprobis, et eorum liberum arbitrium ex gratia operatur, procul dubio illud opus juvabit ad salutem, quia meretur ad salutem. Sapit praeterea errorem Joannis Wicclef damnatum sess. 8. concilii Constantiensis, qui sic se habet: „Oratio praesciti nulli valet."

Propositio XVI.

Decimasexta propositio, quae inquit: „*Vedete, che questo tanto huomo (Agostino) non existima cosa horribile, come hoggi dì si fa, che il libero arbitrio non bastasse per la salute nostra*", ideo notata est, quia videtur imponere catholicis et ecclesiae, quod numquam cogitarunt; nempe horribile sibi videri, quod liberum arbitrium non sufficiat ad salutem nostram, quum tamen catholicis omnibus, et semper et eo tempore, quo auctor sic scripsit, utrumque videatur horribile: et asserere, quod liberum arbitrium non cooperetur, et quod liberum arbitrium per se et sine gratia sufficiat ad salutem. In primum errorem sunt inter alia quartus et quintus canon jam citati, in postremum est canon secundus dicens: „Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit, anathema sit."

Propositio XVII.

Decimaseptima propositio inquiens: „*Ben è vero, che sicome della elettione et reprobatione altra causa non si può*

Digitized by Google

dare, che la volontà di Dio retta dalla sua ineffabile giustitia, come dice Agostino, così della dannatione de' peccatori, la causa si rende per la colpa delle iniquità nostre", notata est primo, quia nimis confidenter asserit et sine discrimine, non posse dari causam electionis et reprobationis, quum tamen in adnotatione tertiae propositionis dictum est: Multi sunt doctores catholici, qui asserunt, causam reprobationis esse praevisa a Deo peccata; sicut de sententia damnationis asserit haec propositio, quod feratur ob iniquitates. Secundo notata est, quia causam electionis et reprobationis refert esse voluntatem Dei, rectam a justitia sua ineffabili; contra quod tam divus Paulus ad Romanos cap. 9. et sancti etiam doctores electionem referunt ad Dei misericordiam, reprobationem vero ad justitiam, dicente Paulo: „Quod si Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam."[1]

Propositio XVIII.

Decimaoctava propositio, quae ait: „*In questo modo col spirito di satana non si pigliarà occasione, di far un altra conseguenza non meno empia che falsa, altre volte fatta nella chiesa delli membri putridi e divisi et hora rinovata, cioè: Se Dio alcuni ha praedestinati et alcuni presciti, in ogni modo si salvaranno o dannaranno, e così, bene o male che si faccia, concludendo, che per necessità verrà fatta la salute o la dannatione loro*", videtur falsa et injuriosa in catholicos. Nam quum ipse, ut diximus, asserat, praedestinationem absolutam necessitatem imponere salvandis, et reprobationem damnandis, asserit tamen, eos, qui ex hoc dogmate deducunt, frustra homines conari ad bona facienda vel mala vitanda, quum sint, sicut si aliter faciant, necessario salvandi electi et damnandi reprobi, —

[1] Rom. 9, 22.

Digitized by Google

hanc, inquam, consequentiam facientes, ait, duci spiritu satanae, et innuit, esse in ecclesia, quae constat ex membris putridis. Quod plane falsum est et injuriosum; quia episcopi per Gallias constituti, ut testatur Hilarius in epistola ad Augustinum et Fulgentius in suis libris de gratia et libero arbitrio, hanc consequentiam fecerunt. Eamdem consequentiam fecit beatus Ildephonsus, ut vidimus, eamdem fecit et Boethius in libris de consolatione, et denique omnes catholici, qui uno consensu asserunt, praescientiam vel praedestinationem et reprobationem non imponere necessitatem vel coactionem salvandis vel damnandis, et, ea posita sequi jam dictum inconveniens, quod adeo manifeste sequitur, ut etiam Aristoteles et Cicero id viderint. Quum ergo praedicti patres catholici saepedictam consequentiam fecerint, in injuriam eorum dicitur, quod agantur spiritu satanae, et quod sint in ecclesia membrorum putridorum; quod verbum suspicionem potuisset ingerere iis, qui non cognoscerent sanam mentem auctoris, quod ipse in alia nova ecclesia se reponeret, quae non esset ex membris putridis; et quum in supradicta ecclesia, ut dictum est, degant ii catholici, quos tacite vocat membra putrida, timendum esset, ne deciperetur in re summe necessaria, hoc est in dignoscenda ecclesia catholica, et ne pro ecclesia catholica susciperet novas synagogas satanae a tempore Lutheri natas, quod Deus avertat.

Et haec sunt, quae mihi obiter et tumultuarie occurrerunt adnotanda circa propositas propositiones. Quae libentissime et humiliter subjicio non solum sacrosanctae sedis apostolicae et sancti officii judicio, sed cujusvis etiam melius sentientis.

Digitized by Google

XI.

Disputatio de justitia imputata.

„Utrum justificatus, qui operatus est opera bona ex gratia et auxilio divino a meritis passionis Christi profecto, ita ut retinuerit inhaerentem justitiam, praesentans se cum illa ante tribunal Christi, censendus sit satisfecisse divinae justitiae ad meritum et acquisitionem vitae aeternae; an vero cum hac inhaerente justitia opus insuper habeat misericordia et justitia Christi (hoc est merito passionis ejus, quo suppleantur defectus suae justitiae), quae justitia Christi communicetur ex divina dispensatione secundum mensuram fidei et charitatis.“[1]

Caput I. Status quaestionis.

1. Operae pretium erit primo declarare nervum quaestionis;

deinde ad eam respondere et confirmare responsionem;

tertio resolvere argumenta, quae contra veritatem adduci possent.

Et primum quidem ideo est necessarium, quia quum contingit, aliquos bonae mentis in falsas incidere opiniones, ob id fit, quia eas falsas esse ignorant. Unde quum ipsi eas non intelligant, non possunt eas aliis explicare; et maior solet esse difficultas in eis explicandis, quam ex-

[1] Ita sonabat articulus de justitia imputativa theologis concilii propositus examinandus die 25. Octobris 1546. Theiner, Acta I, 250.

Digitized by Google

pugnandis, quia in ipsa explicatione patet falsitas, et expugnatur.

Supponendum igitur est, ut rem explicemus ex s. Pauli doctrina, quod tunc aliquid imputatur seu reputatur ad justitiam, aut quod idem est, tunc imputatur nobis justitia Christi, quando ob ejus merita aliquid nobis gratiose donatur, quod non merebamur.[1] Sic enim ait: „Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.“[2] Hic ideo dicitur reputari fides ad justitiam, quia justitia donatur quam non merebatur, et per hoc sibi imputatur justitia seu meritum Christi, quia eam in ipsa justitia inhaerente participat, quae ob justitiam Christi sibi est donata.

2. Hoc igitur ex s. Paulo supposito, tripliciter possumus imaginari necessitatem imputatae justitiae.

Quam ut melius explicemus, utamur hoc sensibili exemplo. Sit rex potentissimus pariter ac ditissimus, qui communicare velit thesauros suos subditis suis. Is habeat apud se domesticum aut filium sibi charissimum, et qui apud regem promeruerit omnes thesauros haereditare. Adsint tres servi aegri et impotentes ad certandum. Proponat rex pretiosissimam gemmam in praemium. Dicat filius regis primo horum trium: Tantummodo crede, et ego, qui omnes regis divitias promerui, obtinebo, ut gemma proposita tibi gratiose donetur. Idem obtineat apud regem, ut secundo donetur ea summa pecuniae, qua possit a servitute redimi et semisanari, et equum et arma debilia ad certandum comparare. Tertio obtineat liberationem a servitute, sanitatem et arma, quibus legitime et fortiter dimicare possit, et gemmam propositam jure mereri.

Clarum est in hoc exemplo, quod in primo, cui gemma donatur, mera est imputatio justitiae filii regis; et hunc modum imputationis ponunt, qui negant in nobis justitiam

[1] Massarellus in edit. Theineriana hujus voti (Acta I, 265 ss.): *meremur*. [2] Rom. 4, 5.

Digitized by Google

inhaerentem, de quo hic non est disputandum, quia jam discussum et conclusum est.[1]

3. Hoc solum hic addam, mihi non probari opinionem dicentium, per fidem et Spiritum Sanctum ante adventum charitatis hominem adoptari et renasci. Sine charitate enim secundum apostolum nihil sumus. Quomodo ergo erimus sine ea filii, et renati? Praeterea si filii essemus, redderetur, et non daretur charitas; quum enim filiis debeatur haereditas[2] quae perfecta charitas est, cur non debeatur imperfecta illa, qua donamur in principio justificationis? Tertio fidelis in peccato existens mortali filius esset, quia habet fidem perfectiorem, quam habuerit, quum in initio justificatus est, quum nunc habitum habeat, tunc solum actum habuerit; habet etiam Spiritum Sanctum eo modo, quo tunc habebat, nempe inhabitantem per solam fidem; iste ergo, quia filius, haeres esset.

Debile ergo mihi visum est, quod dicebatur ad statuendam hanc positionem.

Primo enim dicebatur, Christum dixisse: „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;“[3] ac ideo sola fide et baptismo hominem renasci. Sed hoc, ut dixi, non concludit. Ideo enim dixit, „salvus erit“, quia media fide et sacramento infunditur justitia seu charitas, sine qua non est salus.[4]

Secundo nec illud probat hanc opinionem, quod charitas dicatur fructus spiritus a Paulo, ac per hoc posterior sit ipso spiritu. Ibi enim charitas pro actu et fructu accipitur; spiritus forte pro habitu charitatis seu justitiae, quae prior est suis fructibus, vel forte sicut per opera carnis intelligimus opera hominis carnalis, ita per fructus spiritus opera hominis spiritualis et renati.

[1] Videlicet decretum de justificatione (Theiner l. c., 220 ss.), quod die 23. Septembris 1546 in congregatione generali propositum et quoad substantiam die 12. Octobris acceptatum erat (Theiner l. c. 238) hanc doctrinam continebat.

[2] Massarellus l. c. addit *gloriae*.

[3] Marc 16, 16. [4] Mass. *salvus*.

Digitized by Google

Tertio licet etiam detur, Spiritum sanctum ante charitatem esse in anima per solam fidem, non tamen conficitur, quod per eam solam adoptet, sed quod disponat ad adoptionem per charitatem suscipiendam.

Non putandum igitur, sequendam opinionem hanc esse in hoc, quod rejicit vocabulum justitiae formalis; quum enim charitas revera forma sit, quam vocem non abhorruit s. Ambrosius, per illam enim seu per gratiam sumus, quod sumus, et sine illa nihil sumus; et quum constet de re, non video, quare debeat de voce esse controversia. Vocabulum etiam ipsum non video esse excludendum, quia expungit errorem negantium justitiam inhaerentem, et licet illa voce ethnici usi sint, tamen fidei, ut dicimus, servit, et idcirco non est rejicienda. Usi enim sunt vocabulis οὐσίας et substantiae, quae non respuerant patres. Ideo apostolus non quaslibet voces profanas jubet vitare; sed eas, quae sub falso nomine scientiae veritati contradicunt.[1] Non est ergo ad propositum, eo modo dici hominem justum sine justitia inhaerente, quo campana sonare dicitur, quia causat sonum. Haec enim propositio, campana sonat, causalis est, ista vero, Joannes est justus, formalis. Ideo a forma inexistente opus est, ut fiat denominatio. Quod adducitur, Deum esse sapientem vel justum absque forma inhaerente, non videtur ad rem, quia in Deo ob ejus infinitatem et simplicitatem omnia alia, quae in creaturis sunt distincta et adventitia, identificantur. Ideo sapiens dicitur a sapientia, quae ita est in ipso, ut sit ipse.

4. Relicto ergo hoc primo modo imputationis, in quo imputatio hoc modo tantum reperitur, quo donatur gemma solum credenti, aggrediamur secundum et tertium.

Et in tertio quidem unica imputatio locum habet, illa nempe, qua in gratiam filii, qui omnia promeruit, donatur sibi non gemma, quam meretur, sed id unde illam possit promereri. In secundo bina imputatio considerari

[1] I. Tim. 6, 20: Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae.

Digitized by Google

potest, et ea, per quam donatur sibi, ut quomodocunque certare possit, et illa, qua[1] non legitime certanti donatur praemium in gratiam ejusdem filii. Juxta hoc exemplum justitiam Christi imputatam possumus dupliciter imaginari.

Aut enim dicere possumus, Christum crucifixum promeruisse nobis eam gratiam, ut redempti a peccatis mereri possimus vitam aeternam; et hoc modo sentiendo (licet quoties disponimur ad gratiam, vel eam consequimur, vel in ea proficimus, vel propter eam praemiamur, semper opus sit applicatione justitiae Christi, ex qua omnia dicta profluunt) tantum tamen opus est imputatione dum gratis a peccato justificamur, sive in poenitentia.

Secundo vero modo imaginari possumus, nos duplici quidem egere imputatione justitiae seu meritorum Christi; primo, dum justificamur a peccato, quod dicitur prima positio; secundo dum, utcunque gratia utentes et defectuose, coram tribunali Christi novo dono et nova misericordia nobis donatur praemium, non ob nova Christi merita, quia Christus amplius non moritur, nec meretur; nec ob nova merita nostra, qui coram Christi tribunali extra viam sumus; nec quod Deus censeat nos meruisse, quum non meruimus, quia deciperetur; sed quod videns nos minime demeruisse, in gratiam Christi, qui olim in cruce id meruit, nos gratiose donet vita aeterna. Et hunc puto esse sensum ponentium novam justitiae imputationem coram tribunali Christi. Ajunt etiam ita nobis tunc donari praemium sicut, quum primo justificati sumus, data est gratia, ita, quod sicut Abraham adhuc peccator, sed credens, non meruit gratiam, sed sua fides reputata ei est ad justitiam, (hoc est Deus, qui illam fidem, justitiam non mereri videbat, eum justitia donavit ob meritum Christi futuri), ita post vitam et coram tribunali in gratiam Christi ei gloriam donavit, quam non meruit ob defectus inhaerentis justitiae.

[1] Mass. *quae.*

Digitized by Google

Caput II. Argumenta pro sententia auctoris.

5. Ad hunc ergo modum intellecta quaestione, ad eam responderem: quod ob defectus justitiae inhaerentis non opus est ante tribunal aliqua nova misericordia vel justitiae Christi nova imputatione; sed ut dictum est, tunc nobis applicari justitiae Christi fructum per modum meriti et retributionis, et non imputationis, quae solum locum in justificatione impii vel peccatoris habet.

Quod variis viis probatur.

Primo quidem, quia quum defectus opponatur perfectioni seu integritati, et duplex inveniatur perfectio, altera viae ad coelum (de qua s. Paulus: „Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus“[1]); altera vero patriae (de quo idem apostolus: „Non quod jam acceperim aut jam perfectus sim“[2]), tenentes hanc positionem[3], non possunt statuere imputationem illam novam ob defectum perfectionis, quam in patria speramus; licet enim anima cuiusvis sancti ante tribunal Christi praesentata, et nondum beata, deficiat a perfectione, quam glorificata habebit, quia nec cognoscit nec amat Deum, ut tunc cognoscet et amabit, tamen iste defectus non sibi imputatur; quia non potest, nec debet illo carere; quo si careret, non esset iam in via, sed in termino. Si ergo defectus iste non imputatur, non opus est nova justitia imputata ad illum supplendum, verum supplebitur per retributionem. Tunc enim semen gloriae evadet in arborem et fons saliet in vitam aeternam.

Secundus defectus est viae ad coelum, quae via duplex est, altera, quam ambulasset Adam et ejus posteri, si non cecidisset; et defectus hujus, licet revera sint in justificatis, (quia ob rebellionem carnis non totis viribus tendunt[4] in Deum, ut tunc tendissent, quia quum velle illis adjaceat, perficere non inveniunt), non tamen hi defectus possunt imputari; quia non potest homo illis carere quan-

[1] Phil. 3. 15. [2] Phil. 3, 12.

[3] Haec affirmatio erat Seripandi, generalis ordinis eremitarum S. Augustini, quam defenderat in oratione die 13. Julii habita (Theiner I, 181), quamque plures alii theologi praesertim ex ejus ordine secuti sunt.

[4] Mass. *intendunt*.

Digitized by Google

tumcunque conetur; et quia renatus jam non tenetur carere, quum jam sit sibi remissum originale et cum illo debitum habendi justitiam originalem, per quam illo integro modo tendebat homo in Deum.

Circa secundam autem viam gratiae, in qua nunc sumus, vel potest considerari defectus justitiae inhaerentis propter habitum vel propter actus vel propter aliud adventitium sese admiscens.

Et quidem defectus habitus non est ad propositum; quia gratia vel esset secundum suam speciem impotens ad gloriam promerendam, sicut frigus ad calefaciendum; et hoc non; quia Christus dominus, qui secundum divinitatem, ob infinitatem ejus, et secundum nudam humanitatem ob ejus infirmitatem non potest mereri, sed solum secundum humanitatem[1] gratia vestitam, quum habeat gratiam ejusdem speciei cum nostra, non meruisset, contra omnes scripturas.

Nec est defectus propter remissionem ipsius gratiae, sicut parvus ignis non potest ob remissionem caloris multum calefacere; quia quum gratia et gloria partem ejusdem rationis habeant remissae gratiae, respondebit remissum gloriae praemium sine justitia imputata. Parum enim olei parum potest ignis nutrire. Actus etiam vel defectuosi sunt, quia a parva gratia prodeunt, vel quia nos parum conamur et respondemus gratiae. Et utcunque res se habeat, quae seminaverit homo haec et metet, et velle ultra hoc ponere justitiam imputatam, non est aliud, quam velle parce seminare et in benedictionibus metere.

Quae adveniunt demum vel se immiscent aut peccata mortalia sunt, aut venialia, aut debitum poenae temporalis pro utrisque. Et mortalia quidem ex hypothesi, quod quis sit in gratia, jam non sunt. Haec est enim benignitas pacti gratiae Dei prae primo illo pacto, quod pepigit Dominus cum Adam: quod, hoc vel semel transgrediens, edendo de ligno, non poterat se reducere in pristinum statum (quia ut videmus irrecuperabiliter amissa est justitia originalis), transgrediens vero pactum gratiae, quoties convertitur, restituitur in gratiam. Venialia item non impe-

[1] Verba *ob ejus* usque ad *humanitatem* desunt apud Mass.

Digitized by Google

diunt meritum, quia juxta omnes patres quantumvis sancti, excepta beata Virgine, quandoque venialia committunt et tamen secundum eosdem merentur. Et si cum illis ante tribunal in morte praesententur acceptando poenas eis debitas, remittitur eorum culpa, et patiendo postea poenas luunt. — Debitum autem satisfactionis non est ad propositum. Primo, quia positio ista[1] statuit omnes imputata justitia indigere coram tribunali; atqui[2] non omnes egent satisfactione, ut de martyribus et recens baptizatis, et insignibus confessoribus constat. Secundo, quia debitum satisfactionis non impedit meritum. Quum enim omnes sancti viatores mereantur, et venialia interdum committant, habent etiam debitum satisfactionis; nec propterea a merito impediuntur. Sicut etiam in humanis accidit, esse aliquem aere onustum alieno, et laboribus mereri unde creditori satisfaciat. Si ergo satisfactio non impedit meritum, ob eius debitum non opus erit nova imputatione. Acquisitionem etiam vitae aeternae non impedit debitum satisfactionis, quia licet tarde, illum tamen tandemassequitur.

Verum est tamen, quod ad celerem acquisitionem gloria juvaret, et quandoque juvat non solum justitia Christi imputata, sed justitia etiam sanctorum vel viatorum in gratia existentium, ob quos Deus condonat totam poenam debitam vel ejus partem. Sed hoc privilegium est quorundam, nec juvat opinionem hanc, quae aliter[3] asserit justitiam coram tribunali imputatam.

6. Secunda ratione impugnatur haec positio: Quia quum ponat justitiam imputatam[4] esse necessariam ad supplendum defectus inhaerentis[5], justiores, hoc est habentes copiosiorem justitiam inhaerentem, minus participarent ista imputata, et minus justi magis; quod absurdum videtur praesertim[6] secundum hanc positionem, quae dicit, et vere dicit, principaliter nitendum imputata justitia, et eam esse potissimam justitiam; qua minus participans, absurdum est, quod justior sit, et magis participans minus justus.

[1] Vide notam 3. pag. 158.
[2] Mass. *et quia*.
[3] Trid. I. *universaliter*.
[4] Deest in Mass.
[5] Mass. *inhaerentes*.
[6] Deest in Mass.

Digitized by Google

Tertia ratio sit, quia tollitur revera meritum ab operibus bonis in charitate factis, quod in s. scripturis et ab omnibus doctoribus est statutum. Aut enim dicit, esse defectuosam justitiam inhaerentem ad meritum, et sic negat merita; aut dicit, mereri aliquam gloriam, sed remissam, et ad majorem opus esse nova imputatione, et sic imputatio ponitur, ne judicemur secundum opera. Beatus Paulus praeterea manifeste negat, meritum habere locum, ubi habet locum imputatio.

7. Quarta ratio sit, quia tollitur vera justificatio et vera remissio peccati, et fucatus redditur totus status novi testamenti. Nam quum secundum Paulum et veritatem facilius et proclivius sit, justum et filium mereri haereditatem, quam impium seu peccatorem adoptari seu justificari, juxta illud apostoli: „Si quum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius,“[1] manifeste sequitur, quod non sufficiet justitia inhaerens ad justificationem, vel remissionem peccati. Non igitur erimus veri filii nec vere justi, contra innumeras scripturas, quae dicunt, nos esse novam creaturam, datam nobis potestatem filios Dei fieri, et dici et esse filios Dei, et Christum factum pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, nos gratia Dei esse, quod sumus. Quae omnia veram factionem (ut ita dicam) justitiae, et non nudam imputationem sonant.

Falso proinde quidam asseruit et imposuit b. Augustino, nos per gratiam seu justitiam inhaerentem justificari tantum coram hominibus, et coram Deo reos inveniri; quum tamen scriptum sit: „Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris,“[2] et de parentibus s. Joannis: „Erant autem justi ambo ante Deum,“[3] et apud Paulum: „Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.“[4] Ubi ut[5] incon-

[1] Rom. 5, 10. [2] Luc. 1, 74. 75. [3] Luc. 1, 6.
[4] Rom. 4. 2. [5] Mass. *et.*

Digitized by Google

veniens infert, justitiam dare gloriam, et non apud Deum, quum dictum sit Abrahae: „Ambula coram me, et esto perfectus.“[1] Dominus etiam reprehendit eos, qui justificabant se coram hominibus, et ob eam justitiam ait apostolis: „Nisi abundaverit justitia vestra plus, quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis“[2] etc. et rursus: „Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.“[3] Et patrem, ait, oportere „adorari a nobis in spiritu et veritate“.[4] Et circumcisionem veram, seu Judaeum verum describit Paulus: „Cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo sit.“[5] Idemque ait: „Finis praecepti charitas, de corde puro, conscientia bona, fide non ficta.“[6]

8. Quinta ratio sit: Quia tolleretur satisfactio et purgatorium. Et de satisfactione quidem certum est, quia ad eam opus est, ut quis revera reddat, quod debet. Non reddit autem, cui imputatur redditio; sicut nec animae purgatorii, nec recipiens hic indulgentias satisfaciunt, quum poena debita eis condonatur. Purgatorium etiam tollitur, quia si imputata justitia sufficit, ut volunt, ad supplendum meritum vitae aeternae, sufficiet etiam ad debitum poenae temporalis tollendum. Secundo quia si haberet locum purgatorium, id esset, quia, ut ajunt, ob imputatam justitiam ad illud deputamur. Sed hoc id sequitur absurdi, quod opera ex gratia facta, quae ex ea prodeunt, tamen[7] infernum mererentur; non enim merentur coelum sine imputatione, ut fatentur; nec purgatorium; restat igitur, ut filio gratioso patris non haereditas, sed infernus debeatur.

Sexta ratio sit: Quia laeditur providentia Dei tam ex parte ipsius, quam Christi crucifixi et judicis, quam etiam nostri. Dei quidem; quia non parasset media, quibus vitam aeternam consequi possumus, ut paravit omnibus creaturis, quae mediis suis operibus finem suum attingunt. Christi vero crucifixi; tum quia repellitur ejus meritum in die judicii, dum nos, quibus illud meritum est

[1] Gen. 17, 1.
[2] Mat. 5, 20.
[3] Mat 6, I.
[4] Joh. 4, 23.
[5] Rom. 2, 29.
[6] I. Tim. 1, 5.
[7] Mass. *tantum*.

Digitized by Google

applicatum (quia vivit in nobis Christus), non propter illud censemur digni vita aeterna; tum secundo, quia Christus, injuste judicans, meruit fieri judex in eo judicio, quod nobis explicant omnes scripturae futurum secundum opera, nempe „prout unusquisque gessit.. sive bonum, sive malum;“[1] si enim justos omnes vita aeterna alias eis non debita praemiaret, non redderet eis secundum opera, sed solum malis, ac per hoc fit injuria Christo judici. Atque ita cogitat ista opinio, ac si pater aeternus non cognosceret Christum merentem et crucifixum, dum ei non reddit, quae meruit, nec eundem judicem et partem et testem, dum eum flecti facit ad misericordiam, quum vult esse justus.

Justis etiam fit injuria, quia quum gloriosius sit, aliquid mereri, quam dono accipere, ut in Christo patet (quia ob. id gloriam corporis sui et nominis sui exaltationem et nostram gloriam mereri voluit), injustum esset, illis tantum donari, quod debuit reddi; sicut in exemplo supra posito patere potest, si tertio servo post legitimum certamen tantum donaretur et non[2] redderetur gemma.

Septima ratio sit: Quia haec positio facile daret locum tollendi omnem justitiam inhaerentem. Si enim supplet aliquos defectus ejus, quare non omnes, quum omnes gradus ejus sint ejusdem rationis? Quod si omnes supplet, redibit positio Origenis, imo Machometi dicentis, etiam malos salvandos esse in judicio. Nam per justitiam imputatam damnati, licet non habeant inhaerentem, salvandi esse dicerentur in judicio.

9. Octava ratio sit: Quia si imputata gratia suppleret defectus inhaerentes, clarum, quod ultra vires inhaerentes tenderet, eam supplendo. Non esset igitur ratio diversarum mansionum, sed omnes pares essent in gloria.

Nec video hic solutionem, si non dicatur, quod gloria datur juxta vires inhaerentes, non quidem ad merendum, quia ad id non sufficit, sed ad disponendum ad gloriam; sicut de charitate dicimus, quod ei, qui justificatur, datur charitas juxta dispositionem fidei, sed non juxta ejus me-

[1] II. Cor. 5, 10.

[2] *Non* deest apud Mass.

Digitized by Google

ritum. Sed haec responsio id habet incommodi, quod si tantum justitia inhaerens ponitur ad disponendum ad gloriam, viderentur sine charitate sufficere illae dispositiones, quae sufficiunt ad charitatem; quia charitas viae et patriae ejusdem est speciei in diversis, et ejusdem numeri in eodem, juxta Paulum: „Charitas nunquam excidit.“[1]

Dispositiones autem specie differunt a forma illa, ad quam disponunt, ut calor et siccitas a forma ignis. Sine charitate igitur esset quis gloriae capax, quod est absurdum.

10. Nona ratio sit: Quia abutitur ista positio Christo vero et lege gratiae, dum eum quasi Mosem facit, et gratiam quasi legem. Ut enim Moses et lex peccatum ostendebant et[2] debitum innocentiae praestandae, ut homo, videns se non posse liberari a peccato, nec innocentiam praestare, nec legi satisfacere, relicta fiducia legis et sui, confugeret ad Christum, sine quo sub aeterno maledicto vivebat: ita isti dicunt, Christi merita nobis per inhaerentem gratiam applicata non sufficere, ut secundum illum gloriam consequamur; quin imo nec purgatorio nos dignos esse. Fit igitur, ut simus secundum hos sub aeterno maledicto, nisi a Christo et ejus gratia ad Christum imputatum et fidem confugiamus.

Decima ratio est, quia ista positio tyrannico quodam et ficto terrore cogit nos, ut eam amplectamur, objiciens nostram maculatam vitam et nostros defectus (qui, quamquam maximi in nobis sint, ut demonstratum est, non tollunt merita, nec egent justitia de novo imputata) ita ut semel acceptata hac opinione evacuetur omnis verus timor, deturque ansa peccatori, ne a peccato resurgat, imperfecto vero, ne in via Dei proficiat, dum utrique proponitur imputata ista nova justitia, omnes defectus supplens; quasi quis deciperet agricolam, ne seminaret vel coleret terram sub vana spe tempore messis metendi, licet ante non laboraverit.

11. Undecima ratio sit: Quia haec positio habet hoc latens venenum, quod eam praedicantes ajunt, per hanc imputatam justitiam fieri, ut reprobi mereri non possint,

[1] I. Cor. 13, 8. [2] Mass. *ad.*

Digitized by Google

et praedestinatis non imputentur peccata, quum utrumque falsum sit et periculosum.

Falsum quidem, quia scriptura et patres asserunt, etiam reprobos, dum sunt in gratia, mereri. Dicitur enim ad Cain: „Nonne si bene egeris, recipies?“[1] et universaliter ait scriptura: „Si filii et haeredes;“[2] et de gratia dicitur, quod est „fons aquae salientis in vitam aeternam.“[3] Quum igitur reprobi filii interdum sint, et quandoque gratiam habeant, absque dubio merebuntur. David etiam praedestinatus erat, et tamen ejus peccatum vehementer displicuit coram Domino; qui etiam Job praedestinatum et socios ejus de peccato reprehendit. Imo in Ezechiele dicitur universaliter, quod „si conversus justus a justitia sua fuerit, non erunt in memoria justitiae ejus.“[4] Et David ait: „Odisti omnes operantes iniquitatem,“[5] et Paulus: „Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus . . non habet haereditatem in regno Christi et Dei.“[6] Odio enim sunt Deo impius et impietas ejus, quicunque ille sit, et Deus non odit etiam reprobos propter naturam, sed propter peccatum, quod odibile est, ubicunque est, et in illo decedenti debetur poena.

Periculosum etiam est, quia persuasi ab eisdem magistris, imo a se ipsis, quod vel sunt reprobi, vel praedestinati, facile, admissa hac opinione, possunt negligere omnia bona aeque et mala opera sub praetextu, quod vel mala non imputabuntur eis, si praedestinati sunt, vel bona non eos juvabunt, si reprobi.

Duodecima et ultima ratio sit: Quod ultra novitatem positionis et ignobilitatem auctoris primi, qui fuit Lutherus, ut alii notarunt, varietatem habet multam in se et obscuritatem et pugnantiam. Nunc enim dicunt duas esse justitias formales et essentiales; nunc, justitiam Christi esse formalem causam solius remissionis peccatorum; nunc, esse tantum formam extrinsecam, et tandem

[1] Gen. 4, 7.
[2] Rom. 8, 17.
[3] Joh. 4, 14.
[4] Ezech. 3, 20.
[5] Ps. 5, 7.
[6] Eph. 5, 5.

Digitized by Google

nullo modo formam; nunc ita loquuntur, quasi in judicio debeat esse nova suppletio et novum meritum, thronumque misericordiae faciunt mancum, quia non invenitur hic tanta gratia, ut mereri possimus vitam aeternam. Peccat etiam in thronum justitiae, dum eum thronum misericordiae facit. Pugnare demum videtur quod ait, imputatam justitiam supplere defectus justitiae inhaerentis, et fieri tantum imputationem secundum justitiam inhaerentem.

Ob has igitur et similes rationes positio haec excludenda videtur. Et haec de secundo.

Cap. III. Expenduntur rationum momenta ab adversariis in concilio prolata.

12. Quoad tertium satisfaciendum est objectis, quae ad confirmationem impugnatae positionis afferri possunt.

Quorum primum sit: Paulus ait, Deum non imputare delicta nostra[1]; et, reputari fidem ad justitiam.[2] Et de Phinees ait David: „Et stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio, et reputatum est ei in justitiam in generationem et generationem usque in sempiternum;“[3] ubi videtur, quod in opere charitatis est locus[4] imputationi. Quod etiam de Abraham videtur, de quo dicitur: „In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide . . plenissime sciens, quia quaecunque promisit, potens est et facere; ideo et reputatum est illi ad justitiam;“[5] ubi de repromissione, facta tempore immolationis Isaac, quando jam Abraham erat justificatus, videtur esse sermo. Quod expressius Jacobus commendat dicens tunc impletam scripturam: „Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.“[6] Quum ergo scriptura ponat justitiam imputatam, non est a nobis tollenda.

[1] Rom. 4. 8: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.
[2] Rom. 4, 5: Reputatur fides ejus ad justitiam.
[3] Psalm. 105. 30. 31.
[4] Mass. *laus*.
[5] Rom. 4, 20–22.
[6] Jacob. 2. 23.

Digitized by Google

Respondetur, quod circa imputatam justitiam quaestio potest esse de re seu sensu vocis, et de nomine. Si de re et sensu loquamur, fatemur, quod scriptura ponit imputatam justitiam, sed tunc tantum, quando justificamur sive per baptismum sive per poenitentiam; modo intelligamus, per hanc imputationem meritorum Christi nobis revera infundi inhaerentem justitiam, et secundum illam praecise nobis imputari justitiam Christi. Habet etiam locum imputatio, ubi condonatur nobis poena temporalis, sive per claves, sive per indulgentias; et ad hoc non opus est infundi novam justitiam, sed tolli debitum poenae; quod sola voluntate Dei fieri potest, acceptantis ad id justitiam Christi in se vel in suis sanctis; et tunc etiam justitia Christi seu sancti fit nostra quoad istum tantum effectum, cujus sumus capaces ob inhaerentem justitiam. Demum habet locum imputatio, ubi licet opus ex charitate prodiret, non mereretur tamen aliquid, quod, habendo aliquem respectum ad illud opus, nobis donaretur, ut videbitur; semper tamen, ubi invenitur imputatio, non reperitur proprie meritum.

13. Ut igitur ad istum sensum admittenda est justitia imputata, ita repudianda est, quoties invenitur ratio meriti, quo quis mereatur vel ampliorem justitiam hic, vel gloriam in futuro saeculo. Et quia coram tribunali Christi habet meritum justus, nunquam scriptura ibi posuit imputationem; quum e contrario ibi retributionem secundum opera fieri dicat a Deo, qui non est injustus, ut obliviscatur operis nostri. Vox vero justitiae imputatae, quia expresse non invenitur in sacris literis, et quia haeretici ea abutuntur, vel tollentes ob id justitiam inhaerentem, vel ultra illam, quam insufficientem faciunt, prodesse imputatam dicentes, idque in judicio, non esset absonum ab ea abstinere, quanquam non contenderim ad bonum sensum jam datum vocem non posse admitti, modo caveantur technae haereticorum.

Et per hoc patet responsio ad primum argumentum. Licet enim Paulus dicat, non imputari delicta, et reputari fidem ad justitiam, non ob id admittit vocem justitiae

Digitized by Google

imputatae, nec rem, quam per eam haeretici intelligunt: sed sensum pium jam explicatum. Ad ea autem, quae adducuntur de Phinees, dicendum, quod constat, quare sit locus imputationi, nempe quia ibi non est sermo de merito gloriae suae pro se, sed de cessatione plagae populo inferendae et de sacerdotio temporali sibi et suis posteris obtinendo; ad quae quia ex communi Dei ordinatione non acceptantur opera charitatis (alioquin omnes justi affluere deberent temporalibus, et aliis illa mereri; quod experientia monstrat falsum) quum similia bona obtinent, ex imputatione fit. De Abraham vero dicitur, quia juxta multos doctores consideratur ut typus eorum, qui primo justificantur; imo illi assimilantur, qui primo credunt; de quibus ibi apostolus: „Non est scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam, sed et propter nos, quibus reputabitur, credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum.“[1] Hi enim, qui fide justificantur, primo Christum intrant, qui similes dicuntur Abrahae. Nec quod dicitur de repromissione, movet; tum quia graece habetur promissio; tum etiam, quia, quum credidit promissioni (Genes. XV.) jam habuerat promissionem in terra sua (Gen. XII.), ideo ista secunda repromissio dici potest; tum demum quia, licet demus intelligi de Abraham jam justificato et immolante filium, habebit locum imputatio vel ob naturam nudam, cui data gratia[2] comparatur, vel quia forsan majora dona sunt collata, quam exigebat illa, quam tunc habebat gratia, inter quae dona summum est Messiae adventus ex semine suo; vel quia promissa sunt ei temporalia, quae opera ex gratia ex se ordinarie non merentur, quia non sunt ad id a Deo ordinata. Ad Jacobum autem dici potest, quod tunc impleta est illa scriptura, quando defectus, qui erat in re per eam significata, nempe injustitia Abrahae, est ablatus; quod tunc fuit, quando ablata est imputatio, illo jam justificato et praemium merente. Sicut enim lex quoad caeremonias simul impleta et ablata est, ita etiam hic tunc impleta est reputatio, quando fuit ablata.

[1] Rom. 4, 23. 24.

[2] Mass. *data est gratia.*

Digitized by Google

14. Secundum argumentum fit ex aliquibus scripturis, quae praeter adductas et solutas ab aliis occurrunt; qualis primo est illa: „Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die;“[1] et: „Qui coronat te in misericordia et miserationibus.“[2] Et Dominus murmurantibus, quod dedisset denarium etiam his, qui venerant sero ad laborandum in vinea, pares illos sibi faciens, respondet: „Aut non licet mihi, quod volo, facere?“[3] quasi ex misericordi voluntate tantum praemii praestiterit non merentibus. Christus etiam apostolos in gratia existentes comparat servo, cui post servitium dominum ait non habiturum illi gratiam.[4] De divite etiam, qui servaverat mandata, quia a Domino dilectus, ait Christus, quod unum illi deest, et quod impossibile est, divitem intrare regnum coelorum,[5] si impossibilia homini a Deo possibilia non fiunt.

15. Sed ut haec et similia resolvantur, advertenda sunt duo.

Primum est, quod gloria ipsa nonnunquam comparatur ipsi naturae nudae, ut cognoscamus quid habemus, et quid possumus ex nobis; et tunc gratia dicitur et misericordia. Imo major est gratia et misericordia, quam ipsa charitas primo nos justificans, sicut arbor major est ipso semine. Nonnunquam autem comparatur ipsi naturae jam adoptatae et certanti legitime; et tunc dicitur merces, retributio et justitiae corona et similia. Et juxta primam comparationem dicimur invenire misericordiam in die judicii et consequi donum; sed in hac vita nobis datur, ut eam mereamur et inveniamus, dum efficimur justitiae participes.

Secundum est, quod gloria non dicitur reddi, vel praemiare substantiam nostrorum operum, quae omnino superat; sed praemiat illa, quae ex gratia et divina acceptatione prodeunt, quia juste acceptantur ad majus praemium opera magis gratiosa, licet minus laboriosa.

[1] II. Tim 1, 18.
[2] Psalm. 102, 4.
[3] Mat. 20, 15.
[4] Luc. 17, 7—10.
[5] Mat. 19, 17 ss.; Luc. 18, 18 ss.; Marc. 10, 17 ss.

Digitized by Google

16. Et per hoc solvitur quod de Domini responso est adductum. Reddit enim denarium, quia vult; sed vult acceptare opera minus laborantium, quia magis sibi gratorum ad majus praemium, quod tamen operibus ita consideratis non donatur sed redditur. Ideo etiam illis ultima hora conductis ad vineam dicitur juxta graecam veritatem: „Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis.“[1] Habet ergo locum voluntas in libera acceptatione et gratificatione hominis, et justitia habet locum in ejus ita acceptati et gratificati praemio.

Demum quod de servo dicitur, solvitur; quia, reddita opera, Dominus mutat comparationem, quia post id, „numquid gratiam habebit dominus servo illi?“ quum esset dicturus: Ita et ego non habeo vobis gratiam — non hoc ait, sed „Sic et vos quum feceritis . . omnia dicite: Servi inutiles sumus;“[2] innuens, se habiturum quidem gratiam, sed expedire suis, ut secundum naturam suam se inutiles ad merendum gloriam sciant, licet ex Dei gratia facti sint vasa sanctificata et Domino utilia.

Quod adolescenti ultimo dicitur: „Unum tibi deest,“ non ad gloriam intelligendum est deesse, quia ad eum Dominus dixerat, sufficere mandatorum observantiam sine omnium venditione; sed de perfectione est sermo, ad quam venditio deerat et sequela. Si juvenis jam servasset mandata, ut Dominus, doctrinae gratia, supponit (licet verum non esset; nec enim illud probat dilectio Christi, quam narrat s. Marcus,[3] quia diligit peccatores etiam Dominus) — quia[4] igitur non servaverat mandata ob affectum ad divitias, quem ex tristitia ostendit, ideo Dominus de similibus divitibus ait, impossibile esse intrare in regnum coelorum, sicut impossibile est ita affectos servare mandata. Deus autem id possibile reddit, dum renovat hominem ad hoc, ut mandata impleat; quibus impletis, sine imputatione salvatur.

[1] Mat. 20. 4. [2] Luc. 17, 10.
[3] Marc. 10, 21.
[4] Tam. Mass. quam Trid. I. et II. defectuosum hunc textum exhibent.

Digitized by Google

17. Tertium argumentum fit a doctoribus Augustino, Bernardo et aliis antiquis et modernis, qui nonnunquam dicunt, se infernum mereri, et reos esse coram Dei judicio, et suppleri defectus suorum operum ex Christi visceribus et Dei misericordia.

Respondetur, quod si sancti nonnunquam negant se mereri gloriam, et asserunt se mereri infernum, hoc est, considerando se ipsos secundum naturam suam, seu secundum pacta, quae Deus justissime potuisset facere. Secundum enim has consideraciones revera servi inutiles sumus, et bonum est nobis, quod in his exerceamur, ut scientes, quantum Deo debemus, majorem ei exhibeamus reverentiam et ardentiorem charitatem. Ideo juxta hanc considerationem et institutionem ecclesiae sic ait sacerdos, quantumvis sanctus Domino: „Non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte."[1] Considerando autem se ipsos, ut membra sunt Christi, et participes gratiae Dei, et considerando pactum, quod misericorditer in Christo nobiscum pepigit Deus, et secundum quod debemus in judicio judicari, procul dubio sancti non negarunt merita, quae omnes et perpetuo fatentur, etiam dum contra Pelagianos agunt.

Fatemur etiam, eos petere, ut suppleantur sui defectus per justitiam Christi, sed hic in via, et non in termino et coram tribunali, ubi perpetuo statuunt judicium futurum secundum opera. Ideo si aliquis inveniretur hoc negans, vel petens suppleri sibi justitiam, respondendum esset ei, quod Augustinus Pelagianis citantibus pro se Chrysostomum respondit. Convertens enim se ad illum ita ad verbum ait:[2] „Quanquam si verum esset, quod dicunt, et ut

[1] In oratione canonis missae *Nobis quoque peccatoribus* post consecrationem.

[2] Contra Julian. l. 1. c. 23; Migne P. L 44, 655. Sed verba s. doctoris accuratius ita sonant: ..Quod si vere tale aliquid invenisset (Julianus), et quod ipse sentit, te sentire claruisset, nunquam te unum. pace tua dixerim, tot et talibus praeferre in ea causa possemus, de qua nunquam fides christiana et ecclesia catholica variavit. Sed absit, ut tu aliud saperes, et in ea tam praecipuus emineres."

Digitized by Google

ajunt, te sentire, sentires, nunquam tamen, tua pace dixerim, propter te unum a tot et tantis dissiderem, in re praesertim, de qua nunquam catholica dubitavit ecclesia; sed absit, ut tu aliter saperes, et in ea tam praecipuus emineres."

Quum igitur de hac re, nempe quod hic est impetranda misericordia, et quod coram tribunali justitia Dei habitura sit suum locum, catholica ecclesia nunquam dubitaverit, absit, ut eminentes et catholici doctores contrarium[1] sentiant.

18. Et ideo quod Bernardus serm. primo de Annuntiatione ait: „Necesse est credere, quod aeternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur", et infra: „Nec enim talia sunt hominum merita, ut propterea vita aeterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret," ita intelligitur, quod, secluso misericordiae pacto, verum esset nullum esse meritum. Ideo subdit: „Nam ut taceam, quod merita omnia dona Dei sunt; et ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quam Deus homini; quid sunt merita omnia ad tantam gloriam?"[2] Ubi manifestum est, quod diximus. Considerare enim, merita esse dona, vel gloriam esse magnam, extra pactum jam factum est, quo Deus disposuit sua dona coronare sublimi gloriae corona. Et juxta eandem considerationem, qua consideramus pactum rigorosius, serm. 68. super Cant. idem Bernardus ait:[3] „Sufficit ad meritum (nempe juxta benignum pactum meritum intelligendo) scire, quod non sufficiant merita (nempe si expenderentur secundum aliud judicium et pactum); de quo David: Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu"[4] etc. Nam ad alium sensum catholicum Bernardus saepe merita fatetur. Ait enim homil. 4. super Missus est: „Vult a se requiri Deus etiam, quod pollicetur, et ideo forte multa, quae dare disposuit, prius pollicetur, ut ex

[1] Mass. *controversiam*.
[2] Cap. 2. Migne P. L. 183 383.
[3] Cap. 6. Migne l. c. 1111.
[4] Psalm. 142. 2.

Digitized by Google

promissione devotio excitetur, sicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Sic pius dominus, qui omnes homines vult salvos fieri, merita nobis extorquet a nobis, et dum nos praevenit tribuendo quod retribuat, gratis agit, ne gratis tribuat."[1] Et in libro de libero arbitrio tractans verba illa Pauli: „Potens est depositum meum servare,"[2] ait: „Dei promissum suum appellat depositum; et quia credidit promittenti, fidenter promissum repetit; promissum quidem ex misericordia, sed jam ex justitia persolvendum."[3] Et super illud: „Dei enim sumus adjutores,"[4] ait: „Itaque Deus homini benigne merita constituit, ubi per ipsum et cum ipso boni quidpiam operari dignanter instituit. Hinc coadjutores Dei cooperatores Spiritus Sancti, promeritores regni nos esse praesumimus."[5]

19. Unde nec debet morari auctoritas Augustini in manuali dicens: „Murmuret, quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu? et quanta est gloria illa? quibusve meritis illam obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo, scio cui credidi, quia in charitate nimia adoptavit me in filium, quia verax est in promissione, potens in exhibitione, et licet ei facere quod vult; non possum terreri multitudine peccatorum, si mors Domini in mentem venerit.[6] . . Tota spes mea est in morte Domini mei: Mors ejus meritum meum, refugium meum, salus, vita et resurrectio mea. Meritum meum miseratio Domini. Non sum meriti inops, quamdiu ille miserationum oblitus non fuerit. Et si misericordiae Domini multae, multus ego in meritis. Quanto ille potentior est ad salvandum, tanto ego securior."[7] Haec ille, qui merita negare videtur, quum ea solum morti Christi tribuit. Sed

[1] Cap. 11. Migne l. c. 86. [2] II. Tim. 1, 12.
[3] De gratia et libero arbitrio cap. 14. n. 51. Migne 182, 1030.
[4] I. Cor. 3, 9.
[5] De gratia etc. cap. 13. n. 45. Migne 1026.
[6] In Manuali, quod falso Augustino attribuitur, cap. 23. Migne P. L. 40, 961.
[7] Haec verba in cap. citato praecedunt locum antea allegatum.

Digitized by Google

revera tantum negat merita nostra quasi ex nobis. Ideo ait: Quis enim es tu? et quanta est gloria illa? quibusnam meritis illam obtinere speras? Merita autem ex passione Christi et adoptione in filium et veraci ejus promissione potius hic asserit. Ideo, quod ait, mors ejus meritum meum, seu meritum meum miseratio Domini, non est accipiendum, quasi ita velit statuere merita in ipso Christo, ut neget illa in membris suis; sed ut merita Christi et miserationes ejus causam statuat nostrorum meritorum. Causalis enim est illa propositio: Mors ejus meritum meum est, vel: Meritum meum miseratio Domini; id est causa meriti mei; et non formalis, nec enim formaliter merita Christi sunt merita mea (sic enim ego aeque et Christus mererer); miseratio etiam Domini multo minus dici potest meritum meum formaliter, quia miseratio Domini est ipsa divinitas, quae nec mereri potest, nec esse meritum, quod ex se actio est finita.

20. Per haec etiam solvi potest ecclesiae auctoritas orantis: „Ut, quod nostris meritis non valemus, ejus (sancti) patrocinio assequamur.“[1] Non enim est intentio ecclesiae, negare merita, quum saepe per merita sanctorum (quae utique in via habuere, et non in patria) se postulet exaudiri; sed mens ejus est, vel postulare gratias peccatoribus, quas non merentur; vel si pro justis orat, aliqua petit, quae etiam ipsi justi non merentur; ideo indigent auxilio sanctorum ad illa impetranda.

21. Quartum argumentum fit ex doctoribus scholasticis, qui communiter asserunt, Deum praemiare ultra condignum; non ergo meremur illud praemium, quod ultra merita est, sed per imputationem nobis datur.

Respondetur: Scholasticos doctores non intelligere, nos praemiari ultra condignum, ita ut super pactum et acceptationem Dei aliquid praemii donetur; nam id jam non haberet rationem praemii, sed doni. Per eum ergo loquendi modum significant nobis liberalitatem pacti Dei et

[1] Ex gr. in orationibus de communi ad sanctos abbates: *Intercessio quaesumus* etc.

Digitized by Google

vim gratiae ejus, ob quae Deus reddit mensuram bonam, confertam, coagitatam et superfluentem in sinum beatorum; juxta evangelium, ubi videmus, illam, licet exundantem mensuram, reddi, hoc est ex justitia concedi, et non pure donari.

22. Quintum argumentum: Ponentes justitiam imputatam magis videntur laudare Christi meritum et nos ipsos humiliare; ergo positio illa verior est. Et de humilitate nostra ex eo patet, quia videmur nostram justitiam constituere, et Dei justitiae non subjici, si imputatam despicimus justitiam. Praesumptuosum etiam videtur dicere, quod coram tribunali non egeat homo Christi justitia et misericordia; quum potius contra videatur, quod humilis dicere debeat: Miserere mei, Deus. De Christi vero laude ex eo constat, quia ejus meritum ampliatur, dum dicitur, quod meruit nobis et inhaerentem et imputatam, quam si solam meruisset inhaerentem; major etiam ejus est laus, si nihil debens misericorditer donet, quam si debitor reddat.

Respondetur negando utrumque argumenti assumptum. Primo enim non est major humilitas; quia si laudamus justitiam inhaerentem, laudamus donum Dei sanguine Christi emptum, et per quod Deo subjicimur, qui per fidem et charitatem in nobis regnat; et id laudando simul laudamus imputatam justitiam Christi, ad verum et pium sensum intellectam, quia per illam nobis est donatum; et contemnens fructum contemneret radicem, quae fructum efficit et conservat. Sic enim justitia Christi increata effectrix et conservatrix est nostrae justitiae; creata vero illam nobis meruit et ejus conservationem. Nec video quomodo sit locus praesumptioni tenentibus hanc opinionem; quia cum aliis convenimus in hoc, quod ex nobis quasi ex nobis nihil possumus vel sumus; et ita magnificamus naturam, scilicet Dei donum, quod est humilitatis. Nec dicimus, nos sine justitia Christi audere comparere coram tribunali ejus, sed illa potius indutos, nobis inhaerente. Ideo non negatur justitia Christi vel ejus applicatio, sed ficta et nova imputatio. Negamus etiam, quod sit majus

Digitized by Google

meritum, mereri nobis inhaerentem et isto modo imputatam justitiam, quam solum inhaerentem; quia Christum mereri imputatam justitiam non est aliud, quam mereri, ut nobis donetur gloria, ac per hoc non mereri nobis, ut eam mereamur. Dum autem meretur nobis inhaerentem, meretur nobis gloriam, ut opposita opinio dicit, et simul meretur, ut illam mereamur. Nec verum est, minoris esse laudis, debitorem reddere, quam non debentem donare; quoniam debens ex misericordia et gratia sponte[1] se constituit debitorem, quod fecit Christus.

23. Sextum argumentum est, quod Christus interpellat pro nobis; ergo frustra fieret illa interpellatio, si ob eam in judicio non fieret nova misericordia.

Respondetur, quod Christus eatenus interpellat, qua pontifex est, ut Paulus ait, „semper vivens ad interpellandum pro nobis.“[2] Pontificatus autem non juvat aliquem ad meritum, nisi quamdiu in via est, quia beatus non eget pontifice vel ad meritum, vel ad defectus supplendos, quum nec mereri possit nec defectus habeat, et per se ipsum accedat ad Deum. Durat ergo officium pontificatus Christi respectu totius mundi usque ad diem judicii universalis; respectu autem cujusvis usque ad ejus beatitudinem; ita tamen prodest, ut non praejudicet potestati judicium faciendi. Et ita de oratione dicendum est, quae quidem prodest, ut quamdiu vivimus, remittantur peccata et donentur gratiae. In judicio autem particulari prodesse potest, ut omnino vel in parte remittatur poena temporalis debita peccato. Sed noluit[3] Christus, ut citra privilegium prodesset ad hoc, quod homo, qui non merebatur gloriam, illam obtineat; vel ad hoc, quod supra merita praemietur. Et hoc erat opus probare ad statuendam justitiam imputatam, quam privilegium, quod alicui fit vi orationis Christi, non statuet. Nec enim oratio Christi magis valet, quam ejus passio, cujus vi non fit, ut coram tribunali donetur gloria, sed fit, ut illam quis mereri pos-

[1] Loco *sponte* Mass.: *se ante*, quod sensu caret.
[2] Hebr. 7, 25. [3] Trid. 1. *voluit*.

Digitized by Google

sit quasi coronam justitiae. Et ita de oratione Christi est dicendum.

24. Et per hoc solvi potest, quod aliqui asserunt, prodesse Christi passionem in oratione a nobis oblata Patri, ad remissionem obtinendam et merita supplenda; ita quod, sicut Domino offerre possumus, quae operamur vel patimur ad ejus gloriam, ita offerre possumus in oratione, quae Christus pro nobis et fecit et pertulit; ita ut nobis novo quodam modo imputentur ita oblata. Respondetur enim, quod in die judicii particularis vel universalis non proderit aliquo pacto ista oblatio, quia passio Christi, quoad effectum remissionis culpae vel nostri meriti, tantum in via nobis applicatur; quamdiu autem hic sumus, prodest quidem oblatio haec, sed non ex opere, quod vocant, operato, sed tantum, quantum valet opus operantis, hoc est juxta fidem vel affectum offerentis; ita quod sicut jejunium et oratio mea prodest quidem mihi vi passionis Christi, sed tantum juxta fidem et affectum meum, ita ista oblatio, quum nullum habeat pactum, quod solum habent sacramenta, non plus valebit, quam radix fidei et affectus, unde prodit, merentur; et ita non plus supplet defectus meritorum, quam alia opera bona, hoc est, ut diximus, non ex opere operato, seu ex vi pacti, sed ex vi operis operantis.

25. Septimum argumentum: Gloria seu beatitudo infinita est. Atqui justitia inhaerens est finita. Quum igitur finiti ad infinitum nulla sit proportio, non poterimus per inhaerentem mereri beatitudinem, sed opus erit justitia imputata supplente ejus defectus.

Respondetur, quod sicut beatitudo duplex est, altera formalis, quae est visio et fruitio divina (et haec finita est, quia operatio creaturae ex finito lumine gloriae prodiens), altera vero objectiva, quae est ipse Deus, quem vident, et quo fruuntur beati, (et haec est infinita): ita etiam est justitia formalis in nobis, quae est fides, spes et charitas, et est finita; est etiam objectiva quaedam justitia, et haec est ipse Christus, quem fide et spe et charitate concipimus. Non enim Christus solum est justitia nostra, quia (ut dictum est) ejus est causa efficiens et conservans,

Digitized by Google

sed quia est objectum nostrae justitiae, et in nobis per fidem, spem et charitatem est, sicut cognitum est in cognoscente, et amatum in amante.[1] Si ergo recta debet fieri comparatio, conferri debet ipsa justitia objectiva ipsi beatitudini objectivae; et tunc non erit disproportio, quia eadem erit justitia. Formalis etiam conferri debet formali, et tunc, licet justitia minor sit ipsa beatitudine, non est tamen sine proportione ad illam, ut ait s. Thomas, quia a Spiritu Sancto et Christo, qui illa ut instrumento utuntur, vim habet, ut sese in beatitudinem extollat, ut semen in arborem. Unde et dilectus apostolus gratiam semini comparat, dicens: „Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.“[2]

26. Octavum simile argumentum sit: Justitia inhaerens est tantum signum, et quasi vestis quaedam, quae non faceret dignum aliquo praemio, nisi ex acceptatione et mero pacto regis; sine quo etiam habens illam indignus esset praemio proposito, et etiam cum pacto ea carens, dignus. Ex se igitur justitia inhaerens non sufficit ad meritum, sed imputatione supplente ejus defectus est opus.

Respondetur, fatendum esse gratiam seu justitiam inhaerentem signum esse, quum scriptum sit: „In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto;“[3] unde et vesti nuptiali comparatur, et stolae primae. Sed non puto, quod fatendum sit, esse merum ac nudum signum. Non enim possum intelligere, quomodo nudo signo tribuantur illa, quae tanquam formae tribuuntur in scriptura. Dicitur enim, quod est maximum et pretiosum promissum juxta illud: Qui „nobis maxima et pretiosa promissa donavit.“[4] Dicitur, quod remittat peccata: „Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.“[5] Dicitur etiam, quod sine hac nihil sumus, et cum hac filii Dei sumus, et consortes naturae divinae efficimur, sicut scribit s. Paulus:

[1] Mass. *amato*. [2] I. Joh. 3, 9. [3] Eph. 1, 13.
[4] II. Pet. 1, 4. [5] Luc. 7, 47.

Digitized by Google

„Si charitatem non habuero, nihil sum;“[1] et rursus: „Gratia Dei sum id quod sum;“[2] et iterum: „Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.“[3] Dicitur etiam, quod faciat novam creaturam et novum hominem, secundum illud: „In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura.“[4] Nova autem creatura fit per fidem, quae per dilectionem operatur. Dicitur denique, quod facit fructificare in vitam aeternam, ut ait Dominus: „Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum;“[5] juxta dilectum autem (scilicet Joan.): „Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.“[6] Quae omnia non video, quomodo nudum signum facere posset. Est ergo signum charitas, sed efficax, sicut ipse Spiritus Sanctus signum et arrhabo et pignus dicitur, quia in eo consignamur, et arrham gloriae accipimus; non tamen est ineffícax, sed efficacissimum signum.

Fateor tamen, difficile esse intelligere, quomodo qualitas quaedam creata tam efficax sit. Non enim puto sufficere ad efficaciam tantam, quod quidam ajunt, nempe ob id esse, quia in illa qualitate est justitia Christi ut efficiens et conservans, ut sol in suis radiis. Hoc enim modo nuda fides vel dispositiones, quae sunt ante gratiam, ad dicta sufficerent, quia a Christi justitia et efficiuntur et conservantur. Ergo praeter hanc efficientiam et conservationem oportet ponere pretium et valorem et vim in ipso dono conservato et effecto. Ut enim Deus, qua[7] creator est, diversas creaturas condidit, et inter illas aliquas nobiliores et pretiosiores, ita, qua recreator[8], diversa dona infundit; inter quae potissimum et efficacissimum est charitas, quae non est comparanda aliis vel creaturis vel qualitatibus, quia altioris et divinioris est ordinis, et quasi ex deitate, quae ignis est, prodiens scintilla, ita excellens alias inferiores naturas, sicut pretiosa pictura excellit vilem tabel-

[1] I. Cor. 13, 2.
[2] I. Cor. 15, 10.
[3] Joh 1, 12.
[4] Gal. 6, 15.
[5] Joh. 15, 5.
[6] I. Joh. 4. 15.
[7] Mass. *qui*.
[8] Trid. I. et II. *creator*.

Digitized by Google

lam, in qua est. Quae si non plene possumus intelligere, debemus credere ob scripturas, tam magnifice de hoc dono praedicantes. Quae tamen ita intelligenda sunt, tribui charitati, ut cognoscatur non agens principale, sed pretiosum et electum instrumentum, quo Spiritus Sanctus utatur ad haec efficienda. Et ideo vis principalis principali agenti est tribuenda, a quo instrumentum habet efficaciam. Ita tamen fatendum est, justitiam inhaerentem instrumentum respectu Dei esse, ut respectu nostri sit vera forma. Sic enim quae sunt formae causarum secundarum respectu primae instrumenta dici possunt, quia illis utitur ad effectus istos producendos.

28. Quae si vera sunt, non ita puto sejungendum esse pactum, seu acceptationem Dei ab ipsa forma charitatis, sicut a veste sejungeretur pactum[1] jam dicti regis; quia nemo est gratiae particeps, qui non participet pactum; nemo etiam particeps est pacti, qui non habeat gratiam. Dicerem ergo sub melius sentientis censura, quod, sicut in creatione dicitur: „Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt, statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi, praeceptum posuit et non praeteribit,“[2] ubi videmus praecepto et statuto Dei omnia creata esse et conservari et suos effectus producere (hoc autem praeceptum ex parte Dei est ipsemet Deus, practice intelligens et volens haec producere et gubernare; sed quia efficax est suum intelligere et velle, in ipsis rebus producit formas, quibus ista, quae effici vult, non nude significentur, sed fiant. Et secundum hoc dicitur in Jeremia pactum fecisse inter diem et noctem,[3] quia dedit hanc naturam coelis et terrae, ut ex illorum motu et luce, et istius interpositione dies et nox causaretur) — ita etiam in recreatione et renovatione creaturae pactum et acceptatio ex parte Dei dicit intellectum et voluntatem volentem propter Christum renovare creaturam. Sed efficax est Dei voluntas, producit in nobis formas, quibus ista renovatio fiat, et in ipsis formis continetur ipsum pactum, quod ad

[1] In Trid. I. et II. deest *seu — pactum*.
[2] Psalm. 148, 6. [3] Jerem. 33, 20.

Digitized by Google

nos attinet, et ipsa acceptatio. Nec enim Deus acceptat naturam, qua sub peccato est, vel in se ima, sed qua illam videt et vult sub gratia sua constitutam; sicut pictor non acceptat vilem tabellam, qua immunda vel vilis est, sed qua eam considerat picturam (quam ipse re ipsa superinducere decernit) in mente sua ornatam; hoc est, prius videt tabellam picturam fore, si depingatur, et eam mente pictam habet, et ita in mente sua depictam acceptat, deinde exterius depingit. Atque ita Deus prius habet ideam adoptatae creaturae, et deinde eam re adoptat, quae propter adoptionem sibi in mente placuit, et rem postea in se ipsa gratam habet.

29. Nonum argumentum: Homo non potest satisfacere ipsi Deo; quia ad satisfactionem opus est, ut quis reddat aequivalens, quod alias non debebat; atqui homo, etiam seclusa reparatione et gloria, ratione creationis et conservationis debet Deo, quidquid est et potest, quia servus et possessio est Domini, et ideo ei tenetur fructificare et post fructum dicere: Servus inutilis sum; quinimo ob ipsum fructum et ipsa opera redditur magis obnoxius Deo, quia dona et beneficia Dei sunt. Sic igitur non potest mereri, quia ad meritum, ultra hoc quod reddimus quod debemus vel[1] aequivalens, opus est, ut constituamus eum, apud quem meremur, debitorem; quum ergo mereri et satisfacere non possimus, opus erit justitia imputata.

Respondetur, quod considerationes adductae in hoc argumento, licet in parte sint verae, et ob id a doctoribus consideratae, speculative et a sanctis ad praxim reductae sint; tamen extra propositum quaestionis sunt. Nam quaestio quaerit id, quod fiet in judicio, ubi judicabimur secundum pactum, quod nobiscum inivit Deus in Christo et ejus gratia, et non secundum pactum, quod facere potuisset, considerando ea, quae dicta sunt in argumento. Quaestio rursus quaerit, an mereamur, accepto vocabulo meriti, ut eo usi sunt s. patres et scripturae, et non eo sensu, quem possumus fingere. Fatemur igitur quod non possumus satisfacere Deo judici secluso pacto, quod fecit, sed eo admisso, cum ejus

[1] Verba *mereri* usque ad *vel* desunt apud Mass.

Digitized by Google

gratia satisfacere possumus Deo jam patri. Quia licet potuisset nos obligare ad omnia opera bona, non tamen id fecit, sed reliquit nobis quaedam opera libera, in quibus supererogando possemus satisfacere; quod negare esset error. Nec enim tenemur ad quotidie jejunandum vel semper orandum vel ad omnes eleemosynas, quas possumus, faciendas, sicut nec ad strictam paupertatem, castitatem et obedientiam, quas consulit, et non praecipit Dominus. Opera etiam ad quae tenemur, considerari possunt, qua a radice charitatis prodeunt, sive sint dulcia, sive laboriosa; et hoc modo voluit Deus, ut per illa mereremur. Possunt etiam considerari, qua ab eadem charitate prodeunt et laboriosa sunt; et hoc modo satisfaciunt, quia ita Deus voluit, qui aliter potuisset inire pactum et quia a gratia prodeunt; et ut, isto modo accepta satisfactione, satisfacere possumus, ita etiam mereri, per meritum intelligendo actionem liberam ex filio prodeuntem, quam haereditate remunerare voluit pater coelestis. De quo innuitur in scriptura, quod esset injustus, si oblivisceretur operis ex charitate facti, et quod fidelis permanet, et negare se ipsum non potest, non praestans quae promisit.

30. Non tamen puto verum, quod, loquendo de Dei absoluta potentia, non possit non praemiare justum; imo potest justo non donare gloriam, et beatum privare beatitudine, et humanitatem Christi verbi unione et plenitudine gratiae et gloriae, quam habet.

Primo quia, licet Deus promisit, quod non facit, et revera non faciet, non tamen se privavit potentia faciendi, quia posse ad plus se extendit, quam esse, vel fuisse, vel fore. Multa enim potuisset Deus facere, quae non fecit, et multa potest in futurum facere, quae non faciet, quia libere et contingenter facit quaecunque ad extra facit. Hoc enim videmus in principe, qui licet alicui concedat perpetuum privilegium, et servetur, non tamen ligat sibi manus, quin possit si velit et opus esset, abrogare illud.

Secundo hoc idem patet non esse verum, quia hoc ipso, quod ponimus absolutam potentiam, et loquimur de ea, tollimus ordinationes omnes et promissa et pacta, quia

Digitized by Google

haec omnia ad ordinatam potentiam pertinent. Loquendo ergo de absoluta potentia, non est periculum, quod se ipsum negaret, non beando justum, vel privando beatum gloria; quia hoc ipso ponimus, non praecessisse promissionem et pactum, ut revera potuit non praecedere, quia contingenter praecessit. Involvit igitur se, qui dicit: stante hac vel illa promissione, et loquendo de ea absoluta potentia, hoc vel illud est verum; quia repugnat loqui de potentia absoluta, quae tollit promissionem, et supponere promissionem factam.

31. Ad argumentum igitur breviter dicimus negando, quod illa, quae dicit, requiruntur ad meritum, vel satisfactionem, ut patres illa accipiunt, quando ista concedunt, vel admittunt; licet fateamur, quod interdum, ut veritatem ipsam in se specularentur, secundum rigorem rebus consideratis, et ut sese plus humilient, praedicta excogitaverint.

32. Decimum argumentum: Pueri decedentes in gratia donantur gloria, et non illam meruerunt. Ergo per imputatam justitiam salvantur. Simile potest argumentum confici de Trajano, si verum est, ut Damascenus asserit, liberatum fuisse ab inferno precibus Gregorii Papae.

Respondetur de Trajano, quod fuit privilegium, quod non est ad consequentiam trahendum, ut[1] ita dicamus, omnes esse ita praemiatos, vel quod fuit donatus justitia inhaerente, per quam factus est primo filius, deinde consequutus est haereditatem. Sunt etiam, qui dicunt, illum fuisse suscitatum et egisse poenitentiam et bona opera, quibus potuit gloriam sine nova imputatione mereri.[2]

De pueris autem dicendum, quod justitia inhaerens, quam habent, quia non potuerunt operari, sufficit, ut sine

[1] Mass. *trahendam, cum.*

[2] Historia ista Trajani ex inferno liberati jam diu a criticis omnibus merito pro fabula habetur. Apud orientales in sermone spurio S. Johannis Damasceni *De iis qui in fide dormierunt* legebatur, apud occidentales penes Paulum diaconum et Johannem diaconum in vita S. Gregorii M. ab utroque conscripta (c. 27. et lib. II. c. 44). Unde tempore medii aevi haec narratio vulgatissima erat. Cf. animadversiones theologicas a S. Thoma Aquinate in eandem factas. In I. Sent. dist. 43. qu. 2. art. 2. ad 5. et in IV. dist. 45. qu. 2. art. 2. ad 5.

Digitized by Google

alia imputatione praemientur gloria, quia est in pactis. Quaestio etiam[1] non quaerit de his, sed de adultis, qui bona opera fecerunt. De parvulis enim, sicut fatemur, eis fuisse imputatam Adae injustitiam, ob quam poenas peccato originali debitas dant, ita non esset inconveniens fateri, ob justitiam Christi imputatam illos salvari; modo ita admittamus imputationem, ut dicamus, gloriam concedi secundum gradum gratiae inhaerentis, quam habent, et etiam dicamus, imputatam non supplere defectus inhaerentis; quia revera illa justitia non est defectuosa, ita ut illi correspondeat ille gradus gloriae. In hoc tamen posset dici suppleri, quia, licet sine operibus decedant, quae ob infantiam non potuerunt facere, ob opera Christi praemiantur, sed minus, quam si vel minimum quid operati essent; et ideo infantes a doctoribus minimam sortiri beatitudinem dicuntur.

33. Undecimum argumentum fit ex timore. Ajunt enim beatos et angelos in die judicii formidaturos; quia scripturae ajunt: „Columnae coeli contremiscunt et pavent;“[2] et rursus: „Virtutes coelorum movebuntur.“[3] Si ergo, ajunt, beati timebunt filiali timore Deum, judicandi vere formidabunt et timebunt supplicium. Idem etiam confirmant ex timore, quem hic habent sancti, quibus praesens est tuba illa judicii, ut Hieronymus de se refert. Quibus etiam consonat evangelium dicens, reddituros homines rationem de omni verbo otioso in die judicii.[4] Consonat etiam conscientia cujusvis, quae dum se consulit et proprios examinat defectus, nollet secundum justitiam judicari, verens omnia opera sua, sed deprecari misericordiam. Non est igitur, quod nitantur vel sperent inhaerenti justitia, sed confugiant, si sapiunt, ad imputatam.

Ad hoc argumentum ut respondeamus (quamquam extra rem sit, ut videbimus, de timore agere, quia sive futurus sit timor, sive non, minime efficient quod volunt), considerandum est in argumentantium gratiam, in quibus

[1] Deest in Mass.
[2] Job. 26. 11.
[3] Luc. 21. 26.
[4] Mat. 12. 36.

Digitized by Google

erit timor, et qualis in die judicii, et quidem in die judicii univeralis;[1] vel loqui possumus de signis ipsum praecedentibus, et tunc certum, quod animae beatae non terrebuntur, quia expectant illum diem, ut reddantur sibi stolae,[2] ut ex apocalypsi Joannis constat.[3] Animae autem purgatorii, si credimus patribus, certae sunt de sua salute. Si tamen illis revelarentur ista signa, et diem judicii adventare, non putarem inconveniens[4] dicere, quod timerent, non quidem damnationem, quia certae sunt de salute, sed poenas imminentes et majestatem judicis; et hic terror cederet illis in purgatorium.

De vivis vero loquendo, si mali sunt, quamquam antequam signa propinqua adveniant, saltem plures illorum juxta Domini sententiam absque terrore ullo[5] inveniendi sunt, edentes et bibentes, et nuptui tradentes, ut in diebus Noe,[6] inter ipsa autem terribilia signa adventui propinquissima, quia se ipsos amabunt, absque dubitatione timebunt, juxta Dominum dicentem: „Arescentibus hominibus prae timore.“[7] Et ob id clamant saepe prophetae in carnales, desiderantes diem Domini, et illis testantes diem illum eis futuram amaram et caliginosam.[8] De bonis vero loquendo, licet perfecti sint, et secundum spiritum diligere possint diem Domini, et levare capita, videntes appropinquare redemptionem suam,[9] quia tamen admixtos habent defectus et humana infirmitas naturaliter timet majestatem et potentiam, ut in transfiguratione fecisse apostolos vidimus, non video, cur non debeant cum spe timere, praesertim quum timor illis possit cedere in purgationem defectuum et meritum majus. Quod si perfectiores timebunt, imperfectiores magis formidabunt.

Sed iste timor non facit ad rem eorum, qui hanc novam positionem introducunt; quia loquuntur de homine coram tribunali constituto.

[1] Mass. *et quibus in die judicii utilis.*
[2] Mass. addit *secundae.*
[3] Apoc. 6. 11; 7. 9. 13 s.; 22. 14.
[4] Trid. I. *conveniens.*
[5] Mass. *illo.*
[6] Mat. 24. 37; Luc. 17. 26.
[7] Luc 21, 26.
[8] Cf. Amos 8, 10; Jerem. 13. 16.
[9] Luc. 21. 28.

Digitized by Google

De hoc igitur in judicio universali posito loquendo, si communem positionem doctorum sequamur, quae dicit, judicium subito futurum, et judicandos jam suscitatos statuendos coram tribunali, et si boni fuerint, etiam purgatos esse dum tribunali sistuntur, clarum est, quia illi, qui erunt ad dexteram, quia jam beati, non timebunt. Si autem teneremus, ut aliqui volunt, judicium per aliquod tempus perceptibile duraturum, illucque quosdam non beatos nec plene purgatos, licet in gratia existentes, judici sistendos, tales non timebunt damnationem; quia in judicio particulari tulerunt sententiam suae salutis, et se ad dexteram collocatos videbunt, quem locum scimus esse salvandorum. Tamen, si purgati non sunt, donec sententiam adminus audiant: „Venite benedicti," poterunt ad purgationem visa majestate terreri; quando ita timuit Daniel viso unico angelo, ut dixerit: „Domine, ex quo locutus es ad semen tuum, dissolutae sunt compages meae, et nihil in me remansit virium."[1]

35. De judicio autem particulari loquendo, manifestum est, quod mali valde terrebuntur. Justorum vero, quamvis major pars timere habeat, quia rari perfecti sunt comparatione imperfectorum, non tamen omnes timebunt. Quod ut probetur, supponendum in primis est, quod, quum sumus coram tribunali, jam sumus extra viam merendi, quod omnes fatentur. Secundo supponendum, quod timor habet poenam, ut ait dilectus;[2] tertio, quod poena in hac vita infligitur vel ob peccatum vel ad meritum, in alia vero tantum ob satisfactionem pro peccato, quia non est locus merendi, ut manifestum est. His suppositis, quia multa sunt genera hominum, qui nullam debent poenam peccato (ut patet de pueris olim circumcisis, et nunc baptizatis, ante usum liberi arbitrii decedentibus, et de adultis statim post baptismum obeuntibus, et de martyribus, quibus injuriam facit, qui orat pro illis secundum Augustinum, et de insignibus confessoribus, quales sunt omnes canonizati, et multi alii), manifestum est ex suppositis, quod nulli

[1] Dan. 10. 16. [2] I. Joh. 4. 18.

Digitized by Google

talium coram tribunali particularis judicii timebunt, quia timor ille injuste infligeretur, non debentibus[1] illam poenam ad satisfactionem, nec potentibus ad meritum per illam proficere. Nec valet quod afferunt ad probandum timorem, quia nesciunt, ut ajunt, se esse in gratia Dei, et ideo timere habent, ne sine illa inventi damnentur. Licet enim ipsi hoc nesciant (quod tamen falsum est, quia coram tribunali revelantur abscondita cordium), Deus tamen scit, illos in gratia Dei esse et satisfecisse, et ideo immerito illis infligi timorem, qui poenam habet. Quanquam[2] autem ita res se habeat de timore, ut diximus, nunc expendamus, quantum juvet positionem iste timor, quem asserunt.

Demus igitur, ut videamus vim argumentorum, tam in judicio universali quam particulari justos timere. Demus etiam, sanctos in via horrere judicium. Non concluditur, ob id opus esse justitia imputata; imo potius contrarium. Aut enim rationabilis est iste timor, aut irrationabilis. Si irrationabilis, nihil ex eo possunt stabilire, quia est trepidare timore, ubi non est timoris occasio. Si rationabilis, ergo ideo est, quia non est refugium ad justitiam imputatam; qua posita, non opus esset timore.

36. His igitur praemissis, respondeamus singillatim ad ea, quae in argumento proposita sunt.

Primum enim, quod argumentantur videlicet: angeli et beati timebunt in die judicii universalis, ergo boni judicandi timebunt coram tribunali poenas, — non sequitur; quia (ut dictum est) secundum communem positionem etiam qui a dexteris erunt, beati erunt, ac per hoc eo modo timebunt, quo angeli, nempe timore casto et reverentiali, qui permanet in saeculum saeculi. Licet detur etiam, id sequi de aliquibus, qui fortassis timebunt, non propterea erit opus imputata justitia; quia justus judex, juxta pacta sua gratiose facta judicans, videbit illos, licet timentes citra aliam imputationem dignos esse retributione, sicut videret malos dignos esse poena, licet ipsi eam non timerent.

Non valet etiam, quod addebant de timore, quem hic habent sancti, qualis erat Hieronymus; quia tales hic ti-

[1] Trid. I. *habentibus.* [2] Mass. *infligit timorem. Quanquam.*

Digitized by Google

ment, quia secundum opera, et non secundum imputationem, sunt judicandi. Ideo sententia Domini asserentis, reddendam esse rationem de verbo otioso, potius est contra eos, quia non opus esset tam minuto ratiocinio, posita justitia imputata. Conscientia etiam incutiens timorem sanctis in hac vita, dum considerant opera sua, quae verentur, et judicis justitiam, non arguit illam in judicio flectendam per novam imputationem, sed juste juxta uniuscujusque opera reddituram. Quod si pergant, qui hujusmodi habent opinionem, quaerendo a quovis, ut quaerunt, an consideratis defectibus suis practice velit Dei misericordiam in particulari judicio, respondeo, quod vel loquuntur de voluntate recta, vel obliqua; si obliqua est, nihilo plus vel minus fiet propterea in Dei judicio; si autem recta est, conformis est fidei et Dei voluntati, quam nobis revelant scripturae; et ideo licet velit sibi suppleri defectus suos et sibi fieri misericordiam, id tamen vult, quamdiu Deus id vult fieri, hoc est, dum est in via, quae quoad remissionem mortalis peccati et gratiae augmentum tantum usque ad mortem durat, quoad remissionem vero venialis vel poenae temporalis, si cum eis forte decedimus, durat usque ad exitum purgatorii. Quem exitum, quamvis, dum hic sumus, recte cupiamus accelerari, debet tamen id esse cum conditione, si videlicet ita placuerit divinae voluntati, quae misericorditer potest nobis privilegium facere, et juste potest nos permittere luere, quas promeruimus, poenas.

37. Proinde difficultas, quam quidam faciunt, non debet movere. Fatentur enim nos posse mereri vitam aeternam, implere mandata, et non egere in judicio novo merito, vel nova imputatione; faciunt tamen scrupulum, quia inquiunt, quantumvis sancti, imo quo sanctiores, qui habent majus lumen, et in eo perspicacius vident leviores maculas, non audent se supponere sub minori quadam, quam ipsi dicunt. Sed hoc non debet, ut dixi, movere. Primo, quia licet non audeant nunc, imo licet non auderent tunc, nihil hoc faceret ad justitiam imputatam; quia, ut dictum est, etiam timentes judicabuntur secundum opera sua; secundo, quia si vera statuitur major, et supponitur, quod

Digitized by Google

quis in morte inveniatur in gratia, talis secure se subdet minori: si autem major falsa assumitur, non est, quod laboret quis, ut se minori submittat. Verbi gratia, si quis ita assumat in majori: Ille tantum merebitur gloriam, qui caruerit per totam vitam vel veniali vel mortali, vel qui impleverit justitiam, quam Adam habiturus esset, si non peccasset, vel qui eo modo dilexerit, quo diligunt sancti in gloria, falsa plane est major, quia non illi tantum salvantur; ideo sub hac majori non oportet supponere minorem, quam debeat omnis salvandus subire. Si autem assumatur ista major: Omnis, qui in fine vitae inventus fuerit in gratia quantumcunque remissa, sive peccaverit ante mortaliter, sive venialiter —, vera est procul dubio major, et quis ita moriens potest se sub minori statuere, et quantumvis tunc sit oculatus non videbit maculam, quae eum a merito gloriae impediat, quia nulla erit talis; id tamen dum vivimus, et in vita sumus, quia non sumus certi de perseverantia, merito timemus, et timor juvat, ut perseveremus, non ut ponatur justitia imputata. Quia igitur tam benignum est pactum Dei, ut vel minima gratia in morte praedito retribuat gloriam, non puto habere locum distinctionem, qua dicitur esse quoddam judicium Dei, exigens id, quod debitum est, quoddam vero exigens id, quod exhibetur; et hoc amplecti, repudiato primo, non habet, inquam, locum; quia juxta misericors pactum Dei id debemus, quod in gratia in morte inventi exhibemus. Verum est tamen, quod si secundum aliud justum pactum cum Adam initum judicandi essemus, ad multa teneremur, quae nec praestamus, nec praestare valemus. Et hoc judicium et debitum considerans Augustinus dicebat, debere nos omnem concupiscentiam extinguere, ac vel hos primos motus ex vitio esse et teneri quodam modo nos non concupiscere. Non tamen dixit unquam, primos motus peccata esse imputabilia ob benignitatem secundi pacti; licet, natura rei et decoro considerato simul cum primo pacto, peccata, id est defectus, sint, quia revera dedecet partem tam imam, quam est caro, in filio praesertim Dei per adoptionem, reluctari tam nobili et supremae, quam est anima rationalis.

Digitized by Google

38. Quod ultimo tandem dicebatur in argumento de spe, quae non posset haberi de inhaerente justitia, sed de imputata, solvitur, dicendo, quod spes seu fiducia, licet proprie secundum scripturarum et patrum auctoritates sit de ultimo fine, tamen secundum easdem scripturas et patres potest etiam de mediis ad illum finem haberi, ut media sunt. Qui enim illis ut talibus nititur, fini nititur,[1] cum quo connectunt, et isto modo quia justitia inhaerens medium unicum est, quo Deo conjungimur, unus spiritus cum illo facti, ipsi justitiae, ut vinculo perfectionis cum Deo conglutinanti, niti possumus. Nec enim justitia inhaerens est Machometi, sed Christi, cum quo conjungit, et de eo hoc modo licet habere spem, quae quidem de aeterna beatitudine est ex gratia et meritis consequenda. De justitia autem imputata, non est quod speremus, quia spes fidem supponit; et fides clare dicit, quod retribuit Dominus unicuique juxta opera sua, et ideo clare excludit justitiam imputatam; de qua si non est fides, non erit etiam spes.

39. Duodecimum et ultimum argumentum fit ex variis inconvenientibus, quae sequerentur, non posita justitia imputata; quia, ut ajunt, sine ea praedestinati non salvarentur, quia peccant, reprobi etiam mererentur, si sola sufficeret inhaerens, quum illam habeant. Esset etiam differentia inter justificationem, qua ex injustis justi evadimus, et inter retributionem, qua justi praemiamur; quam tamen differentiam non admittunt argumentantes, quia idem Christus, qui justificando est causa, ut mereri possimus, est etiam causa, ut justificati praemiemur. Paulus etiam non videtur facere differentiam inter haec. Ait enim: „Si quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.“[2] Putant etiam, hoc inconveniens sequi, quod justitia, quae in uno est, alteri inhaeret. Si enim justitia mihi inhaerens, vestis dicitur Christi, quasi Esau, in ipso Christo etiam erit, et sic duobus inhaeret. Ideo rectius putant dici, quod illa vestis Esau sit imputata justitia.

[1] Apud Mass. deest *fini nititur*. [2] Rom. 5, 10.

Digitized by Google

Respondetur breviter, non esse vere inconvenientia, quae vere sequuntur ex nostra opinione; nec ex illa sequi quae vere inconvenientia sunt.

Non sequitur enim, quod praedestinatus non salvetur sine imputatione in judicio facienda, quia, licet peccet hic, consequetur[1] remissionem et merita, ob quae sine imputatione praemiari debeat. Praescitus etiam omnino meretur, si ex gratia operatur. Sed si non redditur ei gloria, est, quia non servat pactum, quod Christus statuit dicens: „Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.“[2] Et Paulus: „Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.“[3] Aliud, quod referebatur ut inconveniens, convenientissimum est, et quod rationibus, quas in contrarium adducunt, statuitur. Paulus enim non eodem modo dari asserit salutem et gloriam justo, quo justitia datur injusto; ideo dixit: Quanto magis reconciliati, „salvi erimus in vita ipsius,“[4] asserens potiori ratione reddi salvum reconciliatum, quam reconciliari inimicum. Illa enim (salus) redditur, ista donatur. Ratione etiam idem probatur; quia si Christus est causa meriti, ergo antequam id in nobis causet, non meremur, et sic impius non meretur justificari. Si etiam Christus est causa praemii, ergo praemium est id, quod retribuit. Quod si praemium est, profecto meritum id praecessit, respectu cujus praemium dicitur. Meritum vero manifeste tollit imputationem. Ineptum est ergo dicere: Christus est causa utriusque, nempe meriti et praemii, ergo eodem modo utrumque efficit;[5] quia vario modo Christus Dominus sua bona voluit nobis impertiri, et gratiose, et ex quodam debito gratiae innixo.

Ultimum vero, quod adducunt, non sequitur, quia justitiam inhaerentem habendo Christi justitiam participamus, non quod justitia, quae in Christo est, in nobis est, vel illa, quae in nobis est, sit in ipso Christo; sed quod ista,

[1] Sic Trid. II. Mass. *consequeretur*.
[2] Mat. 10, 22. [3] II. Tim. 2, 5.
[4] Rom. 5, 10.
[5] Trid. I. *conatar*; Trid. II. *conantur*.

Digitized by Google

quam habemus, merito illius Christi nobis donetur, et ejus sit participatio et similitudo.

40. Et haec de tertio membro sufficiunt, ac de tota quaestione, in qua improbantur, qui novam hanc induxerunt opinionem imputatae justitiae in die judicii, in qua aliqua mira, aliqua nova, quaedam etiam falsa continentur. Ideo eam asserentibus dicere possumus, quod quibusdam ajebat Augustinus: „Mira sunt quae dicitis, nova sunt quae dicitis, falsa sunt quae dicitis. Mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus.“[1]

[1] Apud Massarellum p. 278 clauditur haec disputatio Lainii quibusdam verbis, quae ad II. articulum theologis 15. Octobris 1546 propositum respiciunt. Is ita sonabat: „Utrum aliquis possit esse certus de sua adepta gratia secundum praesentem justitiam et quo genere certitudinis.“ Verba autem Lainii sunt haec: „Ad secundam vero quaestionem de gratiae certitudine, possem respondere multis scripturarum et sanctorum patrum auctoritatibus et rationibus comprobando, probabilem esse opinionem asserentium, aliquos et in aliquo casu posse habere certitudinem fidei de gratia jam adepta. Possem etiam, ut puto, sine violentia solvere omnia, quae in contrarium adducta sunt, ni satius putarem expectare sacrosanctae synodi definitionem.“ —

Hoc additamentum deest in ms. Trid. I. et II.

Digitized by Google

XII.

Vota theologica selecta ex actis concilii Massarellianis a Theiner editis.

Votum I. De reali praesentia Christi in eucharistia.

(Theiner, Acta auth. concilii Tridentini I, 490.)

Jacobus Laynes, soc. Jesu, missus ad concilium a S. D. N., accepit discutiendum I. articulum tantum,[1] quem multis modis haereticum esse ostendit; quorum aliquos ego Angelus Massarellus, sacri concilii secretarius, summatim hic annotabo, prout, dum ipse suam protulit hodie sententiam, percipere potui.

Ipse igitur D. Jacobus adduxit primum verba Christi Matth. XXVI.: „Hoc est corpus meum," Marci XIV. et Lucae XXII., ac etiam Pauli I. ep. Cor. XI. et Joan. VI. Responditque ad fundamenta adversariorum, qui dicunt, verbum *est* accipi figurative ex auctoritate Exodi XII. quum dicitur: „agnus est transitus Domini" id est *significat;* et in novo testamento dicitur: „Semen est verbum Dei."[2] „Omnia enim," ut ait Paulus, „in figura contingebant illis;"[3] et quia scriptura non accipit auctoritatem a verbis

[1] „In Eucharistia non esse revera corpus et sanguinem neque divinitatem D. N. Jesu Christi; sed tantum ut in signo. — Hic error est Zwinglii, Oecolampadii et Sacramentariorum." Primus ex 10 articulis, qui theologis 2 Septembris 1551 exhibiti sunt (Theiner I. 488).

[2] Luc. 8. 11. [3] I. Cor 10. 11

Digitized by Google

inanibus et sine sensu, ut esset, si interpretaretur: Ego sum vitis, et similia. In casu autem nostro *est* accipitur proprie et substantive, prout et omnes antiqui patres senserunt. Ille vero sensus, qui tenetur a patribus omnibus, pro catholico est recipiendus, quia credi debet, Spiritum Sanctum eum suggessisse; et secundum eum sensum omnes haereses hactenus damnatae sunt. Praeterea quando verbum potest accipi proprie, non debet accipi figurative. Item quia Christus in institutione sacramentorum loquutus est semper proprie et absque figuris; quod per baptismum („Nisi quis renatus fuerit ex aqua" etc.[1]) et per poenitentiam („Quorum remiseritis" etc.[2]) probavit. Unde Augustinus: „Quae tanta est virtus hujus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat?" Et etiam vere per absolutionem remittuntur peccata. Tantoque magis in eucharistia Christus loquutus est proprie, ne nobis occasionem daret committendae idololatriae.

Item Christus loquens Joan. VI. commendabat carnem suam esse verum cibum et sanguinem verum potum; quam carnem et sanguinem nobis daturum promisit, deditque in eucharistia; in qua non est dicendum, quod dederit figurative, contra suam promissionem. Et licet aliqui intelligant, Joan. VI. loqui de spirituali tantum manducatione, ipse tamen contrarium probavit, loqui scilicet de eucharistia et sacramentali manducatione, ut doctores omnes asserunt; et ecclesiae usus ita recepit, quae in festo corporis Christi utitur lectione hujus cap. Joan. VI. Id sequitur etiam ex ipso textu, quum dicatur de manducatione et bibitione et de carne et sanguine; praesertim quum ibi allegetur exemplum mannae, quae vere manducabatur. Quibus verbis discipuli scandalizati sunt, qui etiam intellexerunt de vera et propria manducatione; alias si loquutus fuisset Christus de spirituali, non fuissent admirati et scandalizati. Praeterea ipse dicit: „Panis, quem ego dabo, caro mea est," et addit: „Quam ego dabo pro mundi vita," id est in cruce. Et tandem carnem, quam promi-

[1] Joh. 3. 5. [2] Joh. 20 23.

Digitized by Google

sit dare ad manducandum, dedit in coena, quum dixit: „Hoc est corpus meum, et sanguis meus, qui effundetur in remissionem peccatorum.“ Deinde Paulus I. Cor. X. ait: „Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?“ et ib. XI.: Qui manducat indigne, reus est corporis Domini etc. non dijudicans corpus Domini.

Idem etiam probavit per traditiones patrum, adducens concilium Nicaenum cap. XIV., Ephesinum epist. ad Nestorium, VII. synodum in VI. actione, ac synodum VIII., Lateranense et Florentinum; item Alexandrum et Hilarium PP., b. Andream apostolum in vita sua, epistolam Martialis, Dionysium 3. eccles. hierarch., Irenaeum adv. haer., Cyprianum epist. ad Magnum, Tertullianum lib. de idololatria, lib. II. ad uxorem suam, Ignatium epist. 9., Victorinum lib. IV. de trinitate, Hieronymum in epist. ad Theoph. et Theophylactum lib. II. paschali, Athanasium lib. de passione, Hilarium lib. de trinitate, Basilium lib. I. de baptismo et epist. 141. et lib. II. de baptismo et homil. 44., Gregorium Nazianzenum in oratione in secundum pascha, Paulinum epist. ad Severum, Damascenum lib. de fide orthodoxa cap. 14., B. Ildephonsum in 90. haeresi et in lib. contra praedestinationem, Paschasium in lib. de corpore Christi, Victorem in hist. Vandalorum, Theodoretum lib. IX. hist. trip. cap. 30.[1]

[1] Locos omnes supra allegatos, sicuti apud Theiner recitantur, eodem modo hic reddendos censuimus, non ignari errorum, qui iis citationibus admixti sunt sive culpa Lainii, sive Massarelli, sive demum editoris actorum concilii. Quare quum accurate de singulis testimoniis vix unquam indicari possit quaenam verba a Lainio adducti sint et quaenam vi probandi polleant, haec pauca advertisse sufficiat. Ex concilio Nicaeno canon 18. (non cap. 14.) huc pertinet ob expressionem de eucharistia adhibitam: σῶμα τοῦ Χριστοῦ; vide Hefele. Conciliengeschichte 2. edit. I. 426. Alexandri et Hilarii pontificum Romanorum epistolae, quae huc facerent, originis sunt pseudoisidorianae (Jaffé 2. edit. nr. 24. 29. 566). Acta S. Andreae apostoli genuinitate carent; quod etiam valet de epistolis S. Martialis Lemovicensis episcopi, discipuli S. Petri, de quibus cf. Ceillier. Auteurs sacrés ed. Paris. 1861, VIII. 125. Loco Dionysii nominandus erat Pseudodionysius et quidem cap. 3. Apud S. Ignatium Antiochenum testimonium praeclarum exstat

Digitized by Google

Idemque comprobavit rationibus. Primo, si Christus non esset in eucharistia vere et proprie, dereliquisset ecclesiam in idololatria; quod impium est dicere. Secundo, ex signis et miraculis, quae, ut patres narrant, contigerunt in hoc sacramento, et aliis multis.

Respondit deinde ad quasdam objectiones haereticorum. 1. Quum adducunt: „Hoc facite in meam commemorationem," quasi non sit verum Christi corpus, sed commemoratio, solvit per dicta Paschasii, quod vere commemoratio fiat a sacerdote conficiente; sed id, quod ipse conficit, est verum Christi corpus. Praeterea summa commemoratio est una cum re commemorata, ut dicitur de verbo Dei, quod est Pater et Filius et Spiritus Sanctus. [?] Et adduxit tres modos repraesentandi aliquem: primum per verba historiae, secundum per comoediam in persona aliena illum repraesentante, tertium per ipsummet, qui repraesentatur, ut est de principe civitatem liberante, cujus tunc proprie esset commemoratio, quum ipsemet id repraesentaret. Sic de Christo, cujus passio vere per ipsummet repraesentatur.[1] 2. Quum objicitur, quod sit typus etc. et quod aliquando apud Paulum vocatur panis etc., hoc esse ob

in ep. ad Smyrnaeos c. 7. (Funk Opp PP. apost I. 241). Victorinus (Marius) de trinitate solum tres hymnos scripsit (Migne P. L. 8 1139), in quibus nihil hujusmodi occurrit Hieronymus praeter epistolas ad Theophilum Alexandrinum nullam dedit ad Theophilum et Theophylactum; forsitan Theophylacti commentarii in s. scripturam indigitantur (Migne P. G. t. 123 ss), qui eximiis utique effatis de eucharistia referti sunt; inter opera Theophylacti tamen liber paschalis nullus habetur. Basilii ep., quae olim 141. numerabatur, nunc est 8., et locus exstat Migne P. G. 32, 254. De quanam homilia s. Basilii agatur, non liquet. Athanasii liber de passione et Basilii libri duo de baptismate dubii sunt; cf. Fessler. Inst. patrol. I. 409. 528. Damascenus agit de eucharistia in opere De fide orthodoxa lib. IV. (qui omissus est a Theiner) cap. 13. non 14 Migne P. G. 94. 1135. Cf. hic pag. 99. Ildephonsus nullum catalogum haeresium composuit nec librum contra praedestinationem; sed opus anonymum dictum „Praedestinatus" in lib. 1. hujusmodi catalogum exhibet et in lib. 3. praedestinatianos impugnat. Cf. supra p. 138. Theodoreti l. V. hist. eccl. caput 16., quod in Cassiodorii hist. trip. est lib. IX. c. 30., huc utique pertinet.

[1] Eandem comparationem Lainius adhibet supra pag. 102.

Digitized by Google

species, quae remanent et suum nomen retinent, ut dicitur de virga Aaronis in colubrem conversa et de aliis hujusmodi. 3. Quum adducunt verba Joan. VI. „Caro non prodest quidquam“ etc. respondit, ut doctores intelligunt, quatenus atteratur dentibus et ut in macello lanietur. 4. „Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non.“[1] Respondit: non semper, ut benefaciatis, sicut pauperibus.

Ad illam partem articuli, in qua negatur, esse divinitatem in eucharistia, dixit, esse haereticam; quia si vere est Christus, est cum divinitate, quum ipse dicat: „Qui manducat me“[2] etc.; ergo et divinitatem, quae est in Christo; alias enim ipse Christus privaretur aliquando divinitate, quod dicere impium est; quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit.

De aliis articulis[3] uno verbo se absolvit, asserens eos omnes haereticos esse et a s. synodo damnandos.

Votum II. De sacramento poenitentiae.

(Theiner, Acta auth. concilii Tridentini I, 533.)

Hodie (20. Octobris 1551) dixit suam sententiam Jacobus Laynes, clericus saecularis congregationis Jesu, qui primo se super contritione, confessione et absolutione dicturum praemisit, quum super satisfactione et extrema unctione dicturus esset ejus socius Alphonsus Salmeron.

Cujus domini Jacobi sententiam ego Angelus Massarellus hic adnotabo, prout (juxta meum institutum) dum ipse hodie loquebatur, percipere potui; non quidem per singula verba, sed in summa quadam, quantum sat sit, ut hisce meis notationibus possit s. synodus intelligere, quid quisque theologus super propositis articulis senserit. Ad hoc enim ego his congregationibus assisto; idque praecipuum ex officio mihi onus incumbit.

[1] Joh. 12, 8. [2] Joh. 6. 58.

[3] Recensentur a Theiner I, 488

Digitized by Google

Quo igitur ad I. articulum, poenitentiam non esse sacramentum a Christo institutum[1] etc., multis modis haereticum esse probavit. Primo ex definitione sacramenti, quod sit sacra caeremonia, habens pactum gratiae Dei. Poenitentia autem est hujusmodi. Ergo est sacramentum. Quod vero sit, ostendit ex verbis Christi Joan. XX. et Matth. XVIII.: „Quaecunque alligaveritis“ etc.; quod non sine aliqua caeremonia fuit.

Idem etiam habetur ex traditione, et in conc. Florentino et Constantiensi et in hoc ipso Tridentino sess. VII. et ex cap. Abolendam De haeret. et cap. Firmiter De summa trinitate et fide cath. ac etiam ex Augustino in psal. 146. Vocatur etiam a patribus aliquando impositio manuum, prout etiam a Paulo I Timoth. V., quod idem est ac sacramentum.[2]

Ostendit idem rationibus. Primo hic error jam damnatus est ab ecclesia, et fuit Novatianorum, ut Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius idem etiam testantur. Non igitur est hoc novum dogma. Fuerunt etiam Messaliani, de quibus Damascenus in haeresi LXXX.[3] Est etiam error Jacobitarum. Et omnes jam damnati. Ergo ecclesia catholica aliud tenet, scilicet poenitentiam esse sacramentum. Item alia ratione. Sicut multum refert, librum esse canonicum, vel non, et id declarare ad ecclesiam pertinet, idem etiam in caeremoniis obtinet, quae habeant, vel non habeant pactum gratiae Dei. Sed ecclesia judicavit, poenitentiam esse hujusmodi, et sacramentum esse. Ideo poenitentia sacramentum est.

[1] Primus ex articulis de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis, qui 15. Octobris 1551 theologis examinandi dati sunt. his verbis conceptus erat: „Poenitentiam non esse proprie sacramentum ad reconciliationem pro relapsis post baptismum a Christo institutum, nec recte a patribus secundam tabulam post naufragium appellari. sed baptismum vere esse ipsum sacramentum poenitentiae. — Iste articulus asseritur a Calvino in sua institutione cap. 29., item a Melanchthone“ (Theiner I, 531).

[2] Cap. Ad abolendam 9. (V. 7). Cap. Firmiter 1. (I. 1).

[3] De haeresibus haer. 80. Migne P. G. 94 727.

Digitized by Google

Quo vero ad II. partem primi art.: „Nec recte secundam tabulam“ etc. probavit, eam vocem esse antiquam, et ita appellari a Tertulliano lib. de poenitentia, Ambros. ad virginem lapsam, Hieron. ad Demetriadem. Gaspar Sagerus verba illa interpretatur, ut navis sit status innocentiae, prima tabula baptismus, secunda vero poenitentia in lapsis. Et Petrus id confirmat de arca Noe. Et haec est differentia inter primam et secundam tabulam, ut est ire in navi, vel in tabula, fracta navi. Poenitentia enim habet strictiora et duriora pacta, quam baptismus, sive quoad ministros, sive quoad praeparationem, sive caeremoniam, sive effectum, ut asserunt Tertullianus lib. de poenit., Chrysost. hom. IX. ad Hebr., Aug. lib. de utilitate poenitentiae, Socrates in historia tripart.[1]

Quod autem ad III. partem ipsius I. articuli, baptismum esse sacramentum poenitentiae, eam etiam falsam esse ostendit. Nam sicuti in veteri lege circumcisio distinguebatur ab aliis expiationibus, ita et in nova lege baptismus a poenitentia. Praeterea apud Joannem Baptistam fit etiam discrimen inter poenitentiam et baptismum. Nam lotio totius corporis distat a lotione pedum, quod est baptismus et poenitentia. Ac etiam poenitentia, quae fit ante baptismum, differt ab ipso baptismo; praecedit enim ipsum baptismum. Quod et Petrus docet, quum inquit: „Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.“[2] Discipuli quoque baptizabant ante mortem Christi; sed Christus instituit sacramentum poenitentiae post mortem, ut habetur Joan. XX. Ergo inter se differunt. Quod

[1] Ambrosii liber titulum habet: De lapsu virginis consecratae; Migne P. L. 16, 367 ss Loco Gasp. Sageri forsitan scribendum erat Carolus Sagerius. qui membrum erat societatis Jesu scripsitque de epistolis S Pauli ad Romanos et ad Ephesios († 1596). Chrysostomi hom. IX in ep. ad Hebraeos exstat apud Migne P. G. 63. 73 ss., et in 1. parte utique de poenitentia agit Augustinus de utilitate agendae poenitentiae alias serm. 351. et 352.

[2] Act 2. 38.

Digitized by Google

etiam patres senserunt: Leo epist. 89. Ambrosius lib. 1. de poenitentia cap. VII.[1]

Articulum IV.[2] etiam haereticum comprobavit, et confessionem de jure divino esse ostendit. Quod enim a Deo immediate institutum est, id juris divini dicitur; sed confessio est a Christo instituta; ergo etc. Et hoc quoad confessionem sacramentalem in genere. Quidam dicunt: Sed quod sit publica vel secreta, est juris positivi. Quod falsum esse ostendit, omnemque confessionem sive publicam, sive secretam, dummodo sacramentalis sit, esse juris divini. Idque corroboravit primo ex figuris veteris testamenti. Dominus enim ab Adam confessionem quaesivit, et habetur multis in locis in Levitico et lib. Numerorum. Et in evangelio legitur, quod ibant ad Joannem Baptistam confitentes peccata sua. Et ut doctores interpretantur verba illa Christi de Lazaro: „Solvite eum.“[3] Et si in lege vetere habebatur, multo magis in nova, quia (ut Paulus testatur) illa erant figurae novae et longe imperfectiora, quam nostra: et sicut Deus instituit illam, sic et istam. Sed longe clarius habetur apud Joan. XX.: „Quorum remiseritis“ etc. et Matth. XVIII. Solutio enim et ligatio fieri non potest, nisi prius, quae peccata sint, cognoscantur. Item Jac. V.: „Confitemini alterutrum peccata vestra,“ quod de solis sacerdotibus intelligi debet. Et Joan. in sua I. epistola cap. I.: „Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus“ etc.; ait enim „justus“, quia habet pactum gratiae. Et I. Timoth. V.: „Peccantes coram omnibus argue,“ et „Nemini manum cito imposueris;“

[1] Leo in ep. 89. neque juxta veterem neque juxta novum ordinem numerata quidquam hujusmodi habet. Forsitan ep. ad Nicetam episcopum Aquilejensem, quae nunc est 159., indicanda erat.

[2] „Confessionem sacramentalem secretam juris divini non esse, nec apud antiquos patres ante concilium Lateranense ejus factam fuisse mentionem, sed publicae tantum poenitentiae. — Articulus iste asseritur a Melanchthone in apologia confessionis Augustanae. Cap. de Confessione. Item a Calvino cap. IX, XIX, XX, XXI, XXIII, XXVII, XXIX. Item a Luthero, ut citatur in censura Parisiensi.“

[3] Joh. 11. 44.

Digitized by Google

patres autem per manus impositionem sacramentum poenitentiae intelligunt; et qui cito absolvit, „peccatis alienis communicat," ut ibidem Paulus dicit.

Improbavitque opinionem eorum, qui locum Joan. XX.[1] intelligunt de praedicatione et fide, quum verba illa nullo modo praedicationi quadrent, essetque idem solvere et ligare. Paulus autem, etiam absens, Corinthios absolvebat et ligabat; ait enim I. Cor. V.: „Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, judicavi . . tradere hujusmodi hominem satanae;" et alibi: „Si quid donavi"[2] etc. Praeterea etiam surdis et mutis peccata remittuntur, qui tamen per praedicationem non audiunt. Insuper excommunicati et catechumeni admittuntur ad praedicationem, non autem ad poenitentiam. Neque locus ille Joannis de absolutione absque confessione intelligi potest, ut quidam volunt. Absolutio enim et remissio non potest fieri, nisi peccata, quae sint, audiantur, et quae remittenda vel retinenda sint, dijudicentur; alias enim omnes deberent simpliciter eodem modo absolvi, sive multis sive paucis peccatis onusti. Neque etiam de generali confessione intelligenda sunt verba illa Joannis, quia alias ecclesia errasset; quod impium est, quum sit columna veritatis. Improbavit etiam intelligi de confessione aliquorum peccatorum tantum. Sicut enim Deus vel omnia peccata retinet, vel dimittit, sic et sacerdos facere debet. Neque scire posset, quae remittere deberet, nisi omnia confiterentur. Neque tantum publica confitenda sunt, sed omnia, quum Christus generaliter loquatur et ejus verba restringi non debent. Et quemadmodum Christus non minus secreta, quam publica remittit, ita et sacerdos debet facere. Id autem absque confessione facere non potest. Nam peccata quoque secreta poenam merentur, ergo [sic] contra Deum: igitur confitenda et remittenda.

Ad idem etiam adduxit traditionem multorum patrum; atque etiam multis rationibus comprobavit. Prima est illa jam allegata, quia Novatianum dogma est jam

[1] Videlicet Joh. 20, 23. [2] II. Cor. 2, 10

Digitized by Google

damnatum; alia, quia ecclesia non potuisset hoc sacramentum instituere; non enim in ejus potestate est dare gratiam. Est igitur hoc pactum Dei; neque alias de gratia Dei certi essemus.

Secunda pars IV. articuli: „Neque apud antiquos patres" etc. est etiam haeretica, quia patres antiqui de ea meminerunt, et qui non scripserunt, ideo fecerunt, quia de ea non erat controversia. Meminerunt autem ejus Chrysostomus homil. X. operis imperfecti super Matth., qui de publica et secreta confessione mentionem facit; Leo I. epist. 78 ad episcopos Campaniae; Tertullianus lib. de baptismo; Gregorius, qui de ea decreta edidit; et alii quamplurimi.[1]

Art. V.[2] etiam haereticus est, quia enumeratio peccatorum est necessaria ex verbis Domini: „Quaecunque ligaveritis" etc. Non potest autem aliquod retineri, nisi audiatur per confessionem. Ut igitur dignoscantur, quae remitti, et quae retineri debent, oportet, ut per confessionem aperiantur. Etiam alia omnia in V. art. contenta haeretica sunt. Circumstantiae enim loci, temporis, personarum attendendae sunt. Item venialia confiteri licet, ut usus ecclesiae recipit.

[1] Innuuntur, Chrysostomi homiliae imperfectae in Matthaeum, quae quidem spuriae reputantur. Quinam Gregorius allegatus fuerit, apud Theiner non legitur.

[2] „Enumerationem peccatorum in confessione non esse necessariam ad illorum remissionem, sed liberam, et tantum hac aetate utilem ad erudiendum poenitentem et consolandum, et olim fuisse ad satisfactionem canonicam imponendam; nec necessarium esse confiteri omnia peccata mortalia, ut puta occulta, quae sunt contra ultima duo decalogi praecepta, sed neque ullas circumstantias peccatorum, quas homines otiosi excogitarunt; velleque omnia confiteri, esse nihil relinquere divinae misericordiae ignoscendum; imo neque licere confiteri venialia. — Hic articulus est Lutheri in visitatione Saxonica cap. de Confessione. Item ejusdem in disputatione habita anno 1518. et citatur a censura Parisiensi. Item in libro de ratione confitendi Item de captivitate Babylonica. Item Melanchth. in locis communibus. Item Calvinus in institutione sua. Item Bucerus in reformatione pro Coloniensibus."

Digitized by Google

VI. art.[1] etiam haereticus est, quia ecclesia ea peccata praecipit confiteri, quorum quis memoriam habet. Alias autem Christus impossibilia praecepisset, non ecclesia; quia confessio est praeceptum Dei, non ecclesiae, quae neque confessionem ipsam tollere posset.

VII. art.[2] haereticus est, quum absolutio sit vere actus judicialis. Paulus enim I. ad Cor. ait: „Absens . . judicavi,“[3] et „Si quid donavi, in persona Christi.“[4] Et „Quid ad nos de iis, qui foris sunt, judicare?“[5] Et „Potestatem habemus ulciscendi omnem inobedientiam.“[6] Et secunda pars VII. art. etiam haeretica est. Sola enim fides non sufficit; sed requiritur poenitentia, timor, dilectio, contritio, absolutio etc.

VIII.[7] etiam falsus est, quum „super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei.“[8]

[1] „Confessionem omnium peccatorum, quam ecclesia faciendam praecipit, esse impossibilem traditionemque humanam a piis abolendam; neque confitendum esse tempore quadragesimae. — Assertio haec est Lutheri in lib. de captivitate Babylon. Item in suo testamento. Item in assertionibus. Item Calvini cap. IX. n. 29. Item Melanchth in locis communibus.“

[2] „Absolutionem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo credat se esse absolutum, etiam si non sit contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolvat. Imo etiam sine confessione peccatoris sacerdotem eum absolvere posse — Hic articulus asseritur a Luthero in suis assertionibus. Item a Melanchth. in apologia et catechismo. Item a Luthero in responsione ad ejus condemnationem factam a Leone X. Item a Calvino cap. IX. n. 25.“

[3] I. Cor. 5, 3. [4] II. Cor. 2, 10.

[5] I. Cor. 5, 12. [6] II. Cor. 10, 6.

[7] „Sacerdotes non habere potestatem ligandi et solvendi, nisi Spiritus Sancti gratia et charitate sint praediti; et non eos solos esse ministros absolutionis sed omnibus et singulis christianis esse dictum: Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo etc. Quorum verborum virtute absolvere possunt peccata, publica quidem per correctionem si correctus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem — Auctor hujus articuli est Lutherus in responsione ad condemnationem factam a Leone X. Item de captivitate Babylonica.“

[8] Math. 23, 2.

Digitized by Google

Item ea pars etiam, „non eos solos“ etc., quia etiam in antiqua lege sacerdotes distincti erant a laicis; et verba Christi: „Quorum remiseritis,“ ad solos apostolos et successores dicta sunt. Et Paulus ait Tit. I.: „Reliqui te Cretae, . . . ut constituas presbyteros“ etc.

IX. art.[1] haereticus quoque est, quia absolutio est actus judicialis. Ergo requirit jurisdictionem; et alias confusio esset in ecclesia. Et episcopi exemplo principum, et etiam Moysi, casus sibi reservant; ut alias factum est in aliis, ut in contractibus, qui olim liciti erant, postea fuerunt prohibiti; item de multis cibis. Et sic quidem expedit, ut melius judicium fiat in poenitente.

Votum III. De sacrificio missae.

A.

Missa est verum sacrificium.

(Theiner, Acta auth. concilii Tridentini I, 603.)

Don Jacobus Laynes, Soc. Jesu, accipiens articulos de sacrificio missae; et quoad primum[2] probavit, eucharistiam in missa esse sacrificium.

Primo ex Malachiae I.: „Non est mihi voluntas in vobis“ etc., quum sacrificium antiquum reprobet et novum laudet „Magnum est nomen meum in gentibus;“ „ab ortu solis usque ad occasum . . sacrificatur . . oblatio munda.“ Et verbum praesens pro futuro capitur, quia

[1] „Absolutionis ministrum etiam si contra prohibitionem superioris absolvat, vere nihilominus absolvere a culpa et coram Deo. Ideo casuum reservationem non impedire absolutionem. Nec episcopos habere jus eos sibi reservandi. nisi quoad externam politiam. — Articulus iste est Lutheri in disputatione habita anno 1518. et Melanchthonis in apologia confess. August. cap. de confessione et satisfactione

[2] Primus ex articulis. qui theologis 3. Decembris 1551 discutiendi dati sunt, ita sonabat: „Missam non esse sacrificium, nec oblationem pro peccatis. sed tantum commemorationem sacrificii in cruce peracti; vocari autem a patribus translato nomine sacrificium, at vere et proprie non esse, sed tantum testamentum et promissionem remissionis peccatorum. — Hic articulus asseritur a Luthero in capt. babyl. et habetur in apolog. Augustana.“

Digitized by Google

Deo omnia praesentia sunt. Et reprobavit alios sensus. Non intelligitur de sacrificio spirituali, quia sacrificium hoc statuitur pro sensibili populo, cui convenit sacrificium etiam sensibile. Neque etiam de praedicatione potest intelligi, quia praedicatio non est sacrificium, et quia non est munda, quum proveniat a nobis, quorum opera sunt immunda; neque de passione Domini, quatenus eucharistia excluditur, quia illa in uno loco et semel est oblata, nec oblata proprie a gentibus. Idem habetur ex traditione interpretante sententiam dictam Malachiae: S. Martialis epistola ad Burdegalenses cap. III. Irenaeus lib. III. cap. XXXII. Tertullianus in Marcionem lib. III. Cyprianus lib. I. in Judaeos cap. XVI. Eusebius lib. I. de demonstratione cap. X. Augustinus lib. XVIII. de civitate Dei cap. XX. Cyrillus lib. de adoratione in Spiritum S. Damascenus lib. IV. cap. XIV. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Rupertus in Malachiam.[1]

Probavit idem ex Daniele XII. „Juge sacrificium" etc. quod de eucharistia doctores intelligunt, ut Methodius et Hieronymus, quia ibi loquitur de resurrectione ultima. Item ex psalm. 4.: „Mirificavit Dominus sanctum suum . . Sacrificate sacrificium justitiae" etc., quod eucharistia est. „Signatum est super nos lumen vultus tui Domine . . A fructu frumenti vini et olei sui multiplicati sunt;"[2] frumentum etenim eucharistiam notat, et oleum gratiam ejus. Item psal. 21., ut Augustinus intelligit lib. de gratia novi testamenti cap. XXXIV: „Apud te laus mea in ecclesia magna, vota mea . . reddam, edent pauperes et saturabuntur."

[1] De spuriis epistolis Martialis supra pag. 195. Ex Irenaeo potius lib. IV. cap. 18. huc pertinet; Migne P. G. 7, 1024. Cypriani locus allegatus invenitur apud Migne P. L. 4, 687 in lib. I. Testimoniorum adversus Judaeos; Eusebii (De demonstratione evangelica) apud Migne P. G. 22, 83. Augustinus falso allegatur. Ex operibus S. Cyrilli (Alexandrini) videntur indicari libri XVII De adoratione in spiritu et veritate; liber ejusdem de adoratione in Spiritum Sanctum nullus existit. Damasceni lib. IV. caput 13. De fide orthodoxa citandum erat (cf. supra pag. 99 et 196).

[2] Ibidem, videlicet Ps. 4, 7. 8.

Digitized by Google

Item psal. 49. Eusebius lib. VIII. de demonstratione. Augustinus ad Casulanum, et idem lib. XVII. de civitate Dei cap. XX. „Sacrificium et oblationem noluisti;“[1] id est cruentum et incruentum sacrificium legis, ut voces Hebraeae significant. Et utrique successit Christus, pro primo in cruce, et pro secundo in eucharistia. Et quum sequitur: „Corpus autem aptasti mihi;“[2] quod de eucharistia intelligitur. Itemque psalm. 50: „Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes“ etc., et: „Ut aedificentur muri Jerusalem,“ id est ecclesiae, in qua fundamentum positum est, quod est Christus Jesus; tunc scilicet „acceptabis sacrificium justitiae“ etc. Item psal. 61: „Erit firmamentum in terra in summis montium;“ firmamentum, id est substantificus panis, ut Rabboni, vel memorabile triticum, ut interpretatur Hieronymus; „et in summis montium“, id est supra capita sacerdotum. Item psal. 91: „Afferte Domino,“ etc. „Afferte hostiam“ etc.[3]

Item Lucae XXII.: „Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.“ Et pascha non de veteri, sed de novo intelligitur in eucharistia, ut Tertullianus lib. IV. in Marcionem, Theophylactus et b. Thomas et alii interpretantur. Et pascha sacrificium est, sive agnus sacrificatus. Item I. ad Corinth. V: „Expurgate vetus fermentum“ etc. „etenim pascha nostrum immolatus est Christus;“ ut docet b. Hieronymus in cap. I. ad Ephesios. At in cruce immolatum Christum non edimus; ergo immolatum in eucharistia. Item I. ad Cor. X.: „Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? etc. . . Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? etc. . . Non potestis mensae

[1] Ps 39. 7,

[2] Hebr. 5. 1; cf. Ps. 39. 7.

[3] Augustini liber De Gratia novi testamenti est inter epistolas ejusdem s. doctoris n. CXL, et locus huc pertinens legitur apud Migne 33. 573. Eusebius psalmi 39. (non 49.) versum 7. ad sacrificium missae applicat in lib. VIII. De demonstr. evang. apud Migne P. G. 22, 595. Epistola Augustini ad Casulanum est n. XXXVI. Migne P. L. 33, 138. Augustini verba allegata inveniuntur apud Migne P. L. 41, 556.

Digitized by Google

Domini participes esse et mensae daemoniorum.“[1] Si immolata in lege reponebantur in altari suo, et immolata idolis a gentibus edebantur, ergo et corpus Domini immolatur, quod est in mensa sacra, id est altari. Ita enim ibi comparat Paulus altare legis et gentilium idololatrarum cum mensa nostra. Item cap. XIII. ad Hebraeos: „Optimum est gratia (scilicet eucharistiae) stabilire cor, non escis, quae non profuerunt ambulantibus in eis; habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.“ Quod de eucharistia intelligitur; ergo est sacrificium. Et ita intelligunt Theodoretus et Theophylactus. Item act. apost. XIII.: „Ministrantibus autem illis“ etc., ut Roffensis interpretatur, ministerium in sanctis. Item huc faciunt loci, qui de sacerdotio et sacrificio loquuntur, ut psal. 131: „Sacerdotes tui induantur justitiam“ etc. Isaiae LXI.: „Vos autem sacerdotes Dei,“ et LXVI.: „Assumam ex eis (id est gentibus) sacerdotes et levitas“ etc. Act. XIV.: „Quum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros“ etc. et ad Tit. I.: „Constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi;“ et I. ad Timoth. IV.: „Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.“ Item ad Hebr. VII.: „Translato enim sacerdotio, necesse est“ etc.; non enim dicit extincto, sed translato, quia apud nos manet sacerdotium; ergo et oblatio, ut idem Paulus ait.

Praeterea de hostia loquitur Isaias XIX.: „Et colent eum in hostiis“ etc. et cap. LVI.: „Holocausta eorum, et victimae eorum placebunt mihi super altari meo.“ Ierem. XXXIII.: „Et de sacerdotibus et de levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, et incendat sacrificium“ etc. Ezech. XLIV.: „Victimam et pro peccato et pro delicto ipsi comedent.“ Malach. III.: „Et erunt Domino offerentes sacrificium in justitia, et placebit Domino“ etc. et Matth. V.: „Si ergo offers munus tuum ad altare“ etc. Si autem habemus altare, habemus et ho-

[1] I. Cor 10. 16. 18. 21.

Digitized by Google

stiam. Item Genes. XIV. de Melchisedech, qui panem et vinum obtulit: „Erat enim sacerdos Dei altissimi“ etc. psalmista de Christo intelligit, quum ait psal. 109: „Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.“ Et si erat sacerdos, ergo obtulit; et panem jam oblatum protulit Abrahae, ut Abimelech sacerdos dedit panem sanctum et oblatum Davidi I. Reg. XII. Praeterea quum psal. 109. dicitur: „Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,“ non potest intelligi per oblationem in cruce, neque semel in coena factam, sed per oblationem in eucharistia, quae perpetuo fit, ut Oecumenius declarat in cap. V. ad Hebr. Probatur idem ex Lucae XXII.: „Hoc facite in meam commemorationem“ etc., id est ut ipse fecit, qui consecravit; benedixit enim et sacrificavit; ait enim: „Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur,“ et „calix, qui fundetur,“[1] eo scilicet tempore antequam in cruce pateretur.

Idemque ex traditione habetur, primo ex conciliis; Nicaeno cap. XIV., Ephesino epistola ad Nestorium, Chalcedonensi actione 3., Quinta Synodo act. 6., Lateranensi cap. Firmiter, Florentino in bulla Armenorum. Item ex summis pontificibus, ut Clemente epist. 2., Anacleto ep. 1., Evaristo ep. 2., Telesphoro ep. 1., Leone ep. 79., Alexandro De Consecr. dist. 2. Item ex doctoribus: Dionysio cap. III. ecclesiasticae hierarchiae, Ignatio epist. 10., Tertull. lib. 2. ad uxorem, Cypriano ep. 2. lib. 3., Lactantio lib. 4., Irenaeo lib. 4. cap. XXXII., Arnobio in psal. 4., Eucherio in Genes. cap. 1., Eusebio Caesariensi lib. 1. cap. X. de demonstratione evang., Victorino lib. 1. de trinitate, Ambrosio lib. 1. de officiis cap. XLVIII., Hieronymo in Vigilantium, Augustino lib. 16. de civitate Dei cap. XXII., Basilio lib. 2. cap. VIII. de baptismo, Chrysostomo lib. 6. de sacerdotio.[2]

[1] Luc. 22, 19. 20.

[2] Effatum concilii Nicaeni, si quod genuinum huc pertinet, potius in canone 18. exstat. Vide supra p. 195 n 1. Summorum pontificum testimonia in textu adducta, pseudoisidoriana sunt omnia excepto eo,

Digitized by Google

Probavit insuper idem ex rationibus. Sacrificium enim Melchisedech erat verum sacrificium et typus sacrificii Christi; ergo et hoc Christi erit sacrificium. Id etiam indicat nomen missae, quod mittantur angeli ad praesentandam hostiam Deo; et secundum Hebraeos sacrificium significat; haec autem moralia evangelium non abstulit. Est igitur eucharistia sacrificium, quia ei natura sacrificii convenit. Sacrificium enim proprie acceptum est sacrae rei factio, quod in eucharistia est. Item est in ea materia, videlicet Christus; forma, verba consecrationis; minister, sacerdos; finis, occupatio sancta, commercium Dei, participatio mensae Domini, gratiarum actio, impetratio beneficiorum et remissio vera peccatorum. Sacrificia autem antiquae legis remittebant peccata; ait enim Dominus: „Offerat sacrificium pro peccatis, et remittetur ei.“[1] Remittebant tamen peccata, sed non coram Deo, unde a Paulo „justitia carnis“ dicitur.[2] Non enim remit-

quod in Leonis epistola continetur, cujus tamen epistolae numerus falsus est; epistola nunc 59. numerata videtur intelligi. De Dionysio jam supra p. 195 n 1. Ex s. Ignatii Antiocheni epistolis genuinis huc saltem quodammodo pertinet cap. 4. ad Philadelphios et cap. 5 et 20. ad Ephesios, praeter locum ex ep. ad Smyrnaeos supra p. 195 n. 1 citatum. Cypriani illa eximia epistola significari videtur, quae fere integra de eucharistiae sacramento agit et ad Caecilium data est; nunc nr. 63, Migne P. L. 4, 373. Lactantius divinarum institutionum lib. IV. cap. 14. et 24. Iren. adversus haer. lib. IV. cap 18 (non IV, 32) ad rem nostram spectat; Migne P. G. 7, 1024. Arnobius junior l. c. Migne P. L. 53, 330. Eucherii Lugdunensis commentarii in Genesim, quae apud Migne P. L tom 50 exhibentur, dubii sunt. Euseb. cf. supra p. 205 n. 1. Victorin. item supra p. 196 n. 1. Ambrosii locus praeclarus, ad quem auctor infra iterum recurrit, hoc loco integer reddendus est: „Umbra in lege, imago in evangelio, veritas in coelestibus (Hebr. X. 1 ss.). Ante agnus offerebatur et vitulus, nunc Christus offertur; sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem; et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata dimittat; hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud patrem pro nobis quasi advocatus intervenit.“ De officiis ministrorum l. c. nr. 238, Migne P. L. 16, 94. — Aug. De civ. Dei l c Migne 41, 556. Basilii de baptismo opus dubiae originis est.

[1] Cf. Levit. IV, 19; Ezech. 45, 17. etc.

[2] Hebr. 9, 10.

Digitized by Google

tebant peccata vi sacrificii, sed fidei et contritionis; et quia non erant grata Deo, ut ad Hebr. Paulus dicit: „Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.“[1] Sacrificium vero crucis omnia peccata remittit, et ante baptismum et post commissa; ait enim Joannes, quod „sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.“[2] Eucharistia etiam peccata remittit; Christus enim ait (secundum lectionem graecam): „Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, et calix, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum.“ Et Joannes ait: Si ambulamus in luce (id est jam baptizati), „sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.“ Item sacerdotes pro peccatis offerunt, juxta Paulum.[3] Et quia hoc sacrificium succedit loco veterum, etiam per hoc illa supplet, quia remittit peccata, quod illa non faciebant.

Quod idem habetur ex traditione et consensu ecclesiae.

Sed eucharistia illorum tantum peccata remittit, qui fideles sunt, ut ostendit Augustinus ad Renatum, et habetur in conc. IV. Carthaginensi Non remittit igitur peccata ante baptismum sed post commissa, et omnia remittit. Unde Martialis dicit, quod non est aliud remedium ad mortem aeternam effugiendam et vitam aeternam comparandam. Et Ambrosius dicit, quod quoties offertur, fit remissio peccatorum. Remittit autem peccata vivorum fidelium et eorum, qui nos praecesserunt in veteri testamento, qui ab hoc sacrificio vim trahebant, ut Chrysost. hom. 1. ad Tim. II. et ad Matth. homilia XXVI. refert, et Rupertus lib de gloria et honore filii hominis. Agnus enim occisus est ab origine mundi. Juvat etiam fideles defunctos ex II. Machab. XII., quia si illa pro mortuis juvabant, multo magis in novo testamento; et ita habetur ex perpetua traditione et auctoritate ecclesiae.[4]

[1] Hebr. 10, 4. [2] I. Joh. 1, 7. [3] Hebr. 5, 1.

[4] Inter Augustini epistolas nulla, quae sit genuina, ad Renatum data est; liber I. De anima et ejus origine Renato monacho dedicatur. De synodo Carthaginensi IV. vide Hefele, Conciliengeschichte 2. edit. II, 68 ss. De Martiali supra p. 195 n. 1. Ambrosii effatum hic p. 201 n. 1. integrum sistitur. „Agnus occisus“: Apoc. 13, 8.

Digitized by Google

Remittuntur autem peccata per eucharistiam ex pacto Dei, quia ita ordinavit, ut ea ei offerretur; et quia etiam aliquo modo est cruenta, per repraesentationem et commemorationem, quam facit hostiae cruentae. In solo enim sanguine Christi peccata remittuntur, ut Paulus ait.[1] Eucharistia autem multis modis cruentam oblationem repraesentat. Primo: „Hoc facite in meam commemorationem"; commemorat et spiritualiter sanguinem effusum offert; iterat passionem et eam nobis applicat. Dionysius lib. de coelesti hierar. cap. IV. docet, qualiter nos de ea participamus.[2] Participant autem et vivi et mortui. Applicatur enim vivis quoad venialia sine sacramento alio per devotionem tantum, quo vero ad mortalia, medio sacramento poenitentiae. Defunctis autem applicatur per communionem spiritualem fidelium. Neque vero sacrificium eucharistiae pugnat cum sacrificio crucis; hoc enim ab illo vim habet et est praemium illius; arrogat igitur, non derogat passioni Christi, et Rupertus exequias passionis Christi vocat. Item per hoc satisfit justitiae Dei, et per hoc mors illa Christi nobis applicatur, et per hoc etiam manutenetur, quod Christus sit sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech; magnificatur gloria Dei, honorantur sacerdotes.

Quo vero ad ritus, id est ea, quae non sunt de essentia ipsius sacramenti, etiam retinendi sunt, quia boni sunt, neque scripturae repugnant, sed devotionem augent. Neque enim in scriptura reponi debuerunt, ut ostendit Basilius cap. XXVII. de Spiritu Sancto,[3] ubi reddit rationem, quare dogmata, ut ipse vocat, scribi non debeant. Sunt praeterea ab ecclesia praecepti, et a patribus approbati.

Quoad ipsos articulos, primus haereticus est. Missa enim sacrificium est, ut jam probatum est. Articulus se-

[1] Hebr. 9, 22.

[2] Ex Pseudodionysio forsitan caput IV. de ecclesiast. hierarchia allegandum erat.

[3] Basil. l. c. Migne P. G. 32, 186.

Digitized by Google

cundus[1] etiam est haereticus. Missam enim Christus instituit, quum dixit: Hoc facite etc., scilicet quoad consecrationem, oblationem et communionem. Alia autem non substantialia a Christo instituta non sunt; neque ritus etiam ab hominibus instituti sunt simpliciter; sed a Spiritu Sancto sic declarante. Caeteri articuli[2] omnes etiam haeretici sunt.

B.

De sacrificio a Christo in coena oblato.

(Theiner, Acta auth. concilii Tridentini II, 95.)

Don Jacobus Laynes, praepositus generalis soc. Jesu, qui solus ex patribus dicturus remanebat de canonibus et doctrina de missa:[3] Doctrina praeponatur, et corrigatur juxta patrum sententias. Christum obtulisse in coena, asserunt ultra XL patres, tum latini tum graeci, et tam antiqui quam recentiores; nemoque contradicit, nisi primo Lutherus et ejus sequaces; magisque credendum est illis sanctis, piis, doctis patribus, quam istis novatoribus impiis et scelestis hominibus. Tum ex auctoritate Melchisedech figurae; alias Christus illam figuram non adimplevisset; nec adimplevit in cruce, sed in coena. Et praeterea ubi est consecratio cum aliqua mystica actione, ibi est sacrificium; hujusmodi sunt in coena; ergo etc. Item verba illa: „Hoc facite“[4] . . intelliguntur, quod ipse fecit, ut Leo serm. VII. De coena Domini,[5] et alii doctores tradunt.

[1] „Missam non esse ex evangelio. neque a Christo institutam. sed inventam ab hominibus; neque eam esse opus bonum aut meritorium; imo in ea committi manifestam et multiplicem idololatriam. — Assertio haec habetur in apol. Aug. et apud Calvinum et Melanchthonem in locis communibus.“

[2] Videlicet articuli III.—X. exhibiti apud Theiner I. 602. 603.

[3] Exemplum doctrinae et canonum de missa, quod patribus concilii 6. Augusti 1562 examinandum traditum erat. impressum habetur apud Theiner II. 74 ss.

[4] Luc. 22, 19; I. Cor. 11, 24.

[5] Sermo VII. de passione Domini, al. sermo LVIII.. ubi c. 3 (Migne P. L. 54, 335) s. Leo ait: „Quum in Caiphae atrio tractaretur, quomodo Christus posset occidi, ille corporis et sanguinis sui ordinans sacramentum, docebat, qualis Deo hostia deberet offerri.“

Digitized by Google

Et alias ecclesia faceret quod Christus non fecerit; et ita ecclesia intellexit, se facere, quod Christus in coena fecit. Item verba illa: „Desiderio desideravi hoc pascha“[1] etc. doctores intellexerunt semper de eucharistia. Ergo fuit sacrificium, quia pascha non intelligitur de agno, sed de ipso corpore Christi. Praeterea Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Ergo habuit potestatem offerendi panem et vinum; ergo illa obtulit. Alias illa potestas fuisset otiosa; quod non est dicendum, quum praesertim Paulus dicat, proprium sacerdotis esse offerre.[2] Item Christus omnia, quae praecepit, prius docuit exemplo. Ergo multo magis in hoc, quia consecratio et sacrificatio non perfecte docentur absque exemplo. Item si Christus non sacrificavit, communio illa fuit profana; quia si non sacrificavit, non consecravit; et si consecravit, ergo sacrificavit. Et quum qui comedit de hostia, participat de altari, apostoli participarunt de hostia, ergo de altari; ergo Christus sacrificavit juxta ea, quae dicit Paulus I. Cor. X. Obtulit igitur expiatorie, et vere expiavit, id est peccata purgavit (nam id significat proprie expiatio). Christus enim dicit: „Hoc est corpus, quod pro vobis datur,“ id est in vestram utilitatem, etiamsi legeretur in futuro, dabitur, quum illa crucis oblatio jamjam peragenda erat. Item Paulus ad Hebraeos dicit, sacerdotes offerre pro peccatis;[3] quod multo magis fecit Christus. Et in missa Jacobi[4] dicitur, quod dedit spiritum suum in illa actione. Ergo peccata expiavit, quum spiritum suum dederit. Idem probavit ex patribus ut Chrysostom. in hom. I. de paschate, et homil. II. in Matth. Et si nostrum est idem sacrificium cum illo coenae, et nostrum est expiatorium, ergo et illud. Et nos facimus quod Christus fecit, nos expiamus, ergo et Christus. Et si erat initium passionis, ergo expiavit; et si erat sanguinis Christi,

[1] Luc. 22. 15. [2] Hebr. 5, 1.

[3] Ibid.

[4] Notum est, hanc liturgiam (quam exhibet Renaudot, Liturg. orient. coll. Paris. 1716, tom. II. p. 29 ss.) non esse opus S. Jacobi fratris Domini, sed posteriori aetate confectam esse.

Digitized by Google

ergo expiavit; et si erat gratiarum actionis, ergo expiavit, quia gratiarum actio Christi est expiatoria. Differt tamen ab illo crucis, ut nostrum. Nam nostrum non offertur nisi pro fidelibus et peccatis post baptismum; ita illud coenae profuit christianis tunc viventibus et defunctis, si qui erant christiani. Illud crucis profuit omnibus; sed opus est, ut applicetur, scilicet per sacramenta, quae sunt ut quidam canales, per quos passio Christi ad nos derivatur; quae etiam virtutem dabant circumcisioni, quae aliquo modo secundum aliquos expiavit, licet esset ante Christi passionem. Et omnes actus Christi in ejus vita fuerunt expiatorii et redemptorii, quos omnes in nostram salutem operatus est, et denique consummavit omnia in cruce. Erant enim omnes actus infiniti valoris et ex infinita charitate procedebant. Et quum dicitur, passio Christi nos redemit, passio Christi comprehendit omnes actus Christi, qui ea omnia eadem charitate fecit, quae tamen in cruce magis cognoscitur; unde dicit Christus: „Ut cognoscat mundus, quia diligo patrem. . Surgite, eamus“[1] etc. Est igitur crux consummatio omnium Christi passionum, et uti epilogus omnes passiones continebat. Quare Paulus dicit, quod propter obedientiam dedit illi Deus nomen supra omne nomen, et exaltavit illum[2] etc. Ergo tribuitur exaltatio Christi obedientiae, quae in omnibus passionibus Christi fuit, ergo non solius crucis.

Quod explicetur in doctrina, quod scilicet obtulit verum et plenum sacrificium.

IV. Vota duo de reformatione ecclesiae.

A.

Primum votum de reformatione.

(Theiner, Acta auth. concili Tridentini II, 299.)

Generalis Jesuitarum dixit:

Reformatio est reductio ecclesiae ad primam formam, et est duplex, videlicet, interioris hominis, qui consistit in

[1] Joh. 14, 31. [2] Phil. 2, 9.

Digitized by Google

spiritu adoptionis, et reformatio exterioris hominis, quae est secundum temporalia et ea, quae sunt exteriora. Quoad primam reformationem, est a Deo gratis. nobis cooperantibus. Et quia conversaturi sumus cum aliis, ideo in ecclesia est etiam necessaria reformatio extrinseca; et ad hanc reducuntur ea, quae ordinantur jure ecclesiastico; et est de rebus externis, quae quamvis non sint per se bonae, tamen juvant ad ea, quae sunt per se bona. In reformatione intrinseca potest esse excessus, et ideo est variabilis. Prima reformatio pertinet ad jus divinum; secunda ad jus positivum. Ex his sequitur, quod externa reformatio semper debet habere scopum ad internam reformationem; et hinc est, quod omnes leges debent cedere legi charitatis. Ad hoc allegavit Bernardum in lib. de praeceptis,[1] in quo divisit praecepta in stabilia et instabilia. Prima sunt praecepta divina; secunda humana, quae possunt mutari, et non a quocunque, sed ab habentibus auctoritatem, non quidem leviter et sine ratione, aut pro voluntate, sed rationabiliter possunt dispensari, videlicet ad lucrum et custodiam charitatis; quare non sunt mutanda, dum congruunt charitati; quum autem contraria sunt charitati, mutanda sunt, sed a praepositis. In condendis igitur canonibus attendendum est ad ea, quae sunt contra charitatem, et quae sunt cum charitate. His praesuppositis, respondetur ad I. canonem,[2] qui loquitur de institutione bonorum episcoporum: Primus modus institutionis est extraordinarius, qui est a Deo, et hic semper est bonus. Secundus modus est ordinarius, et hic est ab hominibus, et est duplex, aut per laicos, aut clericos; per laicos, scilicet per principes aut per populum; per clericos etiam duplex, aut per papam aut per alios clericos. Omnes hujusmodi electiones humanae possunt corrumpi. Nam homines eligentes pos-

[1] Ex libro s. Bernardi Claravall. De praecepto et dispensatione caput 2. (Migne P. L. 182, 863) huc pertinet.

[2] Agitur de formulis „canonum super abusibus circa sacramentum ordinis", quae patribus ad examinandum exhibitae fuerant die 10. Maji 1563. Exstant apud Theiner II, 264. Canon I. tractat „De examine promovendorum ad ecclesias cathedrales."

Digitized by Google

sunt peccare, et etiam absque peccato possunt eligere malos, putantes esse bonos, et hoc ex permissione Dei in vindictam contra peccata. Electiones humanae etiamsi sint bonae, tamen suapte natura una est melior alia. Nam electio per clericos est melior suapte natura, quam ea, quae fit per saeculares, quia clerici magis noscunt clericos, quam saeculares; item clericus ratione status est magis affectus divinis, quam saecularis; et clericus habet majorem influxum Dei, quia, caeteris paribus, dedicatus est divinis. Inter electiones autem saecularium melior est electio principum, quam populi. Etiam inter electiones faciendas per clericos melior est, quae fit per summum pontificem et per cardinales, quam quaecunque alia, quae fit per alios inferiores; nam haec fit per electissimos viros, quales debent esse cardinales, instituti ad curam ecclesiae. Haec electio sicut est optima, quum est ordinata, ita est pessima, quum est inordinata. Post hanc electionem succedit electio per suffraganeos cum metropolitano, et post hanc succedit electio canonicorum, quae est in Germania. Hae electiones ita se habent ad invicem, quod non omnibus nec ubique expedit eadem electio; sed juxta qualitates temporum, locorum et personarum diversae sunt electiones instituendae.

Ex his conclusit respondendo ad I. canonem nullam mutationem faciendam circa electiones.

Respondit dicentibus debere restitui electiones suffraganeis, quia id est de jure divino, dicens, quod ex hoc debent eis denegari, quia, tenentes praedictas electiones esse de jure divino, male sentiunt de fide. Sequeretur enim ex positione eorum, nunc non esse ecclesiam; quia, si ea electio esset juris divini, omnes electiones aliter factae sunt falsae; ergo episcopi non sunt episcopi, ergo error in ecclesia. Quare nullatenus dicendum est, de jure divino hujusmodi electiones esse. Neque his obstant aliqua dicta sanctorum, qui videntur dicere, has electiones esse divinas. Nam sancti non loquuntur de jure divino ita stricte, ut loquimur nos; sed omnes leges ecclesiasticas vocant divinas, quia sunt a Deo, quum sit opus spe-

Digitized by Google

ciali auxilio Dei ad condendas leges ecclesiasticas. Quaerere enim renovare antiquitates procedit ex instinctu diaboli.[1] Et hinc est, quod non quaerimus renovare jejunia et austeritates ecclesiae, quae sunt contra carnem; sed volumus hujusmodi electiones, quae inducunt novitatem in ecclesiam et sunt secundum carnem. Praeterea si hujusmodi electiones essent de jure divino, primi sanctissimi episcopi non fuissent episcopi; prout fuerunt instituti ab apostolis, qui mittebantur ad praedicandum ethnicis, nullo praesupposito assensu populi.

Ad argumentum, quod dicitur, has electiones renovandas, quia sunt antiquae, respondit: Imo non renovandae, quia sunt antiquae, et antiquatae tamquam malae. Quamvis enim illae electiones fuissent bonae apud antiquos, tamen possunt non esse bonae apud nos. Approbavit, quod dictum fuerat de malis electionibus, quae fiunt in Germania. Dixit se dubitare de Gallis id quaerentibus, ne ad hoc inducantur, quia deserti a Deo, forsan propter aliqualem separationem factam ab eis tempore concilii Basileensis.

Et quoad hunc I. canonem approbat dictum Quinqueecclesiensis;[2] sed examen positum in ipso canone non placet; sed examinatio ejus est totus discursus vitae suae.

[1] De hoc dicto Lainii aliisque ejusdem sententiis etiam Palaeottus in suis actis concilii Tridentini mentionem facit. Juxta Palaeottum Lainius dixit: „Igitur in reformatione non spectanda est omnino antiquitas nec etiam exemplum hujus vel illius sancti; sed tantum, an inserviat charitati pro praesenti tempore. Non est autem dubium, quod generaliter modus eligendi per clericos melior est, quam per laicos; quoniam facilius clerici notos habent mores clericorum quam laici, et Deus etiam facilius eis influit.“ Theiner II, 660.

[2] Episcopus Quinqueecclesiensis, Georgius Drascovitius, orator caesaris Ferdinandi, 28. Maji ejusdem anni votum suum de primo canone deque aliis propositis dixerat. Occasione autem primi canonis vehementer in tollendis abusibus circa episcoporum electionem institerat. Oratio ejus juxta Theiner (II, 286) hoc habuit exordium: „Primus canon nimis arduus ac difficilis est; leges autem possibiles esse debent. Neque populus ullo modo admittendus est in electione episcoporum; sed electiones ipsae capitulis, nominationes principibus, confirmationes papae reserventur. In quibus abusus, qui irrepserunt, removendi sunt. De

Digitized by Google

Quoad II. canonem[1] placet, quod omnes consecrentur. Nam qui non intendit perseverare in vita ecclesiastica, tenetur restituere omnes fructus, quos percepit. Improbavitque dictum illorum, qui dixerunt, episcopos non consecratos non habere votum in hoc concilio; quia hoc est actus jurisdictionis, non ordinis. III. placet. IV. placet; sed non fiant episcopi titulares nisi ex necessitate, et eis provideatur de idonea portione.

Reprobavitque opinionem illorum, qui dixerunt, titulares non esse veros episcopos. Quod dixit esse erroneum, quia tales consecrantur, ut caeteri episcopi, et si tales non essent episcopi, ecclesia erraret, quae tenet, consecratos ab eis esse vere consecratos; alioquin sequeretur non esse consecratos plures sacerdotes, et ex consequenti populus esset idololatra. Et hos episcopos esse necessarios, ait, propter magnas dioeceses, quae non expedit, ut dividantur in aliquibus partibus, prout in Germania, in quibus necessaria est potentia ecclesiasticorum. Deinde probavit, quod potest congrue fieri absoluta ordinatio, quae est duplex. Quaedam est illius, qui ordinatur non ad unam ecclesiam, sed indifferenter ad omnes, prout fuerunt ordinati apostoli, et haec est ordinatio evangelistarum, quae praefertur ordinationi episcoporum, qui ordinantur ad certas ecclesias. Alia ordinatio absoluta potest fieri ejus, qui non est ordinatus ad aliquam ecclesiam, nec habet jurisdictionem in aliqua ecclesia; adducens exemplum Paulini episcopi Nolani, qui ordinatus fuit presbyter ad nullam certam ecclesiam. Nec est necessarium, ut omnes ordinentur alligati aliquibus ecclesiis; nam fratres mendicantes

qualitatibus autem episcoporum satis actum est in praecedenti sessione; sed an ea observentur, hoc opus, hic labor est. In electionibus enim multi abusus orti sunt, praesertim in Germania. Admittuntur enim pueri ad canonicatus, etiam qui versati sunt in scholis haereticorum. Praeterea nullus doctus admittitur, sed tantum nobilis. Ita fit, ut quum praeficiendus est episcopus, nemo dignus inveniatur." Reliquam partem ejus voti vide apud Theiner l. c.

[1] Can. II. titulum habet: De consecrationibus episcoporum. Theiner II. 265.

Digitized by Google

debent mutari per diversa monasteria, et hoc expedit eis.[1]

Quoad aetatem ordinandorum nil immutandum esse de his, quae habent jura posteriora, quia post statuta posteriorum conciliorum non successit aliqua causa mutandi decreta ab eis facta. Incontinentiamque clericorum non esse ex defectu aetatis, sed ex defectu educationis. Educentur igitur juvenes in castitate, et habebimus castos sacerdotes. Dixitque, quod videtur esse instigatio daemonis ad destruendum sacerdotium, dum sub praetextu castitatis inducit, ut presbyteri fiant senes, ad hoc scilicet, ut nullus fiat presbyter. Inducit etiam diabolus ad statuenda ea, quae destruunt sacerdotium, sub praetextu, quod diaconus non fiat, nisi sciat praedicare, et alia hujusmodi.

Praeterea quod reformatio non consistit in legibus condendis, sed in observantia legum. Tres autem leges videntur esse necessariae ad reformationem: 1^0 ut unusquisque ingrediatur ad ecclesias canonice; 2^0 quod ecclesiastici ministrent canonice; 3^0 quod fiat magistratus, qui diligenter curet observari praedictas leges. Non placet, quod dicitur, quod celebret semel in mense; debent enim celebrare ad minus quibuslibet diebus festivis. Debentque recipi pueri in ecclesiis, ut ibi educentur, et postea si eis non placeret in illis manere, recedent jam bene educati. Dixit providendum, ne dentur ecclesiae consanguineis; hoc enim maximum malum in ecclesia est, ut ratione sanguinis curae ecclesiasticae conferantur ineptis. Abolendi sunt abusus, dum beneficia dantur ambitiosis, videlicet id appetentibus; abolendae sunt resignationes salvis fructibus, quae destruunt ecclesias. Quoad seminarium placet; sed statuendi sunt plures magistri in diversis scientiis. Laudavitque scholasticos; nam scholastica scientia valde illuminat intellectum.

[1] Addimus ex relatione Palaeotti apud Theiner II, 660: „Cuperet autem (Lainius) distribui per provincias aliquot episcopos a summo pontifice, qui assidue invigilarent, an a pastoribus sua munia rite praestentur et decreta s. synodi observentur."

Digitized by Google

Dixit etiam, quod lex divina praecipit universalia, lex autem ecclesiastica praecipit particularia, quae sunt adminicula ad observanda praecepta divina; et quia haec particularia sunt de rebus, quae patiuntur mutationes. Ideo in ecclesia debet esse princeps, videlicet papa, qui dispenset quando opus est. Non debet autem dispensare ad utilitatem propriam, sed communem. Quae potestas ei data est immediate a Christo, et ideo non potest aliquo modo tolli, quia inferior non potest contra superiorem; nam esset contra Christum, qui dedit hanc potestatem, si tolleretur; et quod si ei alligaretur potestas dispensandi, hoc succederet aliquando contra charitatem. Si dicatur, quod dispensator male utitur auctoritate, respondendum, quod non propter hoc potest tolli, quia si fieret hoc, fieret per legem positivam, quod esset nullum, quia princeps ecclesiasticus poterit cum illa dispensare. Nec princeps potest ad hoc obligari, etiam ex voto, quia ad tale votum non tenetur, quum accidit casus dispensandi ex charitate. Ad removendum autem abusus dispensationum, remedium esset: 1° ut praeciperetur populis, quod non peterent dispensationes absque magna causa; 2° ut dispensationes fierent gratis, et, ubi necessarium esset, imponeretur poena solutionis pecuniarum; ea pecunia distribueretur in usus pauperum. Dixitque, dispensationes esse antiquas, ut patet de Paulo, qui reconciliavit, quem antea excommunicaverat.[1]

[1] Ex Palaeotti actis concilii: „Tum alia multa addidit de dispensationibus et de exemptionibus adversus ea, quae nonnulli in summum pontificem dixerant, ac demum de ecclesiastica disciplina constituenda, ostendens hoc caput proprium esse Smi Di Ni, qui est pastor universalis ecclesiae; quum praesertim plurima ad ejus curiae mores atque instituta pertineant, quibus ipse rectius pro sua sapientia ac rerum usu poterit consulere Nec s. synodum in his esse occupandam, quae minori negotio majorique fructu Sanctitas sua erit constitutura. Quumque hic summi pontificis auctoritatem vehementius extolleret, non mirum, dixit, Gallos, qui post concilium lapsi essent, nunc justas erroris sui poenas persolvere.“ (Theiner l. c.) Id quod ultimis his verbis et simul in textu p. 127 de Gallis innuitur, Lainius jam supra p. 88 significavit.

Digitized by Google

B.

Secundum votum de reformatione.

(Theiner, Acta auth. concilii Tridentini II, 422.)

Generalis soc. Jesu protestatus est, se nihil velle dicere in praejudicium sedis apostolicae. Vicarius Christi pontifex romanus cognoscitur spiritualiter, dum cognoscitur ejus suprema auctoritas; cognoscitur etiam temporaliter, quando attendimus ad temporalia, quae sunt in pontifice, puta divitias et hujusmodi. In canonibus his[1] tollatur nimia prolixitas. Caveamus, ne recedamus a decretis sanctorum patrum. Et faciendae sunt leges, quae habeant executionem; hae autem leges non sunt hujusmodi, et quum tangant omnes, exceptis episcopis, ideo non videntur justae.

In I.[2]: Fiant orationes publicae et privatae, sede vacante, ac etiam in praedicationibus. Inducendus est populus ad confessionem et communionem, ut oratio melius exaudiatur. Dicatur, digniores, et addatur aliquid de aetate. In quacunque provincia eligantur tres sancti viri, quorum judicio proponantur promovendi ad episcopatum. Praecipua ratio episcopi eligendi est, ut non indigeat examine. Remaneat verbum, gratis. Ubi dicitur, in secundo consistorio, dicatur, si ita res exigat. Si pontifici placet, ut hic tractetur de cardinalibus, fiat de eis canon specialis. Deleatur illa clausula, postremo etc., quia videtur increpare pontificem. — In II.[3] dubitat, quod hoc non mandabitur executioni. Et dato quod mandaretur, nescio, an proderit ecclesiae, quod hujusmodi concilia celebrentur. Nam ex his poterunt succedere de facili schismata. Novus episcopus 1° anno visitet dioecesim. 2° cogat synodum episcopalem, 3°

[1] Loquitur de canonibus XXI, qui a patribus examinabantur a die 11. Septembris 1563 usque ad 2. Octobris ejusdem anni. Isti „canones reformationis" inveniuntur apud Theiner II, 371 ss.

[2] Canon primus agit de promovendis ad cathedrales ecclesias.

[3] Canonis secundi materia est conciliorum provincialium celebratio.

Digitized by Google

accedat ad concilium provinciale. Nec statuendum est aliquid de tempore concilii generalis, quia esset mutare dominium ecclesiasticum, quod debet esse monarchicum. Dixit, quod regulares deberent convenire in concilio provinciali, sicut in concilio generali. Nec in conciliis provincialibus debet derogari statutis regularium, quia sunt confirmata a sede apostolica; nam episcopi debent favere regularibus in suis privilegiis.

In IV. dubitat, an praecipuum munus episcoporum sit praedicare, vel potius offerre et orare pro populo. Dicatur ergo, quod episcopus alat praedicatores expensis suis. Nam iniquum est praecipere, ut populi alant praedicatores, quia hoc pertinet ad episcopum. Nec dicatur in particulari de tempore praedicationum, sed in generali. Permittatur regularibus praedicare in ecclesiis suis; scriptum est enim: „Noli prohibere benefacere eum, qui potest; si vales et ipse benefac.“[1]

In V.: Justum est, ut episcopus non judicetur nisi ab episcopo. Non admittantur contra eum testes, nisi fide digni. Sed in causis minoribus debent procedere contra eos archiepiscopi. Quod si sunt haeretici, prohibeatur iis praedicare; sed non ligentur manus pontificis, quando expedierit alio modo contra eos procedere.

In VI.: Quia in dominio regis Philippi vult ipse rex, ut tollantur exemptiones, et episcopi bene vivant, in his bonum est, ut ipsae exemptiones tollantur. In aliis autem locis, ubi domini temporales id nolunt aut episcopi sunt infames aut haeretici, non sunt tollendae exemptiones capitulorum; sed pro iis episcopis, quibus subduntur canonici, fiant aliquae leges de supellectili, et quomodo debeant se habere erga consanguineos. Fiatque lex, quomodo danda sunt beneficia consanguineis. Cassentur injustae pensiones, nec dentur pollentibus solo titulo, sed pauperibus episcopis. Qui non sunt utiles aut sufficientes, dentur eis coadjutores, et qui, ut fugiant residentiam, volunt renuntiare episcopatum, non admittantur, sed cogantur laborare. Et

[1] Prov. 3, 27

Digitized by Google

sicut fit justitia, ut capitula subjiciantur episcopis, ita episcopi se habeant cum capitulis juxta jus commune. Habeatur ratio exemptionis collegii Complutensis ac etiam universitatis Lovaniensis et Parisiensis. Ubi dicitur: quorum consilium sequi non teneantur, addatur: si id ex conscientia judicaverint.

In VII.[1] non detur aequalis potestas omnibus, sed alia distantibus ab Urbe, alia iis, qui sunt prope Urbem, et alia viris probatis, alia viris minus probatis. Et in his concessionibus nil praejudicetur inquisitioni. Nihil autem praejudicabitur, si tantum absolvant in foro conscientiae. Et ideo hujusmodi auctoritas poterit dari episcopis, et ut etiam possint alios ad id deputare.

VIII. de doctrina in lingua vulgari non placet. In IX.: fiat poenitentiarius, ubi fieri potest. X. et XI. placent. In XII.: Illi, qui sunt privilegiati et non abutuntur suis privilegiis, remaneant in eorum privilegiis. Milites Hierosolymitani, quando redibunt ad sua principia essentialia in observanda eorum regula, conserventur in suis privilegiis. In XIV.: Sicut fit unio beneficiorum pauperum, ita fiat divisio canonicatuum divitum. Fiat caput speciale de pensionibus; et 1° ecclesiae non graventur indebite pensionibus, 2° dentur benemeritis tantum, 3° praefigatur limes et terminus pensionibus. XV. placet. Sed mirum, quod Romae offeruntur in concha multa milliaria aureorum, et possunt accipi; sed quatrini, qui projiciuntur in concha, quando aliquis baptizatur, non possunt accipi. XVI. et XVII. placent.

[1] Canon VII. ita sonabat; „Ut episcopi plenius ac facilius munus suum ad commissi sibi gregis utilitatem possint exercere, liceat eis in irregularitatibus omnibus ex delicto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscunque casibus occultis, etiam sedi apostolicae reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in dioecesi sua per se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum vicariis, sit permissum."

Digitized by Google

In XVIII.: Unum beneficium sufficiens uni tantum detur, et habentes plura teneantur renuntiare infra tres menses. Nec sufficientia requiratur juxta nobilitatem personae, sed ministerium officii, ad quod designatum est beneficium illud; quia ecclesia non ordinatur ad ministros, sed ministri ad ecclesiam. Potest unus habere plura beneficia in utilitatem ecclesiae, puta quando deest pluralitas idoneorum pastorum, et ratione excellentiae aut in sanctitate aut in literis aut in nobilitate; ratione quarum conditionum unus potest magis prodesse pluribus, quam plures uni.

XIX. placet, ubi fieri potest. XX. placet, sed pontifex, quando ei videbitur, poterit dispensare. XXI. placet, dummodo non fiat injustitia; nec convenit, ut aliquo modo ligentur manus summo capiti, cui nullo modo praejudicandum est.

Digitized by Google

Pars altera.

Disputationes morales.

Instructiones.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Disputatio de usura variisque negotiis mercatorum.

1. Quia saepe saepius proposui et exaggeravi, quasi expediret ad Dei gloriam et laudem atque hujus,[1] imo totius christianae reipublicae utilitatem, si negotia frequentiora, quae a mercatoribus Januensibus exercentur, sincere et fideliter exponerentur sanctae sedi apostolicae, et ab eadem post maturam discussionem obtineretur responsum et exequutioni sub gravibus censuris mandaretur, quia, inquam, haec saepius inculcavi, nec tamen interim dixi, quid mihi videatur, ut saluti et conscientiae meae consulam, decrevi, casus praecipuos, et qui communius Januae exercentur, pertractare.

Inprimis tamen praefabimur aliqua de re ipsa, quam tractaturi sumus, et de doctore atque auditore, quem exigit, ut cum fructu tractetur.

Caput I. Quanti momenti sit res, de qua agitur.

2. Summa igitur semper est, non decipere in negotio fratrem suum, quum sic non solum facultatum patitur dispendium, sed et honoris, quia paupertas ridiculum et contemptibilem facere solet illum quem presserit; in corpore etiam necesse est illum pati, quum in rerum inopia convenienter ali et foveri non possit; laeditur etiam in anima proximus, quia frequenter per desperationem et animi de-

[1] Intellige *Januensis*. Vide quae ex praefatione nostra huc pertinent.

Digitized by Google

jectionem et impatientiam Deum offendit, et proximum etiam per injustitiam; ut merito sapiens deprecatus fuerit: „Mendacitatem et divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei.“[1] Neque solum, proximum in negotio decipiens, eum in facultatibus, honore, corpore et animo laedit, sed (quod maxime horrendum est) Deum ipsum optimum e corde repellit, viles res et stercora illi praeponendo, propter quas ejus dilectionem et praecepta contemnit. Idcirco Dominus merito avaro et fratres decipienti irascitur, dicente Paulo: „Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut praediximus vobis et testificati sumus.“[2]

3. Ut autem summe refert, non circumvenire in negotio proximum nec injuste agere in illum, ita summe difficile est, exacte perspicere, quando in negotiis interveniat hujusmodi deceptio et injustitia; tum quia scripturae et antiqui doctores de hac re in particulari minime tractant, sicut neque philosophi; tum etiam quia subtilitas mercatorum, ducente eos cupiditate („lucerna“ siquidem „impiorum est peccatum“[3]), tot technas invenit, ut vix facta nuda ipsa perspici possint, nedum dijudicari, ex quo quidem factum est, ut moderni tractatores, sive theologi sive juris periti, inter se varii sint et dissoni; tum demum, quia res haec, utpote moralis, tantum probabilitatem quandam admittit, et ejus naturae est, ut, vel minima circumstantia variata, judicium totius rei varium fieri debeat, ita ut opus sit Argum esse centumque oculos habere eum, qui tam varia negotia decidere exacte debeat, utque recte dixerit Basilius: „Verum intelligere justitiam magnae revera intelligentiae, ac mentis perfectissimae est.“

[1] Prov. 30. 8. 9.
[2] I. Thess. 4. 6.
[3] Prov. 21. 4.

Digitized by Google

Caput II. Qualis esse debeat doctor rei propositae.

4. Quamvis autem haec res cum summa difficultate agnoscatur, plures tamen volunt in ea docenda esse magistri. Nam theologus contendit, sui muneris esse, aequitatem vel injustitiam, quae in humanis commerciis reperitur, declarare. Jurisperitus contra a jurisprudentia rem hanc docendam esse putat. Mercator autem, utrumque paene despiciens, se solum in hac re peritum asserit et doctores, ut minus expertos, in negotiis refugit judices.

Veritas autem esse videtur, quod quisque horum trium in his, circa quae versatur, est aliis peritior, si caetera paria sint. Et ideo mercator, negotia ipsa versans, continuo melius poterit, si vult, factum ipsum proponere. Quia tamen lucro inhiat et modis, quibus lucretur, inveniendis, minusque versatur circa principia, per quae aequitas vel iniquitas bene dignoscitur, non potest de his bene judicare, quia, ut ipse asserit, doctores minus esse expertos in negotiis ipsis tractandis, ita ipse minus expertus est in eis judicandis, an justa vel injusta sint. Theologus autem, quia principia legis divinae et naturalis aequitatis tractat, melius poterit dignoscere, an contractus aliquis legi divinae et naturali consentiat vel ab ea dissonet. Sicut et jurisperitus melius intelligit, quae ex lege pendent humana, utpote, an contractus aliquis ex lege humana sit prohibitus, et qua poena puniendus sit, qui illum fecerit; scit enim melius jurisperitus, num contractus propositus a jure definitus sit usurarius, et illum faciens infamia sit puniendus et communione et oblatione et sepultura privandus et facultate condendi testamentum, nisi in eo cautionem faciat de restituendo; scit etiam melius formam et solemnitatem in contractu de jure servandam, quia ista omnia et similia ex voluntate et lege humana pendent, circa quam jurisperitus plus quam alii versatur. Ex quibus concludere possumus, eum (quantum ad scientiam attinet) convenienter tractare posse de hujusmodi contractibus, qui a mercatoribus diuturna et fideli collatione didicerit facta ipsa et negotia, ex scripturis autem

Digitized by Google

et philosophia morali didicerit principia divinae et naturalis aequitatis, a jurisperito vero ea, quae ex lege humana pendent.

5. Ultra scientiam vero opus est conscientia in harum rerum doctore, circa quam duo vitanda sunt.

Alterum est eorum, qui ex nimio timore turbati, ne verum cernere possint, nimis contra veritatem et rationem conscientias arctant et vexant. Ex quo non solum sequitur, ut in facultatibus noceant proximis, dum illi ab eis persuasi restituunt, quae non deberent, sed etiam requiem conscientiae vastant et in peccata incidere faciunt contra conscientiam operantes. Ideo scriptura talibus scrupulosis dixit: „Ne insidieris et quaeras impietatem in domo justi, et ne vastes requiem ejus,“[1] et alibi: „Pro eo, quod moerere fecistis cor justi mendaciter, quem ego non contristavi . ., propterea eruam populum meum de manu vestra,“[2] et iterum: „Qui justificat impium et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.“[3]

Alterum autem extremum est eorum, qui nimis laxant habenas conscientiis, justa esse docentes, quae revera injusta sunt. Quod quidem provenire potest quandoque ex inani gloria, nimis volente placere hominibus et nimis verente eos veritate contristare; quandoque ex carnali compassione praepostera et inordinata, dum non veretur crudelis esse animae, modo facultatibus et carni parcat; quandoque vero provenit ex avaritia, cui melius, qui hujusmodi sunt, consulunt, si adulentur divitibus et eorum injustitiis conniveant, quam si veritatem eis sincere proponant, quae odium parere solet, eo quod male dispositis amara sit, licet nunquam injusta. Ideo Dominus hujusmodi doctoribus comminatur dicens: „Vae qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas, et quum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum, et violabant me ad populum meum propter pugillum

[1] Prov. 24, 15.
[2] Ezech. 13, 22. 23.
[3] Prov. 17, 15.

Digitized by Google

hordei et fragmen panis, ut interficerent animas, quae non moriuntur, et vivificarent animas, quae non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis."[1] Illi vero consuunt pulvillos et faciunt cervicalia propter pugillum hordei et fragmen panis, qui avaritia et muneribus seducti, mendacia fingunt, quibus consolenter eos, qui ex rapina et iniquitate incrassati et impinguati, ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Hos revera capiunt et illaqueant falsi doctores, licet se eos vivificare mentiantur. In eosdem quoque doctores adulantes divitibus ait Isaias: „Et disperdet Dominus ab Israel caput et caudam, incurvantem et refrenantem die una. Longaevus et honorabilis, ipse est caput; et propheta docens mendacium, ipse est cauda; et erunt qui beatificant populum istum, seducentes, et qui beatificantur, praecipitati."[2] Haec Isaias, recte virum longaevum et honorabilem caput appellans, et incurvantem pseudoprophetam sicut caudam, eo quod tales injusti divites premere et incurvare soleant pauperes, et ducere ad sua vota falsos doctores, a quibus depravantur, quique divites, quibus blandiuntur, quasi cauda caput sequi solent.

Doctor igitur christianus inter haec duo extrema media et regia via incedere debet, ut neque mendaciis et vano timore mendacii conscientias vexet et scrupulosas reddat, docens culpam esse, ubi non est, neque rursus viam aperiat injustitiae, cupiditati applaudens et fuco adumbrans iniquitatem, ut justitiam esse mentiatur in animarum perniciem et saepe etiam corporum. Ad quam rem non parum juvat ipsius justitiae amor, dicente Basilio: „Argumentum justae affectionis est circa judicandum rectitudo."

Caput III. Qualis auditor esse debeat hujus doctrinae.

6. Ut autem doctor recta scientia et conscientia praeditus esse debet, ut, quae spectant ad humana negotia,

[1] Ezech. 13. 18. 19. [2] Is 9, 14—16.

Digitized by Google

congrue docere possit, ita etiam auditor recte disponi debet, quo fructum audiendo percipiat. Triplex autem in genere potest esse eorum, qui audiunt haec, dispositio, pessima scilicet et optima et media.

Illi autem pessime dispositi sunt, qui adeo amore terrenorum inescati sunt et obcaecati, ut fidei, quam in baptismo susceperunt et professi sunt, jacturam fecerint. De quibus ait apostolus: „Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem; radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis.“[1] Hujusmodi ergo, qui fidem amisit, idololatris et pharisaeis pejor est; quia illi evangelium non susceperunt, hic vere susceptum et professum irridet. Ideo imminet ei aeterna damnatio, maximaque Dei misericordia esset, si terrenis, quae perdite amat, privaretur, ut eis, quasi idolis, expoliatus, ad Deum vivum converteretur, cujus nunc judicium despicit, dicente David: „Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo, non requiret.“[2] Quia enim impius putat, Deum non requisiturum bona ad praemium et mala ad supplicium, Deum irritat in peccatis suis.

Optima autem dispositio esset ejus, qui viva fide penetrans illam sententiam Domini: „Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?“[3] omnia terrena prae aeternis velut stercora reputat, et ideo tota animi promptitudine desiderat scire, quid justum sit, ut illud exequatur, quid etiam iniquum, ut illud fugiat, quid debeat proximo, ut illud reddat; Zachaeum illum evangelicum sequens, qui dicebat ad Dominum: „Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.“[4]

[1] I. Tim. 6, 9. 10.
[2] Ps. 9 (Ps. 9. sec. Hebr.), 13.
[3] Mat. 16, 26.
[4] Luc. 19, 8.

Digitized by Google

7. Media autem dispositio, et quae in pluribus puto reperietur, est eorum, qui quum habeant fidem, infirmi in ea sunt et amor terrenorum adhuc in eis regnat. Ex quo fit, ut nec cupiant scire veritatem, nec prompti sint, ut eam exequantur. Ut enim fur nollet exire carcerem, quantumvis tetrum, quia non sperat exitum, nisi forte ad suspendium, ita hi, qui timent facere jacturam rerum, quas nimis amant, vel amittere qualemcumque pacem conscientiae, quam possident, verentur et detrectant audire veritatem. Sed hujusmodi, si sapientes sunt, orabunt Dominum, ut adaugeat illis fidem et spem. Considerabunt etiam, se non esse tutos, quia debet homo diligere judicium et inquirere veritatem suae saluti necessariam. „Sapientia autem", ut ait Job, „trahitur de occultis;[1]" et datur a Domino affluenter his, qui eam in fide postulant;[2] venient autem ei omnia bona pariter cum illa,[3] quia quies et sufficientia omnis in rerum abundantia non consistit, sed in cupiditatis diminutione. Sequantur igitur, qui ita dispositi sunt, Zachaeum. Is enim, quia statura pusillus erat, non poterat prae turba videre Jesum; quem vidit tandem, ascendens in arborem sycomorum.[4] Ita igitur hi nostri, quia fide, spe et amore pusilli sunt, et turbam habent impedientem, quo minus Jesum et veritatem videant, hoc est multorum exempla et consuetudinem, qui illicite negotiantur, opus est, ut hac turba relicta, sycomorum ascendant, inanes excusationes in peccatis conculcantes et contemnentes; quia nulla sapientia contra Dominum, cui reddituri sunt de factis propriis rationem. Qui enim hoc meditatur et fide viva considerat, si dederit omnem substantiam suam pro animae suae dilectione, quasi nihil despiciet eam.[5]

Caput IV. Disputationis divisio.

8. His praefatis, quae de re ipsa et ejus doctore et auditore diximus, rem ipsam communiter aggrediendo

[1] Job. 28, 18. [2] Cf. Jac. 1, 5. 6. [3] Cf. Sap 7, 11.
[4] Luc. 19, 4. [5] Cant. 8, 7.

Digitized by Google

agemus inprimis de usura in genere, deinde de usura, quae reperitur in cambiis, tertio de ea, quae reperitur in venditione ad tempus et in emptione, anticipata solutione. Ad haec enim capita reduci possunt frequentiora negotia mercatorum Januensium. Quibus demum de remediis, quibus usura extirpari possit, aliquid addemus.

De usura autem dicemus 1^0 quid sit; 2^0 an sit peccatum; 3^0 si est peccatum, an sit peccatum, quia prohibitum, vel potius prohibitum, quia peccatum; hoc est, an usura sit mala, quia prohibita solum lege positiva, an etiam sit contraria legi naturae; 4^0 quale peccatum sit et quam nocivum; 5^0 qui sint communes casus, in quibus videtur usura esse et non est; 6^0 qui sint rursus casus magis communes, in quibus reperiatur usura.

Quoad primum igitur usurae nomen duo significat; aut enim est lucrum ex mutuo principaliter intentum, aut est actus, quo tale lucrum acquirimus vel speramus.

Caput V. Definitio usurae.

9. Accipiendo igitur usuram pro actu, potest sic definiri: Usura est, aliquid ultra sortem accipere vel sperare ob mutuum. In qua definitione verbum *accipere* ex veteri testamento est deductum, verbum vero *sperare* ex novo. Quia enim lex vetus pro ratione illius rudis temporis et crassi populi manum praesertim cohibebat, ideo *acceptio* in veteri testamento prohibetur, dicente Domino: „Non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges.“[1] Et rursus de justo ait Ezechiel: „Ad usuram non accommodavit et amplius non accepit,“[2] et infra: „Si genuerit filium . . ad usuram dantem, et amplius accipientem.“[3] Quia vero novum testamentum cohibet praesertim animum, ideo etiam ipsam *spem* prohibet, Christo dicente: „Mutuum date, nihil inde sperantes.“[4] Ut enim, lege dicente: „Non occidas,“ Christus etiam iram vetuit,

[1] Lev. 25, 37.
[2] Ezech 18, 8.
[3] Ezech. 18, 10. 13.
[4] Luc. 6, 35.

Digitized by Google

ita lege prohibente acceptionem alicujus rei ultra sortem, evangelium etiam ipsam spem et deliberatum desiderium prohibet.

10. In „acceptione“ autem, quae hac definitione ponitur, intelliguntur omnes actus mali exteriores, qui in hac re interveniunt, quales sunt non solum acceptio ipsa lucri, sed exactio et pactum de usura danda, et mutuatio ipsa ob lucrum ex mutuo. Qui enim ita mutuat vel pactum facit vel exigit vel accipit, usurarius externus est, sicut, qui solum sperat, usurarius mentalis est. Verbum enim sperandi spem deliberatam significat, et non motum quendam repentinum et minus voluntarium.

Ob mutuum autem dicitur, quia, ut sit usura, opus est, ut ex mutuo et non ex benevolentia vel amicitia vel gratitudine vel liberalitate aliquid speret vel accipiat. Tunc autem lucrum accipitur vel speratur ob mutuum, quum finis mutui est ipsum lucrum, et non solum causa quaedam impulsiva, quales solent esse distributiones, quae horis statutis dantur clericis; licet enim, si non essent illae distributiones, clerici, etiam timentes Deum, non interessent divino officio horis illis statutis, tamen finis illorum, si Deum timent, est divinus cultus. Ita etiam potest quis citra usuram impelli ad mutuandum, modo finis non sit illud lucrum, sed proximi charitas vel ejus benevolentia. Quod tunc evenit, quando, qui mutuat, videt in corde suo et coram Deo, quod non habet lucrum illud tamquam finem, licet fortasse sine illo non mutuaret, et quando videt, se id velle non ex mutuo, sed (ut dictum est) ex liberalitate vel gratitudine vel benevolentia. Quod etiam alio exemplo manifestari potest. Si enim quis decrevisset, domi manere, et postea invitatus ab amico iret ad sacrum, clarum est, quod amicus non esset finis illuc eundi, sed causa tantum impulsiva. Qui igitur ita mutuat ob lucrum, alias non mutuaturus, sicut it ad sacrum ob amicum, alias non iturus, non committit usuram, quia non accipit vel sperat lucrum ob mutuum. Est autem mutuum aut res ipsa mutuata, aut est actio ipsa et contractus, quo quis

Digitized by Google

rem, quae usu consumitur, in alterius dominium transfert cum onere post aliquod tempus reddendi aequale.

Ex dictis igitur constat, illum esse usurarium, qui mutuat vel facit pactum, vel exigit vel accipit aliquid ultra sortem intentum ex mutuo. Usuram vero esse vel lucrum ipsum ex mutuo principaliter intentum, vel actum ipsum jam dictum mutuandi.

Et haec de primo considerando, hoc est de usurae definitione.

Caput VI. Usuram vetitam esse lege tum divina tum humana.

11. Quoad secundum vero, quo quaeritur, an usura sit peccatum, respondendum, quod, si usura pro lucro ipso accipitur (juxta illud Ezechielis: „Si usuram et superabundantiam non acceperit"), manifestum est, eam non esse peccatum. Si autem accipiatur pro actu ipso mutuandi ob lucrum, vel lucrum exigendi, accipiendi vel sperandi, est plane peccatum. Quae quidem exemplo manifestari possunt. Nam ut concubina non est peccatum, sed concubinam habere et illa abuti, ita etiam lucrum usurarium peccatum non est, sed ejus abusus.

Quod autem usura, hoc secundo modo accepta, peccatum sit, ex eo patet, quia lege divina et humana prohibetur.

12. Et quoad legem quidem divinam, quia suaviter et ordinate procedit, initio populo rudi et inter gentiles versanti, qui immanes usuras exercebant[1], non statim prohibuit omnimode usuram; sed, quantum ex textu intelligere possumus, prohibuit usuram a fratribus pauperibus extorquere. Sic enim dicitur: „Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi . . non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes,"[2] et alibi: „Si attenuatus fuerit frater tuus et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec amplius, quam dedisti. Time Deum

[1] Ms. II. *exercebant.* [2] Exod. 22, 25.

Digitized by Google

tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges."[1] In Deuteronomio autem, longe post Exodum et Leviticum scripto, prohibetur usura, quae fit non solum cum fratre paupere, sed etiam cum quocunque fratre; permittitur tamen, ut cum alieno, id est gentili, fieret; sic ad tempus Domino dispensante ob populi illius duritiam et gentilis punitionem. Sic ergo ibi dicitur: „Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno; fratri autem tuo absque usura id, quo indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris possidendam."[2] Tempore autem prophetarum posteriorum, jam magis diffuso Domini lumine et populo minus immaturo, Domino clarius innuente declaratum est, usuram cum quovis homine commissam de se peccatum esse, nisi de Domini (ut dictum est) dispensatione fuisset illi populo ad tempus indulta. Quum enim quaereret David: „Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?" inter alia respondet: „Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit."[3] Ezechiel quoque inter officia necessaria juste connumerat, ad usuram non accommodare, et amplius non accipere, sicut inter iniquitates hominis impii ad usuram dare, et amplius accipere ponit.[4] Dominus autem, mundo jam maturo, per se ipsum dignatus est omnem usuram, etiam quae sola mente fit, prohibere. Sic enim ait: „Mutuum date nihil inde sperantes."[5] In qua sententia non videtur praecipere, ut mutuemus etiam ipsam rem[6] non sperando; id enim donare esset potius quam mutuare; sed quia lex, ut dictum est, prohibet, usuram et superabundantiam accipere, Dominus etiam ipsam spem prohibet, ut jam diximus.

13. Lege quoque canonica usura prohibetur multis in locis. Prius enim prohibita est clericis, ut patere poterit legenti

[1] Lev. 25. 35. 36.
[2] Deut. 23. 19. 20.
[3] Ps. 14. 1. 5.
[4] Ezech. 18, 8. 12.
[5] Luc. 6, 35.
[6] *Rem* deest in Ms. II.

Digitized by Google

distinctionem 47. Gratiani, et quaest. 4. causae 14. ejusdem; ibi enim a diversis conciliis et decretis prohibetur clericis usura, jubenturque excommunicari et deponi, si non abstinuerint. Posterioribus autem decretis etiam laicis prohibita est, ut patet distinct. 46. cap. Seditionarios[1] et cap. Ne hoc;[2] et extra de usuris cap. Quia in omnibus;[3] et de usura lib. 6. cap. Usurarum[4] et cap. Quamquam.[5] In quibus, ut aliis locis variis, poenis mulctatur usurarius. Nam infamia punitur, et communione et oblatione et sepultura privatur, et facultate etiam condendi testamentum, ni restituat vel cautionem faciat de restituendo.

14. Lege etiam civili prohibentur quaedam immanes usurae; velut improbum foenus usuras usurarum extorquens, et usuram centesimam, quae 12 pro quovis 100 quotannis exigit. Reliquas autem minores usuras permittit Justinianus; neque solum permittit, ut meretrices juste permittantur, sed etiam lege sancit, ut exigantur vel solvantur. In quo merito reprehenditur a quibusdam theologis, quia hujusmodi statuta, in legem divinam militantia, iniqua sunt nec legis nomine digna. Ideo merito improbatur in concilio Viennensi, ubi etiam definitur, usuram peccatum esse, sic dicente concilio: „Sane si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare praesumat, exercere usuras, non esse peccatum, decernimus eum velut haereticum puniendum.“[6]

Caput VII. Usuram vetitam esse lege naturali.

15. Est autem usura prohibita, quia peccatum est et contra legem naturae pugnans. Quod variis rationibus ostendi potest. 1° Quia in lege veteri prohibetur, ut dictum est, et concilium Nicaenum contra legem divinam usuram esse dicat, ut patet ex distinctione 47. cap. Quoniam,[1] manifestum est, illam prohibitionem scripturae non spectare ad judicia vel caeremonias, sed moralem esse, et

[1] Est c. 8. distinctionis 46. [2] C 8. qu. 4. causa 14.
[3] C. 3. (V. 19). [4] C. 1. (V. 5). [5] C. 2. (V. 5).
[6] C. un. De usuris lib. V. tit. 5. in Clem.

Digitized by Google

ideo usuram lege naturae prohibitam. Ideo Aristoteles hac lege instructus, usuram vituperabilem dicit et odiosam et maxime praeter naturam, quod nummum, natura sterilem, nummos parere faciat.[2] Ob quod foenus dicitur latine, graece τόκος, partus. Ut enim D. Basilius ait: „Usura pecuniam parit cum dolore solventis, cujus viscera quasi a viperis roduntur. Sic autem usura est omnibus animantibus monstruosior, quod hodie nata parere incipit, nec unquam parere desinit, quum tamen animalia, quae cito pariunt, cito etiam parere desinunt, et filiis parientibus cessent patres."[3] Idem Basilius ait: „Ajunt, lepores simul parere et educare ac superfoetare; etiam foeneratoribus pecuniae simul dantur ad usuram et generant et subnascuntur."[4] Hebraei autem illam morsum appellant, quod proximum contra jura naturae laedat et mordeat, quum tamen naturae et rationi consentaneum sit, membrum membro sine pretio communicare, sicut natura et ratio mutuum adinvenit, ut mutuo accipienti beneficium fieret. Ideo praeter naturam est, eum mutuo laedere, sicut etiam est, ita pecunia abuti, quia est ultra ejus primarium et secundarium finem. Ut enim primarius vini usus est, eo uti ad potum, secundarius, id vendere, ita primarius usus pecuniae est servire commutationi necessariae rei familiari vel publicae, secundarius autem servire negotiationi ad lucrum tendenti. Praeter naturam autem est, ea abuti, ut pecuniam pariat. Unde et usura dicta est, quasi nimius et innaturalis rei usus.

16. 2° Videtur praeterea, usuram esse contra naturam, quia est contra justitiam commutativam, quae aequalitatem exigit inter datum et acceptum. Usurarius enim hanc aequalitatem tollit. Nam quum 100 exempli gratia dederit, 100 et 10 exigit. Illa ergo 10 superabundantia injuste et inaequaliter exigit, quia nihil est, pro quo reddantur. Non enim redduntur pro usu illorum centum, quia

[1] C. 2 dist. 47. ex Conc Nicaeni can. 17. Cf. Hefele Conciliengeschichte 2. edit I. 421. [2] Arist. Polit. l. I. c. 3.
[3] Basil. hom. 1. in ps. 14. n. 3. Migne P. G. 29, 273.
[4] Ibid. n. 3.

Digitized by Google

hoc ipso, quod mutuata sunt, qui mutuo accepit factus est illorum dominus, et ideo iniquum est, pro usu rei suae ab aliquo quidquam extorquere; deinde quum illa reddit 100, reddit usum ipsorum 100. Ut enim, qui mutuo dat, ad usum dat id, quod mutuat, ita etiam, qui mutuum reddit, ad usum reddit; et ut iniquum esset, panem justo pretio vendere, et iterum aliquid pro ejus usu exigere, quia simul cum pane emptus est ejus usus, ita etiam iniquum est, pecuniam mutuare, et pro usu aliquid exigere, quia ad usum mutuata est; est enim perinde, ac si eadem merces bis venderetur, semel scilicet pro 100, et iterum pro 10. Neque dici potest, reddi illa 10 quia mutuans privavit se usu suarum pecuniarum; ex illa enim privatione nec damnum incurrit nec lucrum illi cessat, ut supponitur, sed tantum commodum illi, qui mutuo accipit, obvenit sine damno mutuantis; ideo ei vendi non debet, et privatio usus nihil valet. Sed nec redduntur illa 10, quia 100 mutuata fuerunt instrumentum industriae ad lucrum; quia licet sint instrumentum, ipso tamen usu consumuntur; ideo non valent plus quam 100 alia. Licet etiam sint instrumentum, vi tamen mutui facta sunt ipsius mutuo accipientis; ideo illi, et non mutuanti, debent lucrari; iniquum enim esset, si quis mutuaret instrumentum fabrile, velle lucrari ex usu ejus, et insuper velle aliud instrumentum aeque pretiosum; quamvis liceat locare instrumentum suum, et retento ejus dominio justum pretium pro usu accipere.[1]

Sed nec exiguntur illa 10 ob commodum vel lucrum ipsius mutuo accipientis, quia saepe ita accidit, ut inde non lucretur; et, si accidit, lucrum ex industria sua et pecunia sua per mutuum facta oritur, et ideo sibi proficere debet. Sed nec exigi debent illa 10 pro fructu ipsius pecuniae mutuatae, quia pecunia non parit. Nec ratione expectationis, quia sat est, aequale post praefixum tempus reddere, et bis vendi non debet; nec potest, quia praesens commune est omnibus, nec pro illo tantum fit mutuum,

[1] Exponit praefatio, quare haec omnia et quae sequuntur („pecunia non parit" etc.) ad tempora nostra simpliciter applicari nequeant.

Digitized by Google

praeteritum autem et futurum non sunt, ideo nec vendi possunt.

17. 3° Demum videtur usura esse contra naturam, quia contra eam regulam militat: Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Et saepius gravatum amplius gravat. Si enim quis 100 accipiat ab usurario et totidem, quae alii debebat, solvat, recedet plus gravatus, utpote debens 100 et 10.

Denique licet ratio ipsa non convinceret, sufficere deberet christiano, quod Deus omnium rerum Dominus vult gratis mutuum fieri. Ut enim impudens esset thesaurarius regis, qui nollet juxta voluntatem regis pecunias regias dispensare, ita impudens est christianus, qui, se cognoscens dispensatorem, non mutuat gratis juxta Domini voluntatem dicentis: „Mutuum date, nihil inde sperantes."

Caput VIII. Quam noxia usura sit.

18. Non solum usura peccatum est, sed grave peccatum. Quod videri potest ex nocumentis privatis et publicis, quae tum animis tum corporibus ex ea oriuntur.

Et quoad privata, nocet in primis animae usurarii, quia peccato usurae inficitur, quod latrocinio a Domino comparatur, ipso dicente ad nummularios: „Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum."[1] Quinimo usurarius fure et latrone est pejor, quo magis eo est assiduus et familiaris, et ita sagax, ut etiam volenti vestes auferat, quas loco pignoris accipit et tandem usurpat; est enim ut teredo tactu quidem mollis et blandus, sed dente acutissimo terebrans et rodens substantiam. Nocet etiam, animam avaritia polluendo plus quam alia exercitia. Agricolae enim et artifices et licite negotiantes et milites et sapientes, quia cum labore et periculo substantiae lucrantur, non possunt divitias ita amare multum, quas tot amaritudinibus respersas vident; usurarius autem, qui sine labore, tantum dormiens quantum vigilans, lucratur, tantum diebus festis ac non

[1] Mat. 21, 13.

Digitized by Google

festis, suavissimas reputat pecunias, et illis sine freno et modo inhiat; ut de illo merito dictum sit a Magno Basilio: „Canes accipientes mansuefiunt, foenerator accipiens amplius irritatur; et quia avaritiam sequitur superbia et vanitas et luxuria et gula et omne malum, merito dictum est: ‚Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam‘.“[1] Nocet etiam usura privatis bonis, quia, Deo ita permittente et ordinante, etiam alia juste parta solet consumere, scriptura dicente: „Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt,“[2] et rursus: „Custoditur justo substantia peccatoris,“[3] et alibi: „Vae qui congregat avaritiam malam domui suae . . et liberari se putat de manu mali,“[4] et iterum: „Qui coacervat divitias usuris et foenore liberali, in pauperes congregat eas.“[5]

19. Nocet etiam usura publico, tum quia impedit negotiationem, quae publico prodest, dum multos artifices habet occupatos suis mercibus, multos etiam ministros; quae prodest principibus, quibus solvit vectigalia, et provinciis, quibus vel copiam rerum vel pecuniam affert. Quae bona omnia e medio tollit usura, quia usuris vacans sibi solus prodest, paucos occupat ministros, pauciores artifices, et quum omnibus noceat, nulli prodest. Est etiam causa penuriae, tum quia usurarii non libenter mutuant pauperibus, qui terram colunt, et ideo agri saepe inculti manent, tum etiam quia artifices et mercatores, ad usuram accipientes, carius merces venduntur.

Remanent etiam multi otiosi, dum ex mutuo dato vel accepto vivunt. Pignora etiam consumuntur et alio vendenda mittuntur. Ex quo etiam penuria consequitur. Nascuntur etiam discordiae in civitatibus ex invidia et odio pauperum erga divites, praesertim si ab eis expoliati sunt. Nocet etiam publico in hoc, quod multos involvit culpa et poena usurae; utpote haeredes et legatarios, domesticos recipientes ab eis dona vel salaria, mutuantes eis, eos absolventes, eleemosynas vel oblationes ab eis susci-

[1] Ps. 100, 5.
[2] Job. 15, 34.
[3] Prov. 13, 22.
[4] Habac. 2, 9.
[5] Prov. 28, 8.

Digitized by Google

pientes, vel sepelientes, locantes eis domos, sustinentes eos in suis terris, statuta in eorum favorem facientes, vel facta servantes, tutores, eos sepelientes, notarios, testes, pararios, ministros, socios, officiales, faventes etc.

20. Solet quoque Dominus flagella sua immittere usurariis populis, dum aqua vel igni vel bello vel peste in eos saevit. Unde David dicit: „Praecipita, Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate; die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, et labor in medio ejus et injustitia; et non deficiet de plateis ejus usura et dolus.“[1] Solet etiam Dominus hujusmodi usurarios infamia punire et eos publico odio et irrisione exponere. Quibus illud Salomonis convenit: „Qui relinquunt iter rectum et ambulant per vias tenebrosas; qui laetantur, quum male fecerint, et exultant in rebus pessimis; quorum viae perversae sunt et infames gressus eorum.“[2] Insipientia ergo et blasphemia est, asserere, respublicas sine usura durare non posse. Quum enim Deus velit civitates usque in finem manere, si sine usura permanere non possent, procul dubio usuram non prohibuisset, falsoque promisisset: „Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.“[3] Quod experientia docuit primaevos christianos et docet quotidie vere credentes.

Vanum est ergo dicere, quod non inveniretur, qui mutuaret, saltem non commode inveniretur; quia ubi prohibita esset mutuatio usuraria, inveniretur gratuita; et praestaret, quod quaerens mutuum, ut otiaretur vel luderet vel cupide et injuste negotiaretur, non inveniret; pro aliis autem, qui vere egerent, posset constitui pietatis mons; et praestaret pauca ob hanc causam, quam tot mala ex usuris orta perpeti.

Caput IX. Casus, qui videntur usurarii et non sunt.

21. Quia ex rei definitione juxta Aristotelis doctrinam pendet solutio quaestionum, quae oriri possunt de re

[1] Ps 54. 10—12. [2] Prov. 2. 13—15. [3] Luc 12. 31.

Digitized by Google

definita, ex definitione usurae possunt decidi casus, in quibus videtur esse usura, et non est, et etiam illi, qui sunt manifeste usurarii; hi enim contractus, quibus ipsa usurae definitio revera convenit, revera usurarii sunt; illi autem, quibus videtur convenire, sed revera non convenit, vere non sunt usurarii.

A quibus ut incipiamus, sciendum est, quod quum ad usuram duo requirantur, nempe amplius sperare vel accipere, et hoc ratione mutui, ex duplici capite excusatur contractus aliquis ab usura: 1° ex eo, quod id, quod accipitur, non est revera amplius, 2° ex hoc, quod, quamquam sit amplius, non accipitur ob mutuum.

22. A quo secundo capite incipiendo, dicimus, duas esse causas aliquid plus accipiendi, non ex mutuo, sed alia de causa. Prima est donatio, secunda est poena imposita. Quum ergo aliquid ultra sortem accipitur a mutuante, non ob mutuum, sed ob donum vel in poenam mutuum accipientis, non committitur usura, modo adsint conditiones requisitae. Pro quibus primo in casu, donationis scilicet, notandae sunt sequentes regulae.

1ª regula est: Quando Joannes mutuans Petro accipit ab eo aliquid ultra sortem, gratiose id accipiendo et putando, quod ille gratiose donat, sicut revera libere donat, modo non sit infamia accipientis vel aliorum scandalum, non est usura vel peccatum, etiamsi forte praecesserit mala mens sperans ob mutuum vel pactum usurarium vel exactio, a quibus tamen ante liberam acceptionem resipuerit. Dicitur autem in hac regula: modo non sit infamia accipientis vel aliorum scandalum; quia ubi alterum horum interveniret, peccatum esset, quum teneatur homo plus diligere et famam propriam et proximi salutem, quam divitias. Ubi autem haec non interveniunt, non esse usuram, probatur primo ex usurae definitione, quia ad usuram opus est, ut acceptio vel spes sit ob mutuum, qualis hic non intervenit. Deinde quia libera et legitima donatio dominium transfert in libere acceptantem, ubi non intervenit mutuum; ergo etiam interveniente eo, quum non perimat vim donationis. Denique sine simoniae vitio

Digitized by Google

est, sponte oblata acceptare, ut habetur q. 2. c. Sicut[1] et Extra De simonia c. Dilectus;[2] ergo etiam sine usura et injustitiae vitio est mutuanti Joanni, acceptare quod sponte ei offert Petrus.

23. 2ª regula est: Ubi Joannes gratiose acceptat, et, invincibiliter ignorans, credit Petrum sponte donare, qui tamen revera non donat gratiose, sed ob mutuum, Joannes sine usura accipit, et licite potest rem detinere, quamdiu permanet in hac ignorantia; modo, ut dictum est, non interveniat infamia vel scandalum. Haec etiam regula probatur sicuti prior; quia perinde est Joanni, ac si Petrus sponte donasset; et ideo licet illi rem possidere, sicut illi, qui emit rem furto sublatam, quam omnino putat esse vendentis.

3ª regula est: Ubi Joannes gratiose quidem acceptat, credit tamen vel probabiliter dubitat, quod alius gratiose non det (ut revera non dat), tenetur ei restituere; si autem dubitaret improbabiliter, deberet vel dubium deponere vel rem restituere. Haec regula etiam probatur, quia quum revera, ut ponimus, Petrus non donet, et Joannes ita credat vel dubitet, nec est in eum translatum dominium, nec est bonae fidei possessor, et ideo debet restituere.

24. 4ª regula est: Si Joannes acceptat gratiose a Petro revera gratiose donante, quem tamen credit vel dubitat non donare gratiose, vel saltem improbabiliter id dubitat, tenetur vel restituere vel rem ipsam scire vel dubium improbabile deponere; alias enim, quum perinde sit Joanni ac si Petrus non gratiose daret, non possidet bona fide.

5ª regula est: Si Joannes gratiose non acceptat quod dat Petrus, sive gratiose id det, sive ob mutuum, tenetur ei restituere; quia quum noluerit gratiose acceptare, non est translatum in se dominium, sicuti etiam nolens accipere rem gratiose oblatam, si eam furatur, tenetur restituere.[3]

[1] Cap. 4. qu. 2. causae I.
[2] Cap. Dilectus 28 (V, 3).
[3] Verba *quia* usque ad *restituere* desunt in Ms. I.

Digitized by Google

6ª regula est: Ubi Petrus acceptat gratiose a Joanne gratiose offerente, sed cum hoc se infamat vel alios scandalizat ob probabiles conjecturas, quod donatio non sit libera (quales sunt, quod Petrus dans est pauper, vel illiberalis nec donare solitus, vel quod Joannes accipiens solet usuram exercere, nec solet mutuare vel saltem cito exigit a non dante quid ultra sortem, vel solet innuere, ut aliquid sibi donetur) qui, inquam, ita acceptat, debet vel purgare alia via infamiam et scandalum, vel si solum id juvat, debet etiam restituere acceptum, quia fama vel anima proximi rei familiari est praeferenda.

25. Secunda causa, ob quam ultra sortem licet accipere citra usuram, quia non est ob mutuum, est poena, sive a lege statuta, sive a judice, sive conventionalis sit, sive ex consuetudine, ut est illa, quod tutor, habens pupilli pecuniam, intra certum tempus emat illi praedium, vel solvat illi 5 pro 100 quotannis. Ut autem haec poena licite exigi possit, opus est quinque conditionibus.

1ª conditio est, ut poena sit moderata, scil. nec tam parva, ut non moveat ad solvendum adveniente termino solutionis, nec tanta, ut gravet nimis solventem.

2ª est, ut imponens vel taxans poenam et creditor malit, debitorem in termino praefixo solvere, quam eum obnoxium esse poenae impositae. Tenemur enim velle, ut proximus culpam et poenam fugiat potius, quam in eam incurrat.

3ª est, quod debitor non sit sine culpa sua tam impotens, ut creditor ei potius teneretur mutuare; veluti si incideret in calamitatem aliquam vel captivitatem. Tunc enim sine culpa et injuste puniretur poena jam dicta.

4ª conditio est, quod, ubi poena est conventionalis, caveatur infamia creditoris et non credatur probabiliter oriturum scandalum, veluti si creditor soleat mutuare ad usuram et poena taxetur incurrenda singulis annis vel mensibus, ut solet taxari in usuris; vel si creditur, quod termino praefixo solvere non poterit.

5ª conditio est, quod ubi poena taxatur a judice,

Digitized by Google

non sit idem judex et creditor; alias enim facile infamiam incurreret et alios scandalizaret.

His ergo conditionibus servatis, non est usura poenam dictam exigere, quia non est ob mutuum, quum mallet illud suo tempore habere sine poena, quam quod ille poenam incurreret. Non est etiam ibi alia injustitia, etiamsi nullum damnum vel interesse creditor patiatur, quia quum melius sit, proprium dominum post terminum praefixum sua possidere, et non possidere sit exosum, poterit creditor, consentiente debitore, cum eo de poena convenire, si tempore praefixo non solvat. Potest etiam judex vel legislator poenam taxare, et creditor eam exigere, quia volenti vel merenti non fit injuria.

26. Quia ad usuram non solum opus est, ob mutuum accipere, sed quod acceptum sit amplius, id est quid ultra sortem, ex hac particula duae etiam causae oriuntur, unde amplius accipere sine usura licet; 1ª est interesse interveniens, 2ª est debitum ejus, quod accipitur.

27. Et quoad interesse quidem 1ª regula sit, quod quando quis mutuat, et ob mutuum incurrit in aliquod damnum, potest citra usuram et injustitiam totius illius damni compensationem ultra sortem accipere, modo debitor sciat, se id damnum debere resarcire; quod adjungitur, quia fortassis debitor inveniret aliquem, qui sine damni incursione illi mutuaret. Quod autem haec regula vera sit, patet in primis, quia benefaciens, ubi non debet, servandus est indemnis, ut habetur ex capite Pervenit De fideijussoribus.[1] Quamvis enim quis teneatur gratis mutuare, non tamen tenetur communiter gratis damnum pati, et ideo justum est, ut id resarciatur. Deinde in commutationibus, ubi servatur aequalitas, nulla injustitia committitur; sed in casu, de quo quaeritur, servatur aequalitas, quia qui mutuat exempli gratia 100, pro quibus voluit 10 usurae, vel qui vendidit rem, quae 100 et 10 valebat, non censendus est mutuare 100, sed 100 et 10. Ideo si 100 et

[1] Cap. Pervenit 1 (III, 22).

Digitized by Google

10 reddantur, nulla est inaequalitas, vel injustitia. Ideo licet fideijussori expensis ejus, pro quo fideijussit, accipere ad usuram, ut tempore praefixo solvat, ut habet c. Provenit De fideijussoribus. Quinimo ubi is, pro quo fideijubet, esset solvendo par, nec vellet solvere, quamvis fideijussor posset mutuo sine usuris accipere, liceret ei accipere ad usuras, quia non tenetur pro hujusmodi se astringere gratis mutuanti.

2ª regula: quod, ubi per mutuum cessat lucrum, licet ob lucrum cessans aliquid accipere, modo serventur conditiones infra ponendae. Quae regula probatur 1° ex cap. In civitate De usuris,[1] ubi dicitur licere, pluris vendere ad tempus, quam ad praesens currat, ubi dubitatur, quod tempore solutionis plus merx est valitura; quod quidem ob id concedi videtur, quia cessat lucrum pecuniae usque ad tempus detentae. Cap. etiam Salubriter De usuris[2] conceditur genero, ut fructus possessionis percipiat absque hoc, quod computatur in sortem ob dotem nondum solutam. In Clementina quoque De religiosis cap. Religiosi,[3] jubentur religiosi satisfacere pro dissuasis legatis. Quae omnia fundari videntur in hoc, quod licet ob lucrum cessans aliquid accipere. Quod licere, ratione ipsa probari videtur; quia qui non consentienti, nec ad id obligato dat impedimentum lucri, illud ei tollere videtur; ut si quis impediret agrum vel arborem, ne fructificaret, vel impediret quis artificem vel mercatorem iturum ad nundinas, non dubium, quin teneretur resarcire illi lucrum cessans. Neque dici potest, ob id non licere, quia pecunia non est nata fructificare; quia satis est, quod sit instrumentum industriae, quo quis lucrari possit; nam qui detinet instrumentum artifici, quo lucraretur, tenetur ei de lucro cessante. Nec etiam constat, quod mutuans hoc ipso, quod in mutuo consentit, consentit etiam, ut cesset lucrum; non enim est necessarium, ut consentiens in id, quod antecedit, consentiat etiam in id, quod consequitur; consentire enim quis potest in peccatum et non in poenam. Artifex

[1] Cap. 6 (V. 20). [2] Cap. 5 (V. 20).
[3] Cap. 1 (V, 7.) Sed titulus inscribitur *De privilegiis*, non *De religiosis*.

Digitized by Google

quoque vel iturus ad nundinas consentire posset, ut domi reclusus retineretur absque hoc, quod admitteret jacturam lucri cessantis. — Quod ut juste accipiatur, aliquot conditiones exiguntur ex parte mutuantis, aliae ex parte mutuo accipientis, aliae ex parte ipsius lucri cessantis.

28. Ex parte quidem mutuantis 1ª conditio est, ut malit pecuniam suam retinere, et in aliis negotiis occupare, quam illam dare mutuo; quia plus tenetur expetere idem lucrum sine proximi gravamine, quam cum eo. 2ª conditio est, ut lucrum cessans accipiens non se ipsum infamet, neque alios scandalizet infirmos vel ignorantes, quia debet praeferre propriam famam et proximi non malitiosi conscientiam pecuniis. Ad quod juvaret coram judice contractum hujusmodi facere; sic enim obviaretur scandalo et infamiae.

29. Ex parte autem accipientis mutuum 1ª conditio est, ut sciat se pro lucro cessante satisfacturum, quia alius fortassis sine hoc mutuaret. 2ª conditio est, ut non ita egeat, quod alius teneatur ei mutuare, et ille tantum sortem reddere possit; nam si esset in extrema necessitate vel quasi extrema, teneretur ei vel donare vel mutuare, ut reddat solam sortem, si potest.

30. Ex parte autem lucri 1ª conditio est, ut vere tantum lucrum licitum cesset, quantum accipitur; nam si fictum esset illud lucrum, vel si non tantum esset, injustitia committeretur. Et ideo usurarii sunt, qui non potentes vel nolentes alias negotiari, dum mutuant pecunias suas, aliquid ratione lucri cessantis accipiunt. Illi etiam sunt usurarii, qui, licet cesset aliquod lucrum, tamen plus exigunt, quam sit illud lucrum sibi cessans; vel qui, licet tantumdem exigant, non deducunt tamen expensas, quas in eo recuperando fecerunt; vel qui, eis deductis (quia lucrum in potentia minus valet, quam in actu) nihil diminuunt de lucro ob hanc potentiam, nisi forte tam propinqua illa esset, ut fere habeatur lucrum in manibus; tunc enim nihil oporteret ex eo deducere. Praedicti igitur omnes eo usurarii sunt, quod illud lucrum, quod exigunt, non vere eis cessat, quia fictum est vel omnino

Digitized by Google

vel ex parte. Ideo restituere tenentur, vel totum, si totum est fictum, vel partem, si ex parte. Ut autem sciatur verum lucrum cessans, vel expectari potest, ut videatur, quid lucrabitur pecunia aequalis mutuatae, quae in similibus mercibus occupanda erat; vel si hoc fieri non possit, ad arbitrium prudentis et justi mercatoris taxari potest, quid illa pecunia verosimiliter esset lucratura, deductis deducendis, et illud pro justo haberi debet, sive plus sit, sive minus, quam re ipsa succederet. 2ª conditio est ex parte lucri, quod lucrum tale cesset ob mutuum, alias non cessaturum; ideo qui propter inscitiam suam, vel negligentiam, vel malitiam, vel voluntatem cessat lucrari, et non ob mutuum, nihil potest recipere ratione lucri cessantis; et ideo, qui ultra mutuum habet pecunias superfluas, et quas juxta prudentiae regulas non sit necesse domi servare, debet restituere, si quid ratione lucri cessantis accipit ab eo, cui mutuavit. 3ª conditio est, quod lucrum cessans non exigatur statim, quum fit mutuum; quia evenire posset, si id fieret, ut tantumdem solveret quis pro interesse minoris, ac majoris mutui. Contingeret etiam, nihil mutuo accipientem solvere interesse, ac si accepisset. Nam si quis mutuat exempli causa 15, ex quibus 5 esset lucraturus, si illa 5 statim mutuans perciperet, mutuaret tantum 10, et pro illis tantum interesse exigeret, ac si 15 mutuaret. Si contingeret etiam quod 15 esset lucraturus, et illa 15 statim perciperet, mutuo accepturus nihil accipiens, remaneret obligatus ad 15 solvendum, ac si ea mutuo accepisset.

His ergo conditionibus servatis, licet pro lucro cessante aliquid accipere. In hoc autem errant mercatores, quod, quum audiunt licere ob damnum emergens vel lucrum cessans aliquid ultra sortem accipere, id passim licere putant, nulla conditione observata, quum tamen tam multae requirantur, ut vix simul conveniant. Ideo si fieri posset, salubrius esset, ab hujusmodi interesse accipiendo abstinere.

31. Quia autem licet ob interesse aliquid ultra sortem accipere, ubi conditiones jam dictae serventur, merito for-

Digitized by Google

tassis videtur cuidam moderno doctori, scil. Joanni de Medina, quod si quis absque infamia et scandalo viveret ex hoc, quod suas pecunias indigentibus mutuaret, et non ob mutuum vel ob tempus, sed ob onera pretio aestimabilia, quae ibi occurrunt, moderatum lucrum acciperet, licite id faceret. Onera vero ibi occurrentia pretio aestimabilia sunt, pecunias quaerere, numerare, scribere, periculo mutuum exponere, timor et anxietas justa, quod debitor non solvat, expensae in recuperatione, victus et salaria ministrorum, damnum emergens vel lucrum cessans; ob quae omnia procul dubio pretium reddi potest. Quia si reipublicae in hoc serviret, vel monti pietatis, juste lucrari posset; sicut etiam campsor minutus ob similia onera juste lucratur, etiam ubi pecuniam non mutuat, sed pro alia commutat. Ergo ob similia onera licebit jam dicto quid accipere; quia, licet mutuum gratis debeat fieri, non tamen tenetur quis dicta onera gratis subire; nam et judex gratis judicare debet et testis testificari et minister ecclesiasticus visitare, non tamen tenentur itineris expensas et onera gratis subire ob munera sua exercenda. Dictum est autem, quod sine scandalo et infamia tale munus exerceatur; quia qui, relictis aliis negotiis, sponte et ex electione talibus mutuis solum vacant, merito habentur infames et usurarii, et eis nullum lucrum cessat, quia nolunt alias licite lucrari, et solum licitum lucrum cessans est compensandum. Ideo sine publica potestate non videretur talis modus vivendi introduci posse.

32. Ex eodem principio haberi potest, licere monti pietatis ab his, qui mutuo accipiunt, pignoribus datis, aliquid exigere, non ad capitale montis augendum, sed ad alendos ministros. Quia quum tales ministri his, qui mutuo accipiunt, serviunt, ab eis alendi sunt; sicut advocati et medici et campsores, licet ministri publici sint, ab eis tamen, quibus inserviunt, aluntur. Merito igitur concilium Lateranense sub Leone X.[1] tale opus laudabile et merito-

[1] In bulla *Inter multiplices* in sess. X. 4. Nonas Maji 1515 publicata, ubi inter alia legitur: „Ea propria est usurarum interpretatio, quando

Digitized by Google

rium definit; ubi non intendit approbare ipsum gratiosum mutuum, quia de hoc non erat quaestio, sed probat, quae in illo opere interveniunt. Ideo non movent, quae quidam objiciunt, nempe ministros servire communitati, et ideo ab ea praemiari debere, et non a pauperibus; quia non illi, sed pauperibus serviunt. Licet etiam aeque solvant, quorum pignora egent minori opera, atque illi, quorum egent majori, hoc fit, quia non potest praecise valor operae[2] taxari. Ideo si quid plus minusve justo datur, subintelligitur tacita donatio ejus, ad quem pertinet. Licet etiam, qui plus temporis retinet mutuum, plus solvat, hoc non fit ratione mutui, sed ratione majoris laboris ministrorum montis in conservandis pignoribus. Quamvis autem, quae porriguntur ministris, sint quinque pro centenario quotannis, non tamen licet mutuantibus 5 pro 100 ordinarie accipere, quia usura est. Secus autem habet res in monte pietatis, quia illa 5 non pro mutuo redduntur, sed pro salario ministrorum.

33. Secunda causa, quare id, quod videtur amplius accipi quam mutuatum fuerit, sine usura recipitur, est quum revera non est amplius, quia alias erat debitum ipsi accipienti.[3]

videlicet ex usu rei, quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum foetusque conquiri studetur. . . Sacro approbante concilio declaramus et definimus, montes pietatis antedictos per respublicas institutos et auctoritate sedis apostolicae hactenus probatos et confirmatos, in quibus pro eorum impensis et indemnitate aliquid moderatum, ad solas ministrorum impensas et aliarum rerum ad illorum conservationem, ut praefertur, pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat, ultra sortem absque lucro eorundem montium accipitur, neque speciem mali praeferre, nec peccandi incentivum praestare, neque ullo pacto improbari, quinimo meritorium esse ac laudari et probari debere tale mutuum et minime usurarium putari. . . Omnes autem religiosas et ecclesiasticas ac saeculares personas, qui contra praesentis declarationis et sanctionis formam de caetero praedicare seu disputare, verbo vel scriptis, ausi fuerint, excommunicationis latae sententiae poenam, privilegio quocunque non obstante, incurrere volumus." Harduini Coll. Conc IX, 1773.

[2] Ms. I. *operum*. Ms. II. opum. [3] Vide supra pag. 247.

Digitized by Google

Et de hoc sit regula: licere mutuanti, cui alias juste quid debetur, illud debitum ultra sortem exigere, servatis requisitis conditionibus. Quarum 1ª est, quod illud non accipiatur ratione mutui, quia gratis fieri debet; 2ª quod vitetur infamia et scandalum; 3ª quod alia via juris non possit suum recuperare. Quibus servatis, ex eo patet, regulam esse veram, quia servatur aequalitas. Ratione enim mutui non recipitur, nisi quod mutuatum est; et quod amplius redditur, jam ab eo ablatum fuerat.

34. Ex quo etiam varii casus, ut justi, et minime usurarii, decidi possunt.

Primus est: Mutuo centum, ut illa solvas ratione mutui, et insuper alia 10 alias debita. Hic non committitur usura, ut jam probatum est. Non autem liceret dicere: Mutuo 100, ut reddas 100 et 10 ratione mutui; si tamen diceretur, non tenerer restituere, quia illa 10 sunt mea. Secundus: Licite mutuo haeredi, ut solvat legatum vere mihi factum, sed in testamento minus legitimo. Tertius: Licite mutuo pacto, quod jures, te redditurum tali die, vel quod dabis pignus, quia hic nihil lucror, sed securitatem mihi debitam exposco. Quartus: Licite mutuo hosti injusto et qui me gravavit pacto, quod resarciat gravamen illatum, modo id faciam sine infamia et scandalo, et non ratione mutui, sed debiti, et modo non sit alia via juris, qua mea recuperem, et modo auctoritate principis non sit illi hosti juste indictum bellum, ut habetur c. Ab illo.[1] Sic etiam licet repressalia facere, ubi certum est, quod princeps nollet facere justitiam. Et ob hanc causam excusantur Judaei vel furantes ab Aegyptiis, vel dantes ad usuram Chananaeis, quia hostes erant et auctoritate Dei, quasi principis, id faciebant. Quintus: Licite mutuo etiam illi, qui non est hostis, ut reddat mihi, quod alias debet; modo scandalum et infamia cesset, et alia via non possim mea habere. Sextus: Licite dominus feudi, id loco pignoris habens, ob mutuum fructus ejus accipere potest, non eos computando in sortem, ut habetur cap. Conque-

[1] C. Ab illo 12. (Causa 14. q. 4)

Digitized by Google

stus De usuris;[1] quod quidem licet ratione contractus feudatarii, cujus natura fit, ut cum feudo transeat ejus usus seu fructuum perceptio, feudatario interim libero ab onere et servitio; quodsi persolveret, deberent fructus feudi in sortem computari, sicut universaliter fructus pignoris computandi sunt in sortem, deductis expensis factis in eis recuperandis, nisi forte ratione interesse vel doni vel poenae non computentur. Septimus: Licite clericus, habens a laico loco pignoris beneficium alias suum, fructus ejus percipit absque hoc, quod supputentur. Octavus: Habens pro pignore agrum suum, licite percipit ejus fructus, non eos in sortem supputando, quia sui sunt, ut habetur De usuris cap. 2.[2] Nonus: Licite mutuo judici vel alicui potenti, ne injuste me gravet et vexet; quia in hoc nihil ultra id, quod debetur, mihi datur. Decimus: Licite mutuo rustico, ut colat agros meos, sicut alias tenetur, quia ad id se obligavit.

Caput X. Casus usurarii, qui tales ex usurae definitione cognoscuntur.

35. Ut ex definitione usurae vidimus casus licitos et minime usurarios, quos ad quatuor capita reduximus, nempe ad donum, poenam, interesse et alias debitum, ita etiam ex eadem definitione videri possunt casus illiciti et usurarii Januae frequentiores. Ubicumque enim aliquid ultra sortem accipitur, nulla ex quatuor dictis causis subsistente, quae ab usura contractum excuset, censendus est usurarius. Quod in exemplis sequentibus, mercatoribus Januensibus satis familiaribus et usitatis, videre licet.

36. Primum ergo exemplum est: Mercator Januae vel Neapoli mutuat imperatori quandoque cum pignore, quandoque sine eo; eo tamen pacto, ut in loco, ubi fit mutuum, recipiat usque ad solutionem 12 vel 14 vel 16 quotannis; et eadem proportione lucratur interesse, si non solvitur suo tempore. In hoc casu usura committitur, quia illa,

[1] C. Conquestus 8. (V. 19).
[2] C. Quoniam 2. (V. 19).

Digitized by Google

quae solvuntur ultra sortem, non donantur, ut supponitur, sed tantum et dantur et accipiuntur ob mutuatam pecuniam. Deinde non accipiuntur ratione poenae, quia nulla poena est statuta a lege vel conventa. Nec etiam dantur, quod debeantur; quia quamvis dicant Januenses, ob direptionem suae urbis teneri illis ad multa imperatorem, tamen deberet constare prius, direptionem injuste fuisse factam et imperatoris culpa, et se tantum et non amplius lucrari cum illo, quantum in direptione amiserint. Quae probare vix possunt; nam qui cum imperatore ditati sunt ex his mutuis, parum (ut fertur) in direptione perdiderunt; illi autem, qui majorem tunc fecerunt jacturam, vix commercium habent cum imperatore.

Nec etiam excusatur hic casus ob interesse lucri cessantis; primo quia multi ex his, qui mutuant principibus, decreverunt alias, non licite negotiari; ideo non cessat illis justum lucrum. Deinde ubi negotiarentur, sciunt, se non tantum lucraturos communiter, et fatentur, se numquam daturos esse suas pecunias principibus, nisi longe plus ab illis acciperent, quam ab aliis mercatoribus. Infamant praeterea se, et alios scandalizant, praebentque ita mutuantes principibus injustorum bellorum fomentum, quae sine pecuniis non fierent. Ideo non habet locum lucrum cessans, et consequenter contractus est usurarius.

Secundum exemplum sit: Fit proclamatio Lugduni nomine regis Galliae, qua promittuntur 3 vel 4 singulis nundinis, 10, 12 vel 16 quotannis donanda mutuantibus regi 100, et idem fore lucrum de interesse non soluto suo tempore. Hic etiam contractus usurarius est. Quum enim lucrum hoc non sit mercatoris mutuantis, nec ratione poenae illi datur, nec ratione interesse, ut in praecedenti exemplo ostensum est, solum superest dubium, ne forte a rege illi donetur, et a mercatore gratiose accipiatur, gratiose quoque regi mutuetur. Sed nullum plane horum est verisimile. Rex enim mercatorem non cognoscit, ut illi dona exhibeat. Non est etiam verisimile, quod reges donent per nundinas, ubi usurae solvi soleant. Minus etiam est verisimile, quod de suo dono velint usuras solvere.

Digitized by Google

Mercator etiam, si cor suum consulit, non gratiose mutuat vel acceptat; quia non mutuaret, nisi speraret a rege plus lucri, quam ab alio mercatore; nec regem ita cognoscit vel amat, ut principaliter, ut ei rem gratam faciat, illi mutuet. Infamat etiam se mercator ut usurarium et alios scandalizat, qui eum usurarium merito putant eo pejorem, quod usuram nomine charitatis et doni palliat.

Tertium exemplum est: Mercator nomine depositi dans pecunias suas mercatori spe sive pacto, quod sibi ipsi reddantur singulis nundinis 3 vel 4 pro centenario, 10, 12 vel 16 pro centenario quotannis, et idem lucrum solvatur de ipso interesse non soluto. Usura etiam est manifesta. Nec enim habet locum debitum, nec poena, nec donum, nec interesse, nec lucrum cessans, quia non servantur ejus conditiones; praeterea se ipsum infamat mercator, et alios scandalizat, et mavult lucrum ex deposito, quam ex aliis negotiis, quia illud illis praeeligit. Si quis tamen pecunias deponeret animo, eas tantum recipiendi, et post aliquid sibi oblatum acceptaret, non ut debitum civile, sed ut donum, vel officium naturali aequitati consonum, licite id faceret.

Quartum exemplum est: Aliquis nesciens vel nolens negotiari, dat suas pecunias mercatori pacto, habendi 7 vel 8 vel 10 vel 12 ultra sortem securam. In quo etiam usura sine aliquo pallio committitur.

37. Quintum est: Aliquis dat suas pecunias alicui artifici vel mercatori spe vel pacto, quod sibi ultra salvum capitale reddatur medietas vel tertia pars lucri ex arte vel negotio provenientis

Sextum est: Aliquis dat pecunias suas domino alicujus domus, ut tamdiu ipse domo utatur, quamdiu alius retinebit suas pecunias, domo tamen non empta sibi et pecuniis suis cum cautione securae solutionis mutuatis.

Septimum exemplum est: Quispiam dat suas pecunias mercatori, ut, eis securis, sibi reddat singulis nundinis lucrum, quod ex cambiis Lugduni vel Besansonis refertur.

Digitized by Google

Octavum: Aliquis dat mercatori suas pecunias ad lucrum, quod ex cambiis succedet, sciens tamen vel credens, quod mercator non utetur illis pecuniis cambia exercendo, vel non curat, si in licitis vel illicitis negotiis eas collocet. Nonum est: Mercatores Januenses aliqui, licet pauci, mutuant suas pecunias pacto habendi lucrum cambii Besansonis, et iidem fingunt, S. Petrum de Arena tribus milliaribus distantem a Janua esse Besansonem, et ibi conveniunt, et taxant pro libito pretia cambiorum, et expediunt litteras fictas taxam continentes, quasi ex Besansone redirent. Decimum: Habet quis merces corruptas et male vendibiles, quas ut vendat etiam plus, quam valent, mutuat pecunias pauperi emptori, ut eas a se sibi emat, quas mutuo illo dotari asserunt mercatores.

Quae omnia exempla usurarios contractus manifeste continent.

38. Undecimum: Aliquis mutuat pecunias pacto, ut qui mutuo accipit, alio contractu obligetur, cedente in bonum ipsius mutuantis, et gravante ipsum mutuo accipientem; quale esset: mutuo, ut mihi mutues, ut aegrum egentem cures, ut venias ad meam officinam vel ad meam scholam vel ad meum pistrinum, vel ut reddas securas meas merces, vel ut sinas tuas a me securas reddi, vel ut cures, ut detur mihi officium vel beneficium, vel ut me liberes a justa vexatione vel justa gabella et tributo, vel ut emas rem majori pretio, quam valet, vel ut vendas minori, vel ut emas etiam justo pretio minus vendibiles merces,[1] vel ut minus justa mercede mihi colas agrum, vel ut majorem fructum reddas, vel operam in eo diligentiorem facias, vel ut colas etiam justa mercede et convenienti diligentia, modo non sis obligatus. Obligationes enim ad haec omnia et similia vendibiles sunt; nam et operariis, qui haec curant, pecunias ob id damus. Ideo perinde est, ac si pecunia ultra sortem speraretur vel acciperetur. Ideo rescindendae sunt hujusmodi obligationes, et lucrum, quod actu ex illis comparatum est, restituendum, et officium vel be-

[1] Ms. I. addit: *imo etiam vendibiles.*

Digitized by Google

neficium resignandum cum fructibus, demptis expensis et mercede operis in officio collocati. Ubi autem lucrum non est actu comparatum ex dictis obligationibus, ultra earum rescissionem aestimandum esset, quid valeret illa obligatio, sive quanti resarciretur illud gravamen; et illud est restituendum. Nam juste fideijussor potest aliquid accipere pro obligatione illa, qua fideijubet.

Ex quibus sequitur, usuram committi a Januensibus vel aliis mercatoribus, qui regi Hispaniarum mutuant, ut obtineant facultatem extrahendi pecunias ex Hispania; modo non illis constet, prohibitionem illam extractionis injustam esse; quod non facile constare potest; boni siquidem et sapientes viri illius regni illam justam censent.

Caput XI. De usura in cambiis. Definitio.

39. Postquam tractavimus de usura in genere, superest videre, quomodo vel ipsa, vel alia species injustitiae reperiatur in cambiis. Quod ut videatur, considerandum est

1. quid sit cambium,
2. quotuplex sit,
3. quot species contractus sint, et quae illi misceantur,
4. quis sit cambii finis,
5. qua via cognosci possit, an sit licitum vel illicitum,
6. applicanda est illa via ad casus particulares et praesertim ad *cambium Besansonis* magis familiare Januensibus.

40 Cambium igitur ex proprietate vocis permutationem omnem significat, sive rei cum re, ut frumenti cum vino, sive pecuniae cum pecunia, ut nummi aurei cum argenteo; nam cambire permutare est. Ex usu autem, dum de cambiis loquimur, applicata est vox ad solam pecuniarum permutationem; praesertim quum differunt pecuniae, vel in materia et figura, vel in materia sola, vel in sola figura, vel saltem in numero et loco. Nam ubi pecunia eadem numero, quae accepta est, redditur, et in eodem loco, mutuum quidem esse potest,

Digitized by Google

sed non cambium. Juxta hunc igitur usum vocis, ita potest cambium describi: Cambium est permutatio pecuniarum, materia et figura seu altero horum differentium vel saltem numero et loco.

Differunt autem materia et figura nummus aureus et Julius, sola autem figura aureus regius et venetus; sola materia differunt pecunia aurea et argentea eadem figura insignita, ut quidam nummi aurei hispani et regalia, quae vocant, argentea; numero autem et loco differunt aurei veneti dati Venetiis ab aliis receptis Romae.

Caput XII. Quotuplex sit cambium.

41. Duplici autem divisione cambium dividitur, in purum et impurum seu mixtum, et in reale et siccum.

Cambium igitur purum est illud, in quo sola commutatio pecuniarum intervenit absque hoc, quod sit diversitas loci pecuniae datae et acceptae, vel distantia notabilis temporis inter utramque. Et in hac specie solum continetur cambium, quod vocant minutum, in quo monetae magnae pro parvis commutantur, vel e contrario. Cambium vero impurum vel mixtum est illud, in quo intervenit notabilis differentia temporis inter pecuniam datam et acceptam, veluti quum dantur Januae[1] pecuniae pro aliis Romae reddendis post mensem, et quum Lugduni aliquibus nundinis dantur pecuniae, pro quibus aliae specie differentes reddendae sunt etiam Lugduni pro aliis nundinis. Reale autem cambium est, in quo revera intenditur et fit realis pecuniarum commutatio; per accidens autem intervenit temporis mora, si quae[2] intervenit; et ideo minutum cambium reale est, quia realis permutatio pecuniarum ibi intenditur vel fit. Cambium etiam illud est reale, quo ego vel habens pecunias Lugduni et eis indigens Januae, accipio ibi eas a mercatore, et reddo eas Lugduni; aut, habens Januae et indigens Lugduni, do illas Januae, quo Lugduni recipiam, et hoc post tantum temporis, quantum sat est, ut commode litterae mittantur

[1] Ms. II. *Joanni*.

[2] Ms. II. *quoniam*.

Digitized by Google

Lugdunum. Utrumque igitur horum cambiorum, vel quo do pecunias mercatori Januae, vel quo ab illo recipio, cambium reale est, quia fit et intenditur realis commutatio; et si intervenit temporis mora, non consideratur, sed per accidens est, quia non possunt litterae sine tempore mitti; nam si per angelum absque mora praesentarentur Lugduni, fieret ibi solutio.

42. Cambium demum siccum est illud, in quo specie tenus fit commutatio pecuniarum unius loci cum eis alterius, revera autem intenditur mutuum, et principaliter consideratur temporis dilatio, quo pecunia occupata detinetur, per accidens autem et ad palliationem mutui diversitas locorum. Dicitur autem tale cambium siccum fortassis ob id, quia, ut ramus siccus et membrum aridum speciem quidem et apparentiam habent rami et membri et non veritatem, ita hoc cambium per locorum distantiam et pecuniarum hinc inde translationem apparentiam habet cambii, sed non veritatem, quum[1] revera sit mutuum palliatum. Et ad hanc speciem puto pertinere cambia, quae de nundinis ad nundinas fiunt, praesertim si in eodem loco fiant vel in locis vicinis ejusdem regni, imo etiam distantibus, modo majus tempus praefigatur a data pecunia ad alterius acceptionem, quam requirat delatio litterarum; ob id enim tempus lucrum et datur et accipitur, ut videbimus.

Ad hanc autem postremam divisionem realis et sicci reduci potest divisio, quam quidam faciunt cambii de loco ad locum, et de nundinis ad nundinas; cambium enim de loco ad locum est illud, quo pecuniae in diversis locis existentes commutantur, praefixo ad id tempore convenienti ad hoc, quod litterae mitti possint et solvi; et hoc, ut diximus, reale cambium est. Cambium vero de nundinis ad nundinas est illud, in quo, revera non habito principaliter respectu ad locum, dantur pecuniae in quibusdam nundinis, ut in aliis recipiantur; et hoc, quod diximus, cambium est siccum et mutuum[2] viride, quia mercator, qui pecunias dat, supputat menses, quibus pecunias occupatas habet et exigit juxta temporis proportionem in-

[1] Ms. II. *ut*.

[2] Ms. II. *multum*.

Digitized by Google

teresse, et ob id ita divisae sunt nundinae, ut quatuor totum annum absumant; et ita per totum annum pecuniae mutuatae lucrantur.

Caput XIII. Quaenam species contractus sit cambium.

43. Dubitari solet, quaenam species contractus sit cambium. Ad quod quidem aliqui respondent, esse venditionem vel emptionem; nam mercator, pecunia praesenti data ex. gr. Januae, videtur emere pecuniam absentem positam Lugduni. Proprius autem et verius videntur illi respondere, qui dicunt, cambium permutationem esse, non quamvis, sed monetarum; quae quidem et a mutuo et a venditione differt. A mutuo quidem, quia mutuum extenditur ad alias res, quae usu consumuntur, praeter pecuniam; mutuamus enim vinum, oleum, et alia hujusmodi; cambium vero (et hac voce utimur in hac materia) sistit in sola moneta. In mutuo etiam nihil vetat reddi eandem numero monetam; nam si accipio a te mutuo 100, possum (si accidit, ut eis non utar) eadem tibi numero reddere; cambium vero diversitatem exigit monetae; nec enim idem aureus secum cambiri potest. Demum in mutuo fit redditio rei mutuatae saepius in eodem loco; in cambio vero fit communiter in loco diverso, praeterquam in cambio minuto. A venditione autem differt cambium, quia in venditione proprie alterum extremum est merx, in cambio utrumque est pecunia. Quod autem cambium permutatio sit pecuniarum et non venditio, constat primo ex ejus definitione, quae est commutatio pecuniarum. Constat deinde, quia qua ratione pecunia, quae Januae datur, eam Lugduni emeret, [sic], ea ratione illa emeretur, ut ita idem venderetur et emeretur; sic ut idem esset mercator et venditor respectu ejusdem mercis. Praeterea merx non dicitur pro merce vendi, sed commutari, ut equus commutatur bove. Ergo eadem ratione non venditur pecunia pro pecunia, sed commutatur; praesertim quia pecunia, ut sic, pretium et valor aliarum rerum est, et ideo ipsa proprie non appretiatur; sicut nec albedo proprie alba est, neque valor valet. Dicitur autem proprie,

Digitized by Google

quia si pecunia vel ob legem vel ob consuetudinem vel periculum deposita esset, tunc vendi posset, quia ut merx et res quaedam tunc consideraretur. Quod non habet locum in cambiis, quia mercator considerat valorem monetarum, quas commutat, etiam qua monetae sunt et ex lege valent. Est igitur proprie loquendo cambium species commutationis. Quod clarius videtur in cambio minuto; nam quum verum et reale cambium sit, non dicitur tamen campsor emere vel vendere monetam pro moneta, sed commutare. Ultra permutationem autem intervenit in cambio contractus locationis. Nam campsor suas et ministrorum operas locat, et ab eis, quibus servit, illarum mercedem accipit. Potest etiam intervenire venditio; nam si occurrit aliquod interesse propter cambium, potest illud campsor vendere. Potest etiam intervenire donatio vel illius, quod dicitur ultra justum pretium, vel illius, quod minus justo offertur. Demum in cambio impuro, ubi intervenit expectatio temporis, intervenit tacitum mutuum; quia, quum de ratione commutationis sit, ut statim fiat traditio, quando ego commuto praesentem pecuniam pro absente mihi post tres menses tradenda, est perinde, ac si mihi statim traderetur, ut fit in cambio minuto, et ego illam demum ad tres menses mutuarem.

Caput XIV. De fine cambii.

44. Finis quidem immediatus cambii et campsoriae artis est, servire rerum commutationi vel oeconomicae et politicae vel lucrativae. Servit autem minutum cambium huic commutationi primo quidem, dando minutam pecuniam pro magna. Quod commodum affert, ut parva pecunia minutas merces comparemus. Nam si haberemus tantum magnam, vel opus esset illam scindere, vel cum venditore illam in communi possidere, vel si per nos ipsos vellemus alia via quaerere minutam monetam fortassis dum quaereremus, venderentur merces, nec possemus illas habere. Servit praeterea minutum cambium dando pecuniam magnam pro minuta. Quod utile est ad iter agendum, quia

Digitized by Google

commodius portatur et servatur et expenditur. Tertio servit minutum cambium dando peregrinis monetam usualem pro moneta suae patriae, in loco campsoris non valente. Quarto servit dando peregrinaturis monetam regionis, ad quam pergunt, pro moneta suae patriae. Cambium vero reale, quod est de loco ad locum, servit etiam ad itinera facienda. Aut enim campsor mihi hic carenti pecunia, et Lugduni habenti, pro ea Lugduni dat hic praesentem pecuniam, et tunc mihi servit, ac si virtute iret Lugdunum et afferret mihi pecuniam meam; imo meliorem pro ea daret, quia hic usualem. Si autem ego hic habens pecunias, do illas campsori, ut reddat illas Lugduni, perinde mihi servit, ac si virtute illas ferret Lugdunum suo periculo et expensis. Non est autem parvum servitium juvare commutationem, quae ab itinerantibus fit. Nam utile est valde reipublicae iter agere et alienas regiones adire. Ita enim fiunt negotia, et commercia humana conciliantur, et in pace retinentur principes, congregantur concilia et capitula, quibus religio fovetur, addiscuntur et docentur scientiae et artes, habentur consulta et sententiae sapientium, quibus lites finiuntur, visuntur loca pia religionis etc.

45. Ultra dictum autem cambii finem, qui est permutationis commoditati servire, habet alium finem remotiorem, nempe lucrum. Ob id enim quis cambiis vacat. Nam ut oeconomia finem habet comparare domui necessaria vel commoda, politica autem commoda vel necessaria civitati, ita negotiatio lucrativa habet pro fine lucrum, sive negotietur circa merces, ut ars mercatorum, sive circa ipsas pecunias, ut ars campsoria. Ex quo fit, ut negotiatio oeconomica et politica honesta suo genere sit, quia habet finem honestum, necessaria scilicet et commoda vitae comparare, quod honestum et rationi congruum est. Lucrativa autem ars, sive circa merces sive circa pecunias versetur, turpis est, quia habet pro fine lucrum; quod quidem ita nude acceptum turpe est, quia non servit rationi, quae non lucra, sed necessitatem et commoditatem sectari jubet, sed cupiditati. Nec tamen, quia turpis sit lucrativa ars, ideo est ex se illicita; quia licet finis suus honestatem in sua ratione non inclu-

Digitized by Google

dat, non tamen ei repugnat honestas. Ut enim homo nudus turpis est, cui tamen non repugnat honestas, quia indui potest, ita velle ditari et lucrari, nude sumptum, est turpe, sed non repugnat ei honestas, quia indui potest alio honesto ulteriore fine; quod fit quum mercator vel campsor vult exercere artem suam, ut lucretur, vult autem lucrari, non ibi sistens et statuens ultimum finem (hoc enim esset mortale peccatum et insipientia, quia non est sapientis aggredi infinitam viam sive infinitae cupiditati velle satisfacere), sed talis lucrari vult, ut se et suos alat, et pauperes et rempublicam juvet, et omnia haec vult ob aeternam salutem, sciens nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur. Ideo ars licita est, quamvis turpis sit. Sicut etiam, si quis negotiaretur vendens plus justo fructus suae possessionis, non ad lucrum, sed ad sustentationem, non ageret turpiter, et tamen illicite ageret; sic[1] juste negotiari ad lucrum licitum est simul et turpe et sordidum. Sordidius autem est negotiari erga pecunias, quod est campsoris, quam erga merces, quod est mercatoris, sicut ars, quae frena et sellas facit, inferior est equestri.

Caput XV. Quomodo cognosci possit, an cambium licitum sit, necne.

46. Ut videatur, an aliquod cambium liceat necne, considerandum est, dupliciter intelligi posse, quod cambium sit licitum, nempe simpliciter et ex genere.

Ut ergo cambium simpliciter liceat, opus est, ut tam ex genere, quam ex omnibus circumstantiis licitum sit; quia bonum est ex integra causa, malum vero ex quovis particulari defectu. Opus igitur est, ut ei, qui dat pecunias, non sit prohibitum cambium exercere, ut clerico vel religioso; et qui accipit, non sit nimis egens, vel male pecuniis usurus ex. gr. in lusibus, bellis injustis, usuris et similibus. Similiter est opus, ut tempus et locus sacer, in quibus non licet hujusmodi negotia exercere, observentur;[2] opus etiam est, ut modus caveatur malus cambium exercendi, qualis est mendacia et perjuria et fraudes immiscere.

[1] Ms. II. *sicut*.

[2] *Observentur* deest in Ms. II.

Digitized by Google

Finis deinde bonus esse debet, hoc est, non lucrum ex mutuo, sed ob servitium; non lucrum, quasi bonum summum intentum, vel alio non directum, sed potius, ut dictum est, intentum ad se et suos et pauperes alendum et ad servitium publicum. Et haec quidem requiruntur, ut ex circumstantiis cambium licitum reddatur.

47. Ut autem secundum substantiam et genus suum licitum sit, sufficiunt et exiguntur tres conditiones.

Prima conditio est, ut re ipsa et intentione interveniat commutatio pecuniarum. Si enim haec non adest, non est revera cambium, et idcirco nec est cambium licitum nec illicitum. Quod quidem ex definitione cambii satis constat; est enim cambium permutatio pecuniarum, et ideo, ea non existente, cambium esse non potest. Ex hac conditione videtur non esse cambium, sed usura cambii nomine palliata, ea quae crebro fit a mercatoribus Januae sequenti modo. Mercator aliquis pauper, qui nullas pecunias habet Lugduni vel Besansone, nullasque sperat habere nec earum creditum, egens Januae pecuniis adit mercatorem divitem, a quo accipit pecunias nomine cambii Besansonis. Et quia Besansone nullas habet pecunias, nec habet ibi, qui suas litteras acceptet vel recognoscat, rogat eundem mercatorem, a quo pecunias accipit, ut actor suorum negotiorum litteras acceptet. Hic clarum est, non esse cambium; quia mercator, qui pecunias dat, non permutat nec intendit permutare suas pecunias Januenses cum suis, quas habet Besansone; mercator etiam, qui accipit pecunias, nihil habet Besansone, quod commutet, sed solum pro forma vult, ut suae litterae Besansone acceptentur; quod perinde est, ac si vellet habere Besansone fideijussorem de accepto mutuo, imo non fideijussorem, sed ejus umbram, quia revera mercator, qui dedit illi pecunias, vel illi credidit vel ab eo fideijussorem accepit. Sed praedicta fiunt, ut nomine cambii pallietur usurarium mutuum; quia perinde est, ac si mercator dans pecunias, diceret: Mutuo tibi pecunias meas hoc pacto, ut illas reddas et insuper tantum usurae, quantum lucri reddit cambium Besansonis.

Digitized by Google

Secunda conditio est, ut nihil intendatur vel accipiatur ratione expectationis vel impliciti mutui. Quae conditio non habet locum in minuto cambio, ubi non est mora vel implicitum mutuum, sed in aliis, quae fiunt vel de loco ad locum vel de nundinis ad nundinas, in quibus et expectatio et implicitum mutuum inveniuntur. Quod autem haec conditio necessaria sit ex eo patet, quia non servata ea, usura committitur; ut ex usurae definitione patet, qua describitur, esse lucrum principaliter intentum ex mutuo seu expectatione solutionis.

Tertia conditio est, ut justum interesse et servitium vendibile, quod in cambio intervenit, justo pretio pensentur. Dicitur autem servitium vendibile, ut excludatur mutuum, quod licet servitium magnum proximi sit et saepe etiam majus, quam eleemosyna juvat, non tamen est servitium vendibile, sed gratis exhibendum et nihil inde sperandum. Quod vero haec conditio necessaria sit, ex eo patet, quia ubi interesse vel servitium plus vel minus justo compensantur, licet non committatur ex hoc usura, committitur tamen injustitia.

48. Quod autem hae tres conditiones, quae probatae sunt necessariae, sint etiam sufficientes, ut cambium ex se licitum sit, patet; quia ut contractus ex se licitus sit, sat est, quod servetur forma et justitia; quibus servatis non potest contractus esse illicitus. Si autem servatur prima conditio, servatur forma contractus, ad quod sat est, quod sit et intendatur commutatio pecuniarum. Si servatur secunda conditio, excluditur una species injustitiae; nam usura injustitia est, quia tollit proximo suum. Si autem servatur tertia conditio, excluduntur aliae injustitiae species. Et ita per primam conditionem statuitur forma contractus, per duas sequentes ejus justitia; et ita tres illae sufficiunt, ut contractus cambii ex se licitus sit.

Caput XVI. Applicatio methodi dictae ad genera cambiorum varia.

49. Superest jam, ut juxta hanc methodum communiores modos cambiorum discutiamus, ut videatur, an liceant

Digitized by Google

necne. Et prius videbimus modos, qui communitur habentur justi, deinde eos, qui censentur communiter injusti, demum eos, qui in dubio sunt.

Primus ergo modus cambii liciti est cambium minutum, in quo servantur 1ª et 3ª conditio ex jam dictis; nam 2ª (ut diximus) non habet in eo locum. Licet ergo ex se cambium minutum, quando in eo intenditur et fit vera commutatio pecuniarum, vel majoris pro minori vel usualis pro non usuali, et e contrario; quando etiam pro servitio, quod exhibet, et interesse, si quod occurrit, justum pretium accipitur. Servitium autem, quod exhibet ad minutum campsor, est, laborare per se et per ministros, quaerendo, servando, expendendo, ut habeat varia pecuniarum genera, et cognoscendis et probandis vacando, et ad id officinam et domum conducendo. Accidere etiam potest interesse, quia moneta, quam dat, fortassis melior est ad deaurandum, portatu facilior, commodior ad expendendum, in pluribus locis valens, diutius perseveratura in valore vel in eo forte augenda. Pro hujusmodi ergo et servitio et interesse licet campsori justum pretium accipere. Est autem justum pretium, vel quod communiter sine fraude et violentia currit, vel quod taxatur a bono et in hac arte perito viro. Et campsor quidem, quia expendit in domo et ministris et laborat, ut serviat, potest pro servitio et interesse exigere pretium. Noncampsor autem, quia ab his expensis et labore est liber, potest quidem ratione interesse, quia scilicet meliorem monetam dat, aliquid juxta consuetudinem dari solitum accipere; non tamen ratione servitii, nisi forte notabilem operam exhibuerit in numerando; et tunc non debet tantum accipere, ut campsor ex officio, qui ultra operam habet officinam, ministros etc. Vitiari autem potest hoc cambium multis modis, utpote falsam vel non usualem vel detonsam et minoris ponderis monetam dando, et meliorem accipiendo, vel plus justo pretio extorquendo etc.

50. Secundus modus licitus est cambium reale per litteras, quo ego accipio hic pecunias, quas alibi solvo, et insuper certum quid pro centenario, prout convenimus; de

Digitized by Google

quo litterae conficiuntur, ut solutio fiat eis praesentatis. Quod licitum est, quum et sit et intendatur pecuniarum commutatio et nihil intendatur vel accipiatur ab eo, qui dat pecuniam prius, ob expectationem, ut sibi solvatur, et quoniam pro interesse et servitio justum pretium datur. Quia autem in hoc cambio majores expensae interveniunt majoraque pericula, et personae qualitas excedere solet [sic] et interesse majus occurrere, merito justum pretium majus est, quam illud cambii minuti. Est autem etiam hic justum pretium, quod sine fraude et violentia communiter currit, vel quod a bono et perito viro juxta exigentiam servitii vendibilis taxatur. Ad quod opus est respicere distantiam locorum et differentiam valoris monetae datae et accipiendae; non autem distantiam temporis, nisi forte ad lucrum cessans compensandum. Ideo suspecti videri possunt certi mercatores, qui in his cambiis de loco ad locum ultra tempus, quod praescripserunt ad hoc, quod commode possint mitti litterae ad locum solutionis, (quod merito est eo majus, quo locus est distantior), taxaverunt etiam aliud tempus a die praesentationis litterarum usque ad diem solutionis, et hoc eo majus esse voluerunt, quo locus est distantior. Quod eo factum videtur, ut plus mercatores detineant apud se pecunias et illis lucrentur; quia, sive sit locus longinquus sive propinquus, postquam illuc pervenerunt litterae, sat est tantum temporis sumere, ut solutio fieri commode possit. Et ideo mercatores Romae, sive e longinquo veniant litterae sive e propinquo, decimo die ab eis praesentatis solent (si memini) facere solutionem. Licet autem praedictus abusus corrigi posset, non damnarem tamen eos, qui, illo durante, bona fide sine respectu ad tempus solvunt in termino a majoribus praefixo. Vitiari autem posset hic modus intendendo pretium illud accipere non ob servitium vel interesse, sed ob dilationem a tempore datae a se pecuniae usque ad tempus recipiendae. Vitiaretur etiam, si fraude vel vi vel iniqua taxatione interveniente plus vel minus, quam exigat servitium vel interesse, recipiatur.

51. Tertius modus etiam licitus et realis est ille, quo ex. gr. ego, habens hic pecunias, do illas campsori,

Digitized by Google

ut mihi reddat alibi, ubi eis indigeo, dando etiam ei juxta pactum aliquid pro centenario, intervenientibus etiam litteris, ut fiat solutio. Hic modus licitus est, sicut praecedens, si non vitiatur iniquo pretio; est etiam remotus ab usura, quia ego, qui in hoc casu prior do pecuniam, nihil ob hanc anticipationem a mercatore accipio, sed potius illi aliquid do, ut pecuniam datam alibi mihi reddat. In modo autem praecedenti, quia campsor prior dat pecuniam, poterat intervenire usura, si ob hoc solum aliquid acciperetur, et non ob servitium vel interesse.

Si quis autem quaerat, an hoc 3° vel 2° modo liceat lucrari etiam noncampsori, dicendum videtur, quod si illud lucrum accipitur ob compensationem interesse, quod inde incurrit, vel melioris monetae, quam ipse dat, licite id lucrum accipitur. Et ideo fortassis licebit etiam nonmercatori danti pecunias in Italia, accipere aliquid plus in Hispania, quia moneta Hispaniae, ubi etiam caetera sint paria, aliquid minus valet, quia inde non potest libere extrahi ob regium edictum. An autem ultra interesse et majorem valorem suae monetae liceat noncampsori aliquid accipere, putant aliqui quod non, quia in eo servitio exhibendo non facit expensas nec operas collocat, ut campsor, imo fortassis id est sibi commodum, ideo non debet vendi proximo. Sed fortassis dici potest, licere etiam huic aliquid pro hoc servitio accipere, licet non tantum ut campsori; nec requiritur, ut opus aliquod sit mercede dignum, quod peculiares exigat expensas; sed satis est, quod proximo utilitatem exhibeat, quae pretio emi possit.

Caput XVII. Genera cambiorum illicita.

52. Ut praecedentes modi communiter habentur justi, ita hi, qui jam sequentur, merito habentur injusti.

Et primus modus injustus est, quum in loco, in quo accipitur pecunia cambii nomine, in eodem et redditur post aliquam moram temporis, aliquid etiam ultra sortem addendo. Cujus rei exempla, quamvis supra sparsim

Digitized by Google

posita sint, quia mutua potius sunt, quam cambia, tamen hic denuo colligentur, quia nomine cambiorum palliantur.

Primum ergo exemplum est: Mercator egenti mutuat pecunias pacto, quod post certum tempus eas reddat, et insuper lucrum, quod succedet eo tempore ex cambiis Lugduni vel Besansone. Hic manifesta usura est, si revera non interveniat ex hoc mutuo tantum lucri cessantis, servatis ejus conditionibus, quantum est lucrum cambiorum. Nec excusatur per hoc, quod ajunt, cambia quandoque nihil lucrari; quia hoc rarissimum est, et, ut committatur usura, sat est, quod frequentius lucrentur; nam obligatio ad solvendum, quod lucrantur cambia, eis frequentius lucrantibus, onus quoddam est pecunia aestimabile, et ideo id exigere pro mutuo usura est. A qua etiam non excusantur dicentes, se hoc ex caritate facere; si enim, ut ajunt, darent pecunias, expeditis litteris, oporteret eum, qui accipit, gravari in expensis, quae dantur ministris et in cambiorum vectigalibus; a quibus hoc modo excusantur; sed hi non vident, praestare has expensas facere, quam violare Dei praeceptum usuram committendo. Si vero quaerunt, quare hoc sit usura, et non cambium reale facere, manifesta est responsio: Quod in cambio est aliquod servitium mercede dignum, ideo aliquid ultra sortem licet accipere; in mutuo autem, secluso interesse, nihil est non gratiose donandum, et ideo nil accipiendum ultra sortem. Libet jam dictis adjungere, ultra usuram committi in hoc casu injustitiam; quia mercator mutuans non solet omnes expensas remittere mutuo accipienti, sed partem; et ita pars reliqua injuste accipitur, quia deberet esse merces servitii cambii, quod nullum hic intervenit; ideo qui non laborat, injuste manducat.

Secundum exemplum est: Mercator mutuans egenti fictas litteras expedit ad fictum Lugdunum, hoc est ad S. Petrum de Arena, ubi convenientes mercatores tempore, quo alii conveniunt Lugduni, taxant fere pro libitu lucrum illius ficti cambii, de quo denuo fictas litteras faciunt. Juxta quarum tenorem, qui mutuo accepit, solvere debet et sortem et usuram. Hic etiam usura est manifesta et

Digitized by Google

injustitia, si non est tantum lucrum cessans; imo ubi hoc esset, in illis fictionibus perniciosum mendacium existit, quia quantum ex se est, isti tollunt fidem mercatoribus, qua ablata, pereunt humana negotia et commercia.

Tertium exemplum est: Mercator egenti pecunias dat et conficiuntur verae litterae pro Besansone, sed quae sciuntur non debere acceptari, sed insolutae remitti cum fide lucri currentis cambiorum, ut id ultra sortem reddat, qui mutuo accepit. Hic etiam est usura et hypocrisis inutilium litterarum.

Quartum exemplum: Mercator datis pecuniis egenti, et qui non habet creditum Besansone, facit, ut suus ibi oeconomus acceptet litteras missas ab eo, qui pecunias accepit, facto pacto reddendi lucrum cambiorum. Hic etiam est usura, et solo nomine cambium, quia nemo commutat suas pecunias cum aliis etiam suis.

Quintum exemplum est: Quispiam dat egenti pecuniam pacto, post certum tempus recipiendi illam summam in alia specie monetae, vel certo vel probabiliter plus valitura. Hic, secluso interesse, etiam est usura, quia amplius recipitur ob mutuum. Secus autem res se haberet, si gratiose offerretur, et acceptaretur melior moneta. Si autem dubium esset et in aequilibrio, an plus vel minus valitura esset recipienda moneta, quae data citra usuram reciperetur, sicut etiam ubi dubium esset an recipienda[1] moneta valitura esset 100, an vero 120, liceret ab initio pacisci quid certum inter utrumque valorem, nempe 100 et 10, quod ex 2. casu cap. Naviganti De usuris[2] patet.

Sextum: Quispiam dat hic et in his nundinis 100, ut in sequentibus nundinis habeat 100 et 4. — Septimum exemplum: Quispiam dat hic 100, ut in eodem loco recipiat unum pro uno mense, duo pro duobus, tria pro tribus, et sic de consequentibus. In his quoque casibus usura manifesta est. — Octavum: Dat quispiam Florentiae 10 libras grossorum, sive 100 aureos, ut intra mensem reddantur Florentiae, pretio currenti Venetiis post 10 dies contractus, sic singulis mensibus renovato contractu. Venetiis autem com-

[1] *Et in — recipienda* desunt in Ms. II. [2] Est cap. 19 (V, 19).

Digitized by Google

muniter plus valent 10 librae grossorum, quam Florentiae. Ideo etiam hic usura est, et non cambium, quia lucrum ultra sortem in eodem loco redditur.

53. Secundus modus etiam manifeste illicitus cambiorum est, quando intervenit quidem differentia locorum pecuniae datae et acceptae, intervenit etiam distantia temporis, sed extraordinarie praefixa in fraudem usurariam. Cujus modi exempla, etiam Januensibus usitata, subjiciemus.

Primum ergo exemplum sit: Quum mercatores quater in anno, juxta quatuor nundinas totum annum absumentes, cambire soleant, quater scilicet in annum data pecunia et expeditis litteris, et quater recuperata, aliqui semel tantum dantes pecunias, et expedientes litteras duarum vel trium vel quatuor vel plurium nundinarum, lucrum accipiunt de pecuniis per dictas nundinas semel relictis; quem modum negotiandi mercatores Itali vocant „Cavalcar fiere", Hispani vero „Atravesar ferias." Hic igitur intervenit usura vel alia etiam injustitiae species. Usura quidem, quia quum lucrum primarum nundinarum respondeat servitio cambii, cujus est merces, reliquarum nundinarum lucra pro mutuo et dilatione temporis solum dantur. Vel si non dantur ratione temporis vel servitii, quia unicum tantum intervenit, et duplo vel triplo vel quadruplo pretio solvitur pro numero nundinarum, manifesta injustitia committitur; est enim ac si quis vellet locare operam unius diei pro pretio laboris quatriduani. Quae omnia intelliguntur, si dans pecunias ex hoc non incurreret tantum interesse, quantum lucri provenit ex cambiis aliarum nundinarum, quae primas sequuntur. Nam si incurreret exempli gratia damnum vel lucrum cessans 15 aureorum, et totidem lucrarentur tres primam sequentes nundinae, liceret exigere 20 pro pecuniis datis ad 4 nundinas, 5 tantum ratione cambii et 15 ratione interesse.

Secundum exemplum sit: Quum sit praefixum certum tempus, intra quod mercatores bonae famae solent litteras ad instantes nundinas expedire, aliqui avidiores tempus dandi pecunias anticipant, ut quo plus ab accipiente detinen-

Digitized by Google

tur, plus lucri reddat. Idcirco quidam missuri pecunias Messanam vel Consentiam, ut sericum vel emant vel solvant, dant pecunias suas illuc deferendas per 6 vel 8 menses, antequam dari soleant ordinarie. In quo absque dubio usuram committunt, quia per totum illud tempus anticipatum censetur pecunia mutuata et ob id lucrum recipi, si non ostenditur lucrum cessans, quod compenset vel damnum.

Tertium exemplum est eorum, qui ex eadem lucri aviditate tempus ordinarie praefixum prorogant et postponunt; ut faciunt illi, qui videntes, esse minus temporis a data pecunia usque ad eam recuperandam in nundinis, quas vocant apparitionis, quam in aliis nundinis, ideo, ne parum ex parvo tempore lucrentur, nolunt dare pecunias suas usque ad nundinas apparitionis solum, sed etiam usque ad sequentes. In idem redit, quod alii faciunt, qui quum consueto et debito reputato modo pecunias suas miserint Lugdunum, tempore eas recuperandi et Januam remittendi, nolunt recuperare vel remittere, sed ibidem eas dant ad alias nundinas ad lucrum, quod refundent cambia. In quo usuram committunt, quia quum secundo dant pecunias Lugduni, non cambiunt, sed mutuant, et usura est, secundum lucrum accipere.

Caput XVIII. Genera dubia cambiorum. Divisio.

54. Post modos cambii manifeste licitos et clare illicitos, superest, ut eos, de quibus dubium et controversia est, pertractemus. Hi autem sunt, qui quamvis sint de loco ad locum, mora ordinaria interveniente inter datam pecuniam et acceptam, (ut solet esse in cambiis realibus per litteras, quae licita ostensa sunt), tamen videtur in eis considerari potius temporis mora, quam loci distantia et in ea interveniens servitium. Et ideo merito de usura sunt suspecti. Et quia horum varia exempla sunt, et inter ea magis usitatum cambium Lugduni seu Besansonis, de eo prius tractabimus, quia ejus visa vel justitia vel iniquitate facile erit alios casus controversos decidere.

De hoc ergo 1^0 videbimus, quomodo fit,

Digitized by Google

2° an liceat,

3° an expediat, si licet,

4° an si non licet, corrigi possit, ita ut liceat, et qua via.

Caput XIX.

Quomodo fiat cambium Besansonis, quod illicitum esse probatur.

55. Quoad primum igitur ferunt, nundinas Lugdunenses olim celebrari solitas Januae, illucque confluere solitos Germanos, qui afferebant massulas auri ponderis 8 unciarum, ut illis merces suas emerent. Hae igitur auri massulae marchae vocabantur, fortasse, quod aliquo charactere vel signo justi ponderis insignitae essent. Translatis igitur his nundinis in Lugdunum, cambium Lugdunense hoc modo fiebat: Quum mercator, cui in nundinis marcha auri solvenda erat, et ante nundinas egebat, adibat mercatorem habentem pecunias et commutabat marcham auri sibi solvendam, pro pecunia numerata juxta quod inter eos conveniebat; nam pretium non erat fixum, sed dabantur pro marcha, quae 65 scuta Lugduni valebat, 61 vel 62 vel 63, prout inter se mercatores conveniebant. Marcha etiam Lugduni recepta et alio remissa varium pretium reddebat, nempe 61, 62 vel 63 etc., quod communiter pretium excedit, cum quo marcha erat prius empta sive commutata. Atque hoc quidem modo fit cambium Lugduni. Non ita pridem tamen ob dissensiones Januensium et regis Galliarum, recesserunt a commercio Lugdunensium et transtulerunt cambiorum negotia ad Besansonem Burgundiae civitatem. In qua tamen non nundinae sunt, nec magna commercia, ut fiunt Lugduni; sed solum mercatores Januenses ibi in cambiis negotiantur; qui etiam non commorantur Besansone, ut faciebant Lugduni, sed solum tempore nundinarum et solutionis suos juvenes et negotiorum factores illuc mittunt, intra paucos dies reversuros.

56. Fit igitur modo sequenti cambium Besansonis, de quo est controversia: Mercator, habiturus pecunias in proximis nundinis Besansonis et ante eis indigens, adit alium mercatorem pecunias habentem, et commutat cum

Digitized by Google

eo scuta marchae ibi solvenda tempore nundinarum proximarum pro numerata pecunia, prout inter se conveniunt: quo pacto et pretio facto, mercator accipiens pecunias, conficit litteras, quibus jubet scuta marchae, de quibus est conventum, Besansone solvi tempore nundinarum proximarum. Mercator etiam dans pecuniam conficit litteras, quibus jubet suo oeconomo, ut dicta scuta marchae recuperet, et ad se remittat Januam, vel alio, prout sibi videbitur magis expedire. Besansone autem raro vel numquam fit solutio in numerata pecunia, sed tantum fiunt schedulae seu litterae, ut Januae vel alibi fiat realis solutio et in numerato.

Ut autem quae in genere dicta sunt, de hoc Besansonis cambio particulari exemplo intelligantur, sciendum, scutum marchae, quod Besansone solvitur, non esse realem aliquam monetam usualem, sed valere 44 solidos Parisienses, hoc est solidum unum, sive 10 quatrinos minus, quam valeat scutum solare; sicut etiam libra non est una moneta extans, sed valet 20 solidos Italicos. Quum igitur scutum solare valeat Januae 70 solidos Januenses, et scutum marchae valeat Besansone 68 vel circa, solet commutari, seu ut alii vocant, vendi pro 65 vel 66 vel 67, prout convenit inter ipsos mercatores. Et ut hoc pretium, pro quo commutatur scutum marchae, non est fixum, ita etiam id, quod pro scuto marchae redditur, quando fit ejus, jam Besansone soluti, remissio, non est quid fixum, sed varium; licet communiter sit plus quam primo datum fuerit pro scuto marchae. Nam si ex. gr. mercator dedit 66 solidos[1] Januae pro scuto marchae, habebit 67 vel plus ex dicto marchae scuto.

57. De[2] hoc igitur cambio ad modum dictum celebrato, juxta pretium currens et pro proximis nundinis et cum expeditione litterarum est jam controversum, an liceat necne. Et quamvis aliqui moderni doctores de hoc haesitent, et rem velut dubiam relinquant, mihi tamen

[1] Ms. II. addit. *Romanos.*

[2] In altero codice incipit hoc loco caput XX., ita ut nostrum XX. illic computetur XXI. et ita porro.

Digitized by Google

videtur minime licere eo modo, quo communiter fit. Quod variis rationibus persuaderi potest non protervo. Adjunxi autem, eo modo, quo communiter fit, quia dari posset modus, quo liceret, de quo postea videbimus.

Quod autem, ut communiter fit, non liceat, ex eo patet, quia quum ad justitiam cambii tres conditiones requirantur, nempe, quod re et intentione fiat commutatio pecuniarum, quod non habeatur ratio temporis vel expectationis, et quod pretium sit justum, cambium Besansonis in quavis harum trium conditionum claudicare videtur.

58. Nam quoad primam conditionem, ea non videtur plane servari. Saepe enim accidit, ut, qui pecunias accipit Januae, non habeat nec habiturus sit pecunias Besansone. Ideo curat, ut vel ipse mercator mutuans vel alius Besansone acceptet suas litteras. Quo casu clarum est, quod non fit nec intenditur realis permutatio pecuniarum. Nam si mercator, qui dedit pecuniam Januae, acceptet litteras pecuniam accipientis, clarum est, quod idem non commutat suas pecunias cum suis. Si autem alius mercator acceptat litteras, quum illi, cujus litteras acceptat, non tradat pecuniam, non fiet etiam realis commutatio; quia ad illam requiritur, quod sint duo extrema, quae commutentur, hoc est, pecunia Januensis et pecunia Besansonis; quam hic, ut dicimus, non habet. Dato etiam, quod revera mercator accipiens pecunias, haberet vel habiturus esset jus ad scuta marchae Besansone, adhuc non fieret realis commutatio; et hoc, quia, ut dictum est, non fit Besansone realis solutio in numerato, sed tantum dantur litterae. Causa autem, quare non fiat solutio in numerato, est, quia domini Januenses statuerunt, ut, si quis exigeret solutionem in numerato Besansone, teneretur dare debitori 20 dierum spatium, quo mitteret Januam, et inde pecuniam exportaret. Ex quo fit, ut mercatores non exigant solutionem in numerato, nc dictis 20 diebus eorum pecunia otiosa et sine lucro sit. Quum igitur Besansone non correspondeat communiter realis numeratio monetae, sequitur, non servari primam conditionem. Neque valet, si quis respondeat, tandem mercatorem, qui Januae dedit pe-

Digitized by Google

cuniam, pecuniam etiam Januae recipere, quoniam scuta marchae Januae solvenda remittuntur ex Besansone: non valet, inquam, haec solutio, quia inter pecuniam datam Januae et ibidem susceptam non intervenit cambium, quia in eodem loco non fit cambium monetae cum alia ejusdem speciei. Et idcirco hic intervenire dicunt duo cambia, alterum quum moneta data Januae permutatur cum scutis marchae Besansone, alterum vero, quo scuta marchae Besansone permutantur cum moneta recipienda Januae. Et in utroque horum alterum tantum extremum est realis moneta, nempe illa, quae vel datur vel recipitur Januae; alterum autem extremum non est realis moneta, sed jus potius ad eam Januae vel alibi recipiendam; quod jus saepe, dum fieri dicitur commutatio, hoc est, dum pecuniae primae accipiuntur Januae, nondum est partum, quia mercator, qui pecunias accipit, nondum est dominus illius juris, sed futurus est tempore nundinarum; et ideo antequam sit dominus, nihil potest cum illo jure permutare. Ideo, quia dans pecunias Januae, non intendit habere rudes polizas Besansone, sed potius pecuniam, quam dedit Januae, etiam cum lucro ibidem recipere, potius intervenit et intenditur hic lucrum ex mutuo, quam realis permutatio pecuniarum.

59. Unde etiam deficit huic cambio secunda conditio, quia pro temporis dilatione et expectatione solutionis lucrum intenditur et suscipitur, et non pro servitio vel obsequio vendibili, quod in hoc cambio intervenit.

Quod ut clare intelligatur, supponendum primo, in hoc differre cambium Besansonis, atque adeo omnia cambia, quae de nundinis ad nundinas fiunt, a cambiis realibus, quae fiunt de loco ad locum, quod in cambiis realibus id temporis tantum praefigitur a data pecunia in uno loco ad recipiendam in alio, quod commode sufficit ad hoc, quod litterae commode ab uno in alium locum mittantur, et praesententur; in cambiis vero, quae fiunt de nundinis ad nundinas, longe plus temporis statuitur, quam requiratur ad litteras commode ferendas. Nam, ut de cambio Besansonis loquamur, quum sufficiant 20 dies ad hoc, quod quis

Digitized by Google

ex Janua illuc eat et redeat (tantum enim temporis praefigunt mercatores ei, qui debet solvere in numerato, ut jam diximus), in cambiis, quae modo fiunt, longe plus statuitur, quia in 4 cambiis et eorumdem 4 remissionibus insumuntur 12 menses, et tamen, ut dictum est, tres sufficerent. Secundo supponendum est, quod mercator, qui pecuniam numeratam cum scutis marchae commutat, eo minus pecuniae pro quovis scuto marchae numerat regulariter, quo majus tempus interest inter datam a se Januae pecuniam et receptam ab eodem ibidem post cambiorum remissionem; eo etiam plus pecuniae tradit regulariter, quo minus temporis est a data ad accipiendam pecuniam; ita ut, quo plus temporis detinetur ab accipiente pecuniam, eo plus dans lucretur, et quo minus, minus. Dixi autem regulariter, quia accidere potest ob penuriam pecuniae numeratae, vel ob copiam eorum, qui illa indigent, ut licet parum sit temporis a data ad accipiendam pecuniam, parva tamen pecunia comparetur marchae scutum, et ita multum lucretur parvo tempore. Tertio supponendum est, quod in cambio Besansonis regulariter interveniat plus lucri pecuniam danti, quo plus temporis ea ab accipiente detinetur, et minus, quo minus, etiam si non interveniat tantum interesse damni emergentis vel lucri cessantis; quia etiam hi, qui hujusmodi interesse non incurrunt, exigunt nihilominus dictum lucrum pro cambiis. Addidi autem hoc de interesse, quia ubi illud intervenit, quamvis non interveniret cambium, sed solum mutuum, liceret tantumdem accipere.

His igitur suppositis, quae vera esse mercatores fatentur ex eorum experientia quotidiana, probatur jam, in cambio Besansonis non servari secundam conditionem, sed haberi principaliter respectum ad tempus et expectationem solutionis.

Primo ideo quia secundum doctores et sapientiores et meliores mercatores non licet vel simul pro pluribus nundinis ad cambium dare, vel anticipare praeter solitum tempus dandi pecunias ad nundinas, vel prorogare terminum et pecuniam pro proximis nundinis datam relinquere

Digitized by Google

pro sequentibus. Ideo, inquam, ista non licent, quia pro longiori tempore, quo detinetur data pecunia, plus lucri exigitur. Quum igitur idem eveniat in cambio Besansonis, ut ex secunda suppositione patet, sequitur ex hac parte esse illicitum, et illi secundam conditionem deesse.

60. Secundo idem probatur, quia si in cambio reali de loco ad locum plus temporis praefigeretur, quam statutum est, et conveniret ad commode praesentandas litteras, et hoc fieret, ut ratione prolixioris temporis plus lucri obveniret, manifeste illicitum esset tale cambium et vitiata esset in eo secunda conditio. Quum igitur in cambio Besansonis id eveniat, ut ex prima suppositione probatur, patet, id illicitum esse, illique deesse secundam conditionem, et in fraudem usurariam hujusmodi cambia esse inventa. Cui rei attestantur fide digni, qui tradunt, in Hispaniis Ferdinandum regem cognominatum Catholicum severe animadvertisse in usurarios, qui ut mulctam fugerent, ubi primum mutuabant ad usuram de nundinis ad nundinas, palliare coeperunt hujusmodi mutua nomine cambiorum de nundinis ad nundinas.

Neque satisfit dictis argumentis respondendo plus lucri obvenire in prolixiori tempore, non ratione temporis vel expectationis, sed quia ita currit cambium; quia quaerendum est ab his, qui ita respondent, quare ita currat cambium, ut minoris constet scutum marchae tardius solvendum, quam quod cito solvendum est. Et si mercatores consulere conscientias proprias voluerint et se ipsos minime decipere, respondebunt, se, quum ab eis petuntur pecuniae, statim apud se supputare, quantum temporis earumdem realis solutio differatur, et quo plus reperitur, plus se velle lucrari.

Secundo non satisfaciunt respondentes, ideo minori pretio emi vel commutari scutum marchae tardius solvendum, quam quod cito solvitur, quia, quum scutum marchae secundum eos vendatur, ubi plus distat ejus solutio, plures inveniuntur venditores, et ideo scuta illa minus valent, quia viliori emitur merx copiosa et quae a pluribus venditur, quam rara et quae a paucis; haec, inquam, solutio

Digitized by Google

parum est solida; 1° quia, licet sint plures venditores illo tempore distante a solutione, quam tempore illi proximo, sunt etiam plures emptores; quia sicut qui accipit pecuniam, vult illam tempestive accipere, ut habeat tempus solvendi, ita etiam qui dat pecuniam, vult illam tempestive dare, quia plus inde lucratur; et ita, sicut plures venditores sunt scutorum marchae et plura scuta vendenda, ita etiam plures sunt emptores et plures pecuniae, quibus in numerato emantur. 2° deficit haec solutio, quia copia venditorum, quae solet vilem facere mercem, est illa, qua res venditur in numerato, et non anticipata solutione, vel ad tempus; pretium enim rei est, quod valet in numerato, et non ad tempus, vel anticipata solutione. Quum igitur scuta marchae vendantur pro solutione anticipata, quia ante recipiuntur pecuniae, quam tradantur, fit ut copia venditorum non ea viliora reddat. 3° consulat quivis mercator conscientiam suam et videbit, quod ubi unus tantum esset Januae, qui venderet, unus item, qui emeret, ubi etiam aequalis esset copia scutorum marchae in vendente et pecuniae numeratae in emente, adhuc emens eo vilius vellet vendere scutum marchae, quo tardius sibi esset remittendum. Ergo ex dilatione provenit haec diversitas, et non ex copia venditorum.

Ex quibus etiam liquet non stare eorum responsionem, qui dicunt, ideo plus accipi lucri ab eo, cujus pecunia diutius detinetur, quia talis campsor locat operas suas ei, cui dat pecuniam, et plus valet eadem opera, quo plures sunt locatores et pauciores locantes. Quod evenire ajunt eo plus, quo magis distat pecuniae datae solutio. Haec igitur responsio eodem modo, quo praecedens, impugnatur. Nam sicut, quando plus distat solutio, plures sunt locatores, ita et plures locantes, et copia locantium operas, quas in numerato solvunt, auget operarum pretium, non autem copia eorum, qui solvunt post certum tempus; quales sunt hi, qui pecuniam accipiunt; nam scuta marchae post tempus reddunt, et non in numerato. Licet etiam unus tantum esset locans, et unus locator, adhuc hic eo plus locaret operam suam, quo tardior futura esset solutio.

Digitized by Google

Neque bene illi respondent, qui hoc ajunt evenire non ratione temporis vel expectationis, sed, quia merx, qua non possumus statim uti, qualis est illa, quae post certum tempus consignatur vel tardius venditur, minus valet, quam ea, quae statim traditur et statim distrahi potest, et per eam lucrum acquiri: ita etiam, quia scuta marchae non statim traduntur, minus valent, et eo minus, quo tardius tradenda sunt. Sed peccat haec solutio, quia pecunia non est merx, et, secluso interesse, ut hic loquimur, tantum valent 100 aurei certo in futurum solvendi, quantum 100 praesentes, quia sine aliquibus expensis fiunt tandem praesentes per solam expectationem. Secus autem habet res in absentibus mercibus, quae sine expensis non fiunt praesentes.

Constat igitur ex jam dictis, respici ad tempus et expectationem in cambio Besansonis, et ideo illicitum et usurarium esse.

Quod ex eo demum probatur, quia lucrum, quod accipitur, non accipitur ob interesse, ut ex tertia suppositione accepimus, nec propter obsequium vel servitium, ut probabimus. Ergo ob solam expectationem id accipitur. Quod autem non accipiatur ob servitium ex eo patet, quia imminente de proximo solutione, mercatores, qui dant pecunias, saepe fere nihil lucrantur, quum tamen ibi interveniat obsequium idem, quod intervenit ubi differtur solutio. Patet etiam hoc ex intentione ipsa mercatorum. Nam ille, qui accipit pecunias, si dat lucrum campsori, non intendit ob id illud dare, quod serviat sibi, virtute ferendo pecunias e Besansone in Januam; quia Besansone nullas habet pecunias, quas inde Januam cum periculo et expensis asportet; sed solum dantur ibi litterae, quae sine periculo et paucissimis expensis a cursoribus portantur. Ideo intentio vel sola vel praecipua est, ob expectationem solutionis mutuatae pecuniae lucrum dare vel accipere; quod usurarium est.

61. Demum deest tertia conditio cambii Besansonis. Non enim exigitur justum pretium, sed iniquum, communiter pro hoc cambio.

Digitized by Google

Quod ut intelligatur, sciendum est, quod quum mercator dat Januae pecunias, ut sibi Besansone reddantur scuta marchae, pretium, pro quo commutantur scuta marchae, taxatur a mercatore dante pecunias, et ab eo, qui accipit. Nam qui dat, respicit, an sint multi, qui propter bella vel negotia vel alias occurrentes expensas indigeant numerata pecunia; et quo plures sunt hujusmodi et plus temporis est differenda solutio, eo minus pecuniae dat pro quovis scuto marchae. Quo autem minor est copia egentium pecuniis vel citius futura est solutio, eo plus dat pro scuto marchae; sed, ut dictum est, pretium hoc taxatur a dante et accipiente. Besansone autem, postquam est facta solutio scutorum marchae per scripturam (nam in numerato, ut dictum est, non fit), facta ergo solutione, ut remittant mercatores scuta marchae Januam, convenientes simul taxant, quantum numeratae pecuniae debeat Januae solvi pro quovis marchae scuto. Et in hac taxatione illi, qui habent scuta marchae, si vident alicui imminere fidei jacturam, si ea non accipiat, vel si vident alicui principi imminere necessitatem expensarum ob bella vel aedificia vel nuptias, taxant fere pro libito valorem illorum scutorum, ita ut debitori nimis pro quovis sit Januae vel alibi solvendum.

Ex quo patere incipit, quod dictum est, pretium esse injustum; primo quia quum homines cupidi sint, in propria causa judices nec respiciunt, quid aequitas velit sed ad quid compellat necessitas egentis, et quantum possunt lucrari volunt. Est enim usurarius, teste Basilio, „caupo humanarum calamitatum.“ Deinde testatur experientia eos, qui hujusmodi solum cambiis vacant, ditiores evadere, quam vacantes mercimoniis; et tamen mercatores plus industriae et laboris et periculi et expensarum habent, quam campsores. Quum igitur mercatores juste lucrentur, de bonis enim loquimur, campsores ultra justum lucrabuntur. Demum si bene res inspiciatur, lucrum cambii, ut diximus, redditur non mutuo, quod gratis est praestandum, neque interesse, quod hic non intervenire supponimus, sed obsequio, quo campsor dans pecuniam Januae

Digitized by Google

ibi egenti pro pecunia, quam habet Besansone, perinde illi servit, ac si virtute illi afferret pecuniam ex Besansone usque ad Januam. Ob quod servitium solent campsores conducere domos in aliis locis et ibi ministros continuos habere. Quandoque etiam accidit, ut cum periculo et expensis transportent pecunias ex uno loco in alium, ut ubique possint habere paratam pecuniam ad solvendum in numerato, quum est opus. Ob quae omnia justum censetur lucrum, quod illis datur. Sed haec fere omnia cessant in cambio Besansonis. Nam non portantur pecuniae, sed litterae sine periculis et fere sine expensis; non habent ibi ministros continuos, ut habebant Lugduni; non fit ibi realis solutio, ut fiebat Lugduni propter merces, quae ibi venduntur; non servit etiam hoc cambium mercibus, ut serviebat cambium Lugduni, nisi forte eo modo, quo mutuum servit. Et ideo revera longe cambium Besansonis injustius est illo Lugduni, quia idem lucratur, et minus servit minoribusque expensis merumque pallium videtur usurarii mutui.

Committitur etiam in eo saepe alia injustitia, quod saepe ejus lucrum solvit ille, cui nullum ex hoc cambio praestatur obsequium. Nam si quis e. g. dat Januae pecunias campsori, quo illas reddat in Hispania, vel accipit ab eo in Hispania reddendas, quum possent mitti litterae recta via in Hispaniam et ibi fieri solutio, campsores non id faciunt, sed mittunt Besansonem, ut ibi solvatur cambium et inde alio novo cambio mittunt in Hispaniam; quum tamen ille homo nihil negotii habeat Besansone, ac per hoc nullum ei obsequium fiat, si suae pecuniae illuc mittantur, quum tamen solvat, perinde ac si obsequium inde recipiat. Quod etiam evenit illi, qui quum Januae accipiat pecunias, et ibidem sit eas soluturus, mittit nihilominus litteras Besansonem, ubi nihil habet negotii vel emolumenti et perinde solvit, ac si aliquid acciperet.

62. Neque solum cambium Besansonis probatur illicitum, quia ei desunt tres cambii justi conditiones, ut probatum est; sed etiam quia, quum contractus aliquis in se saltem est dubius (quia incertum est, an liceat necne),

Digitized by Google

et quum hoc faciens se periculo infamiae exponit et aliis praebet occasionem manifeste illicita committendi, talis contractus quasi illicitus habendus est, et absque dubio illicite in dicto casu exercetur. Sed cambium Besansonis saltem dubium habetur ab omnibus doctoribus, qui hujusmodi res tractant; quia licet hujus in specie non meminerint, meminerunt tamen cambii Lugdunensis, minus, ut vidimus,[1] suspecti, et illud tamquam cambium siccum et dubium ponunt. Quibus consentiunt meliores aliqui mercatores, qui hujusmodi cambiis vacare nolunt; qui nunc pauci sunt, ante 70 tamen annos erant quamplurimi; imo tam rari erant tunc mercatores cambia haec exercentes, sicut nunc sunt rari qui ab eis abstineant.

Quae omnia ostendunt, cambium Besansonis, si non certe illicitum, saltem dubium esse.

63. Ex quo illud sequitur eum, qui id exercet, aliis praesertim negotiis relictis, periculo infamiae se ipsum exponere. Ut enim merito dubitatur, an cambium illud sit usurarium, ita etiam illud exercens suspectus de usura haberi potest; quod non fit sine infamiae nota. Quam non solum inurit hoc cambium, sed etiam aliis praebet occasionem manifeste illicita faciendi. Nam, quia homines neque vident eos, qui boni censentur, cambium Besansonis exercere, illi retento nomine mille modis rem adulterant, vel mutuando cum spe lucri, quod eveniat ex eo cambio, vel factis et non missis litteris, vel missis et non acceptatis, vel fictis litteris et nominibus locorum, vel anticipato tempore pecunias dandi ante nundinas, vel prorogato termino solutione dilata usque ad alias nundinas, vel simul pro pluribus nundinis pecuniam ad cambium dando, vel simul sumendo totam pecuniam nundinarum, ut longe carius eam tradat, quam acceperit,[2] vel ut depositionem lucretur, quam cum alio prius fecit de futuro cambii cursu (solent enim mercatores deponere, quod in proximis nundinis curret tale pretium cambiorum; quod ut evenire faciant, ut praedixerunt, et inde lucrentur, assumunt ad cam-

[1] Ms. II. *videbimus.* [2] Ms. II. *açcipiet.*

Digitized by Google

bium totam pecuniam nundinarum), quae omnia et plures alii abusus ex cambiis, quae exercentur de nundinis ad nundinas, oriuntur. Ideo illicita sunt.

Caput XX. Diluuntur argumenta in favorem cambii Besansonis prolata.

64. Nec excusantur cambium Besansonis et alia ei similia per argumenta, quae in ejus favorem mercatores vel alii colligunt, quae jam proponenda et resolvenda sunt.

Primo ergo adducunt, cambium Besansonis esse licitum, quia in eo servantur tres quaedam conditiones, quas ajunt necessarias et sufficientes esse, ut cambium sit licitum. Harum autem 1ª est, quod fiat pro proximis nundinis, prioribus jam finitis; 2ª quod expediantur et mittantur et acceptentur litterae Besansone; 3ª quod detur pretium cambii currens in foro tempore contractus. Quum igitur has conditiones servent boni nominis mercatores, fit, ut cambium videatur licitum.

Respondeo praedictas conditiones non annotari ab aliquo doctorum, quem legerim; neque niti etiam ratione, nisi forte trahantur ad conditiones a nobis positas, ita ut expeditio litterarum eo pertineat, ut intentione et re fiat pecuniarum commutatio: cambium pro proxima feria eo, ut non habeatur respectus ad tempus vel expectationem; pretium vero currens eo, ut pretium sit justum, quantum scilicet exigit obsequium cambii vendibile vel interesse. Si ergo in hunc sensum ponantur dictae conditiones, respondemus, illàs non servari in cambio Besansonis, ut probavimus. Si vero ad nudum sensum, quem verba porrigunt, accipiantur, respondemus conditiones praedictas nec sufficientes esse ad justitiam cambii nec necessarias. Nam quod non sufficiunt, ex eo patet, quia adhuc, eis servatis, potest cambium remanere illicitum. Nam esto, quod quis cambiat pro proxima feria, et pretio currenti et litteris expeditis cambii, si tamen intentio ejus esset aliquid lucri accipere pro mora solutionis, vel si pretium currens esset iniquum ex causis dictis, cambium esset illicitum, licet pro forma esset vallatum dictis conditionibus. Quae

Digitized by Google

etiam non sunt necessariae. Nam si quis non expediret litteras, sed ipsemet iret, ut accidit, Besansonem et ibi faceret solutionem, cambium posset esse licitum etiam sine expeditis litteris. Si dans etiam pecunias tantum interesse inde acciperet, quantum valet lucrum cambiorum ex duabus nundinis, posset pro duabus nundinis simul cambire, et non tantum pro proximis; sicut etiam ratione interesse posset quis excedere pretium currens. Ideo dictae conditiones non sunt necessariae.

65. Adducunt secundo, lucrum in hoc cambio esse incertum, quia quandoque nihil lucratur, qui dat pecunias, quandoque etiam perdit. Ex qua re aequalitas videtur induci, quando utraque pars potest et lucrari et perdere. Sed resolvitur haec objectio, quia loquendo de certitudine morali, quae hic tantum locum habet, certum est lucrum pecunias dantis, quia communiter semper lucratur, et rarissime oppositum evenit. Ut autem servaretur aequalitas, oporteret rem ancipitem esse, et utramque partem aequaliter posse lucrari et perdere.

Probant tertio licitum esse hoc cambium, quod ibi interveniat venditio scutorum marchae pro numerata pecunia; et ideo ibi non esse mutuum; et consequenter non posse esse usuram, cujus sedes est mutuum. Sed et hoc facile solvitur; quia quamvis proprie cambium non sit venditio, sed pecuniarum permutatio, ut supra visum est, tamen sive admittatur esse venditio, sive permutatio (quia scuta marchae non statim redduntur, sed post certum tempus), est ibi semper tacitum mutuum, et ideo potest esse usura.

Probant quarto licere hoc cambium, quia non est ibi mutuum, quum soleat alicui dari pecunia et ab alio diversa moneta recipi; in mutuo autem idem qui recipit solvit, et saepe in eadem moneta. Haec vero ratio solvitur, quia saepe ab eadem persona, quae pecunias accipit, fit solutio, et in eadem specie pecuniae. Quod accidit, quando qui accepit Januae, solvit etiam Januae in moneta Januensi, et nullam pecuniam habet Besansone; sed ibi tantum mendicat aliquem, qui acceptat litteras suas. Con-

Digitized by Google

tingit etiam in mutuo, quod a diversa persona fiat solutio et in diversa moneta; quod evenit, quando alius et in alia moneta pro eo, qui mutuo accepit, solvit. Demum quod ad rem magis attinet, licet variae sint personae et monetae, quia cum hac varietate potest haberi oculus ad tempus et expectationem, et injustum pretium esse, et ideo cambium illicitum.

66. Argumentantur quinto ex eo, quia campsor adhibet industriam suam et negotiatur circa pecunias, sicut mercator circa merces. Igitur, sicut huic licet lucrari, ita et illi. Respondemus, quod, sicut mercatori licet lucrari ex negotiis dumtaxat justis, ita etiam campsori tantum ex cambiis justis; qualia non sunt, quae de nnndinis ad nundinas fiunt. Ideo non faciunt justum lucrum, industria circa ea adhibita; quia etiam fur et usurarius adhibent industriam, ut furetur, vel ut usuram faciat.

Argumentantur sexto licere hoc cambium, quamvis interveniat lucrum, quia etiam licet monetam ex loco, ubi minus valet, deferre ad alium, ubi plus valet, et illic plus lucrari. Respondemus, dissimilem esse casum, quia hic datur lucrum, ut merces laboris portandi pecuniam, in cambiis autem datur ob expectationem.

Argumentantur septimo ex hoc, quod ipsimet mercatores accipiunt pecunias a campsore, sicut etiam aliis dant; ideo, quum utrumque a mercatoribus fiat, qui callent artem suam, non videtur esse deceptio. Respondemus, quod quamvis mercator a campsore accipiat, hoc facit, vel quia necessitate ad id compellitur, vel ex cupiditate plus lucrandi in aliis mercibus vel mutuis, quae praestant principibus; ideo parvam jacturam volunt facere solvendo usuram cambii, quia sperant, illam se posse resarcire et insuper lucrari.

Argumentantur octavo, quia omnes fere mercatores hujusmodi cambiis utuntur, et inter eos etiam illi, qui religiosi et probi videntur; absonum autem est, tam multos et tales viros decipi in re praesertim tam seria. Respondeo, cupiditatem, adjutam consuetudine et aliorum exemplo, posse facile esse in causa, ut non existimetur peccatum,

Digitized by Google

quod revera peccatum est. Et ita initio haec cambia respuebantur ut illicita; sed per subtilitatem et cavillationem mercatorum ea colorantium reddita sunt aliquibus dubia, aliquibus etiam certo bona, quum olim certo mala haberentur. Nec mirum, si tantum potest consuetudo in his, quae non tam manifeste apparent peccata, quando etiam manifesta peccata obscurare, ne agnoscantur, solet, dicente magno Basilio: „Jamvero etiam legitima gentium facta, multam inter se diversitatem habentia, confusionem inducunt animis eorum, qui non exactam justitiae rationem apprehenderunt. Etenim aliquae gentes parricidium justum ducunt, aliae omnem caedem ut scelestam adversantur, aliae temperantiam colunt, aliae matribus et filiis ac sororibus miscentur. Et in summa multi, veteri consuetudine detenti, scelus factorum suorum non agnoscunt.“[1]

Caput XXI. Quam nocivum sit idem cambium.

67. Est igitur illicitum, ut mihi quidem videtur, cambium Besansonis. Quod quamvis licitum esse fingeremus, adhuc tamen minime expediret; multa siquidem licent, quae non expediunt.

Quod vero cambium Besansonis non expediat, patet inprimis, quia omnia mala, quae ex usura dicta sunt oriri, ex hoc etiam oriuntur. Nam eos, qui id exercent, infames reddit et merito de usura suspectos. Reddit etiam eos otiosos; nam mercator occupatur in itineribus faciendis, in mercibus emendis et conservandis et perficiendis et vendendis, et earum solutione recuperanda; campsor autem sedens lucratur, solum brevissimis litteris, eisque raris, confectis. Otium autem sequitur luxuria et gula et avaritia (quia dulcius sapit pecunia sine labore parta), superbia et omnia mala. Non expedit etiam eis, qui pecunias accipiunt, quia eis praebetur occasio vel otii, vel inertiae et lusus, vel usuras exercendi, et carius vendendi, quae pecunia sumpta ad usuram emunt. Non expedit etiam principibus, quia quum mercatores eis prosint solvendo vectigalia et merces aliunde vehendo, campsores in

[1] Hom. 12. in principium Proverb. c. 8; Migne P. G. 31, 401.

Digitized by Google

nullo eis prosunt, et in multis obsunt, dum eorum patrimonia usuris exhauriunt, et ad usuras eis mutuantes materiam bellorum et superfluarum expensarum eis praebent. Nocent etiam aliis nobilibus, quia, quum hi cito in immensum lucrentur, immensas dotes praebent filiabus, qua consuetudine introducta non possunt alii nobiles locare suas filias matrimonio nobilium, sed vel in monasteria saepe invitas detrudunt vel ignobilibus maritis tradunt. Unde nobilitas paulatim extinguitur.

68. Nocent quoque cambia negotiis et legitimae mercaturae; tum quia per illa abolita sunt cambia realia, quae de loco ad locum fiebant, tum quia mercatores, invento hoc securo lucrandi modo per otium, et ex alia parte visis laboribus et expensis et periculis mercaturae, illam relinquunt et cambiis se tradunt, quibus etiam miscentur abusus superius recitati; quorum occasionem praebent, qui boni videntur et haec cambia exercent. Illi etiam, qui circa merces negotiantur, quia saepe pecunias a campsore accipiunt, quibus merces emant, necessario carius illas vendunt. Pauperibus etiam valde nocent haec cambia, quia mercator valde multos occupat in lana et serico et lino et pellibus et aliis mercibus tractandis, campsor autem vix uni aut alteri ministro prodest. Non vult etiam mutuare pecunias pauperibus; ex quo fit, ut nec agriculturam nec alias artes mechanicas exercere possint; unde fames et penuria in republica nascitur. Minus etiam divites mercatores, qui solum pecuniis a campsore sumptis negotiantur, intra paucum tempus jacturam fidei et bonorum faciunt. Ex quo rursus nascuntur dissensiones et odia inter divites et pauperes, ab eis praesertim gravatos; ex odiis autem proditiones et bella ac ruina civitatum prodeunt. In quibus etiam, qui nimis divites sunt. non curant publicum bonum, privato vacantes. Militibus etiam excitant invidiam et desiderium tales urbes depraedandi. Ideo Aristoteles censebat, civitatem non debere esse nimis pauperem, quod talis se tueri non possit, nec nimis divitem, quod vicinos hostes ad sui praedam alliciat. Ubi enim aliqui sunt nimis divites et reliqui nimis pauperes,

Digitized by Google

solet esse utrumque malum; quia privati divites movent alios ad praedam, et publicum aerarium inops cum reliqua paupere plebe non potest civitatem tueri.

Quamvis igitur talia cambia licita essent, quia sunt tam nociva, ut dictum est, possent et deberent juste prohiberi. Ut enim arma ferre ex se non est peccatum, et tamen juste prohibetur ob mala, quae inde oriuntur, ita de cambiis esset faciendum. Nec esset periculum impediendi ex hoc negotiationem; tum quia haec cambia, ut dictum est, potius illam impediunt; tum etiam quia ante illa non minus vigebat, ut hodie viget apud Turcas et alias gentes, quae his cambiis non utuntur.

Caput XXII. Quomodo cambium Besansonis possit corrigi.

69. Postquam vidimus, cambium Besansonis neque licere neque expedire, ut modo communiter fit, superest considerare, an possit ita corrigi, ut liceat et expediat. Cui quaestioni, salvo meliori judicio, respondetur, posse quidem fieri. Nam quia hoc cambium in tribus saepe dictis conditionibus deficit a vero et reali et justo cambio, si reduceretur ad talem formam, ut conditiones illi[1] convenirent, remaneret etiam hoc justum et reale. Quod fieret quoad primam conditionem, si ille tantum acciperet pecunias a campsore, qui revera haberet pecuniam Besansone, vel in numerato, vel saltem in credito vero, et non fucato, emendicato ad horam ad solam apparentem acceptationem litterarum; qui enim ita pecuniam haberet et intentione et re vellet eam commutare cum pecunia Januensi, servaret procul dubio primam conditionem. Secunda autem servaretur, si tempus hodie praefixum a data pecunia ad accipiendam ita breviaretur, ut tantum solum superesset ante nundinas ut[2] commode possent fieri et praesentari litterae; sic enim non haberetur ratio temporis, nec ob id pretium scuti variaretur, sed tantum ob eventum majoris vel minoris indigentiae pecuniae, vel ejusdem copiae vel inopiae. Tertia autem conditio servaretur, si non ipsi mercatores,

[1] Ms. II. *illae.*

[2] Ms. II. *et.*

Digitized by Google

de quorum interesse agitur, taxarent quantum solvendum esset Januae pro scuto marchae e Besansone remisso, sed alii incorrupti et periti mercatores statuerentur judices, qui nullum in ea re haberent interesse.

Si hac via vel simili corrigeretur hoc cambium, manifestum est, quod liceret. Sicut etiam nunc in aliquo casu particulari licere potest; utpote si mercator paratus esset suis pecuniis negotiari, et probabiliter speraret inde tantum lucri, quantum ex cambio solet evenire, licite, imo meritorie, posset roganti ob ejus commodum et amorem suam pecuniam dare, accipiens inde lucrum, quod cambia reddent; quod quidem talis accipit, non ob tempus, sed ob servitium vendibile et interesse.

Seclusis autem similibus casibus, ut communiter fit cambium, hoc nec licet nec expedit. Ideo consulendum, ut omnino homines ab eo abstineant. Quod si obtineri nequit, saltem suadendum, ut non se totos huic negotio dedant, sed tantum eam partem pecuniae in illo occupent, quae serviat mercaturae, et tunc etiam curent, quantum poterunt, servare conditiones dictas, intendendo realem commutationem, et non habendo oculum ad tempus, sed ad servitium et interesse, pro quo etiam mite pretium accipiant, et non fraude vel violentia extortum.

Caput XXIII. Rationes contra cambium Besansonis correctum solvuntur.

70. Ubi autem cambium Besansonis ita justificatum esset, ut nuper dictum est, non militarent in illud argumenta, quae aliqui objiciunt, sicut nec militant in cambium reale.

Horum igitur primum sumitur ex cap. Ejiciens dist. 88.,[1] ubi prohibetur lucrum ex pecunia, in quo etiam cambia videntur prohiberi, quia ex pecunia lucrantur. Respondetur in praedicto capite non simpliciter et absolute prohiberi lucrum ex pecunia; nam etiam mercatores ex pecuniis lucrantur. Prohibetur autem lucrum ex mutuata p-

[1] C. Ejiciens 11. Dist. 88., Palea.

Digitized by Google

cunia Et idcirco non prohibentur justa cambia, quia non ob mutuum lucrantur, sed ob interesse vel servitium. — Secundum est: Finis hujusmodi cambiorum est lucrum; ergo illicita sunt, quum non videatur licere in lucro sistere. Respondemus, tunc esse illicitum lucrum pro fine habere, quando in eo sistitur, ita ut alio non referatur. Ideo qui juste exercet hujusmodi cambia, ordinat lucrum ad alendum se et suos et pauperes, et ad rempublicam juvandam. — Tertium argumentum: Proprius usus pecuniae est servire commutationi; ergo abusus ejus est et peccatum, velle illa absque mercium commutatione lucrari. Respondemus, primarium finem et usum pecuniae esse servire commutationi mercium. Ultra hunc habet secundarium, nempe lucrum ex commutatione ejus cum alia pecunia. Nec est peccatum ea uti in hunc secundarium finem. Nam quamvis finis primarius calcei sit tegere pedem, potest quis eo uti, eum vendendo, ut lucretur; sicut etiam finis proprius pilei est tegere caput, tamen absque peccato potest quis in eo ferre fructus. — Quartum argumentum est: Cambia hujusmodi prodeunt ex cupiditate: ergo illicita sunt, quum mala arbor non faciat bonos fructus. Respondemus, fortassis prima justa cambia non fuisse orta ex cupiditate, sed ex ordinato desiderio se et alios juvandi; quamvis etiam concedatur ex cupiditate ortum habuisse, non protinus sequitur, quod nunc ex cupiditate ab omnibus exerceantur; quia potest esse, quod inventor alicujus artis ex cupiditate ad eam moveatur, ubi sequentes ejus imitatores ordinate ea utantur, non ad explendam cupiditatem, sed ad necessaria vitae comparanda et ad publicum bonum promovendum; et ita potest evenire in campsoria arte.

Quintum argumentum est: Talia cambia valde nocent reipublicae, ut experientia monstrat, quod non evenit nisi ob eorum injustitiam; ideo injusta sunt. Respondemus, justa cambia non nocere, sed prodesse reipublicae, sicut aliae honestae artes ei prosunt. Quae vero nocent, sunt illa, quae injusta sunt, quale non esset cambium Besansonis si, sicut dictum est, corrigeretur. — Sextum argumen-

Digitized by Google

tum est: In hoc cambio lucrum dantis pecunias in numerato est certum, ergo injustum est, quia gravatur ille, qui eas accipit. Respondemus, quod quamvis lucrum sit certum, nulla committitur injustitia, quia etiam est certum servitium, quod exhibet campsor. Ideo certo lucro debet compensari: Quod clare videmus in cambio reali, sive minuto, sive de loco ad locum, quia campsores in talibus semper fere lucrantur; et merito, quia semper serviunt, et ideo non debent suis stipendiis militare.

71. Septimum argumentum est: Quia, ut ex cap. In civitate[1] et cap. Naviganti De usuris[2] colligitur, usura est, quum quis dat pecunias et aliquid certo[3] plus, quam dedit, accipit post aliquod tempus; sicut non est usura, quando id, quod post recipitur, non est certo plus, quam quod fuit datum, sed quandoque plus, quandoque minus, quandoque forte aequale. Sed in cambio Besansonis sic etiam justificato campsor certo plus accipit Besansone, quam dedit Januae. Igitur usuram committit et injustitiam. Respondemus, decipi ita argumentantes in hoc, quod solum comparant pecunias datas pecuniis acceptis. Sic enim comparando procul dubio receptae sunt plures; sed non ob id committitur usura vel injustitia, quia campsor non solum censendus est dare suas pecunias, sed etiam suum vendibile obsequium et servitium ac interesse, si quod occurrit. Qui autem accipit pecunias, quamvis plures, quam accipit, reddat, pensandum tamen, quod accepit Januae et reddit Besansone; minus autem valent mercatori Januae degenti pecuniae Besansone existentes, quam aliquando pauciores existentes Januae, sicut etiam minus valet Januae merx Venetiis existens, quam eadem existens Januae; quia expensis opus est, ut absens Januam feratur. Quae omnia, si considerentur, invenietur aequalitas, et nulla injustitia. Nam in altera, ut ita dicamus, bilance ponenda est pecunia, quae datur Januae, et valor vendibilis servitii et interesse; in altera vero pecuniae absentes, quae solvuntur

[1] C. In civitate 6. (V, 19).
[2] C. Naviganti 19. (ibid.).
[3] *Certo* deest in ms. II.

Digitized by Google

Besansone; et invenietur tunc aequalitas. Nam si quid differentiae reperietur, subintelligitur tunc occulta donatio ejus, qui in aliquo non malitiose gravatur, sicut etiam fit in emptione vel venditione bona fide facta. Nam qui in aliquo minus habet, censetur alteri id minus donare[1]. Haec autem vera esse manifestat reale cambium, quod secundum omnes habetur justum, et tamen in illo campsor recipit plus pecuniae, quam dat; juste tamen, quia cum sua pecunia dat etiam suum servitium et interesse, quae illa pecunia compensantur, quam accipit ultra eam, quam dedit.

Et haec, quae hactenus dicta sunt, sufficiant ad explicandum, quid de cambio Besansonis mihi videatur. Quae omnia veritati libenter submitto.

Caput XXIV. Reliqua genera cambiorum dubia.

72. Ex his, quae dicta sunt de cambio Besansonis, facile erit conjicere responsionem ad alios casus vel modos cambiorum, de quibus pariter doctores dubitant, an sint liciti necne. Quos hic subjiciemus.

Primus ergo modus est cambium Lugduni vel Besansonis, satis jam discussus; ideo non est, quod de eo amplius dicamus. — Secundus modus est: Quispiam dat Florentiae 100 aureos Florentinos, ut recipiat Venetiis 100 Venetos, qui ibi plus valent. Qui modus justus esset, si excessus ille valoris non esset ultra justum pretium obsequii vel interesse, quod praestat vel incurrit, qui dedit Florentiae pecuniam, et si talis non habet oculum ad tempus vel expectationem, sed ad dictum servitium vel interesse. Si autem excessus valoris pecuniarum Venetiis receptarum est ultra pretium justum servitii, et ultra quam exigit interesse, vel si, qui dat pecuniam Florentiae, respicit ad tempus et expectationem, usura committitur vel injustitia. Denique hic modus simillimus est cambio Besansonis. Ut enim ibi pro moneta data Januae recipitur Besansone scutum marchae plus valens, ita hic pro aureis datis Florentiae recipiuntur Venetiis totidem plus valentes. Ideo licet hic

[1] Ms. I. *donari.*

Digitized by Google

modus, si corrigatur, ut ille Besansonis; in quo, sicut in illo, judex justi pretii debet esse peritus et justus mercator.

Tertius modus est: Dat quispiam Florentiae 10 libras grossorum sive, quod idem est, 100 aureos, ut intra mensem sibi reddantur Venetiis eo pretio, quo current Venetiis post 10 dies a facto Florentiae contractu. Pretium autem, quod currit Venetiis dicto decimo die post contractum, communiter solet esse majus, quam id, quod currit Florentiae, quia communiter plus valent 10 librae grossorum Venetiis, quam Florentiae. Renovatur autem praedictus contractus quovis mense. Hic etiam modus fere non differt a praecedenti. Ideo etiam est licitus, si excessus valoris est justum pretium laboris et interesse, et non respicitur ad tempus; secus si sit injustum pretium, vel ad tempus respiciatur; nam tunc est injustus.

73. Quartus modus est: Dat quis Mediolani 100 florenos in auro vel argento Florentiae reddendos, ubi plus valent. Qui modus justus est vel injustus, ut praecedentes. Esset autem usurarius, si etiam Mediolani deberent praedicti floreni solvi eo pretio, quo tunc valent in cambiis Florentiae; quia hoc non esset cambium, sed mutuum, in quo ultra sortem acciperetur; si tamen ille, qui dedit florenos Mediolani, eos sine expensis delaturus erat Florentiam, licite Mediolani reciperet quantum valent Florentiae ob interesse lucri cessantis. Quintus modus: Dat quispiam Januae 100 aureos reddendos Londrae vel Brugis, ita ut pro quovis aureo reddantur 52 grossi, quum tamen in iisdem locis aureus valeat tantum 50 grossos. Hic modus similis est tribus prioribus, et ideo ut illi judicandus.

Sextus modus: Dat quis Januae 60 et 5 aureos, solvens pro quovis aureo 28 grossos, ut reddatur sibi Lugduni marca auri, ibi valens 60 et 5 scuta, quorum quodvis valet 30 grossos. Sic enim mercator solet facere, ut si, ubi dat pecuniam, ducatum valet plures grossos, quam ubi recipit, exigat tunc tot grossos, quot dedit in ducatis solvendis; si autem, ubi dat ducatum, valet pauciores grossos, quam ubi recipit, tunc exigit solutionem in ducatis, prout ibi valent, ubi, ut diximus, pauciores valent grossos, quam

Digitized by Google

ubi ipse dedit. Est autem de hoc modo censendum, sicut de praecedenti.

Septimus modus: Quispiam dat Romae alicui clerico 100 aureos, ut expediat bullas suas, ut det in patria sua 100 in moneta ibi currenti, et ultra hoc septem pro 100, vel plus vel minus juxta tempus. De qua re conficitur instrumentum, in quo clericus fatetur, se recepisse et debere non 100, ut accepit, sed 100 et 7; dat insuper mercatori bullas loco pignoris. Dicendum est, contractum hunc usurarium esse, tum quia juxta majus tempus plus accipit, tum etiam, quia quum ait, 7 deberi pro 100, videtur subintelligi pro 100 mutuatis. Liceret autem hic contractus, si, nullo habito respectu ad tempus, propter servitium vel interesse quidpiam justum exigeretur ultra sortem, modo major valor monetae redditae praedicta non compensaret. — Octavus modus est: Dat quispiam principi 100, ut alibi post 6 menses reddat 15 ultra sortem, et insuper, si non solveret, 12 quotannis; quae etiam solvit, non solum ob capitale, sed ob interesse. Dicendum hunc casum quoad priorem ejus partem iniquum esse, et forte etiam usurarium; iniquum quidem, quia injustum est, ut pro illo servitio 15 exigat; usurarium autem, quia habent communiter respectum ad dilationem 6 mensium. Quoad secundam autem partem est usurarium, quia in eodem loco, ubi mutuat, recipit non solum in usuram certissimam[1], sed etiam usuram usurarum, nisi forte tantum interesse incurreret.

74. Nonus modus: Quispiam dat in aliquo loco 100 aureos pacto, ut sibi reddantur, quo ipse erat delaturus, reddantur autem eodem valore, quo cambia ibi currunt. Qui modus licitus esset, si in cambio non plus valerent, quam communiter in illa urbe valent, vel, si valerent plus quinque, contingeret etiam aequaliter valere vel minus. Si autem communiter plus valerent, vel, si oculus haberetur ad expectationem, injustus esset; sicut etiam injustum est mutuare pecuniam, ut in eodem loco recipiatur alia moneta melior, nisi forte dubius ejusdem monetae valor vel interesse incursum rem compensaret.[2]

[1] Ms. I. *centesimam.* [2] Ms. I. *incursum recompensaret.*

Digitized by Google

Decimus modus est, non novi cambii, sed circa cambia solita negotiandi, sequenti modo: Aliquis mercator accipit a campsore pecuniam in aliquo loco, prout cambium ibi currit, et mittit illam solvendam ad alium locum, ubi est copia pecuniarum; in quo tamen ipse non habet pecunias, sed a campsore ibi illas accipit pro parvo interesse, et ita lucratur. Solet etiam in loco, ubi abundat pecunia, illam ad[1] cambium accipere et mittere alio, ubi est inopia pecuniae, ut quamvis aliquid perdat in hac missione, in remissione multo plus lucretur; quia nonnisi magno interesse remittitur pecunia e loco, in quo est ejus penuria. Hic modus licitus esset, si in quovis in eo intervenientium cambiorum non haberetur oculus ad tempus, et justum interesse vel servitium solveretur, et lucrum inde proveniens tribuendum esset industriae campsoris, qui negotiatur circa pecuniam, sicut mercator circa merces. Ideo, ut mercatori licet in locis, ubi abundant merces, eas pretio currenti, licet vili, emere et ad loca, in quibus rarae sunt, delatas care vendere, modo ibi etiam currenti pretio, ita licet campsori parvo interesse currenti sumere pecuniam, ubi est ejus copia, et mittere ad loca, ubi est ejus inopia, ut eam ibi magno interesse, currenti tamen, tradat.

Qua ratione etiam aliqui excusant eum, qui quum alioqui suis expensis missurus esset alio suas pecunias, quia industrius est, invenit aliquem, qui, illas accipiens, non solum sine ejus expensis, sed cum lucro reponat, ubi volebat; sicut contingit, quod remissurus equum in patriam suis expensis, eum alicui locet, qui cum lucro eum in patriam agat. Ob quam industriam et eventum fortunae utrimque aequalem salvari solent depositiones, quas faciunt mercatores, modo caveatur fraus et res non pendeat ex turpi et vano eventu, et modo homo non temere committat totas facultates suae fortunae.

Ex qua radice salvari solet hoc pactum, quo quis, nata filia, deponit pro ea 100 aureos hac lege, ut si attigerit XV. annum dentur illi quingenti pro dote, si autem non attigerit, amittantur illa 100.

[1] Ms. II. *vel.*

Digitized by Google

Caput XXV. Usura in venditione ad tempus, vel anticipata solutione.

75. Viso, quando reperiatur usura vel alia species injustitiae in cambiis, et quando sint justa, superest videre, quando sit usuraria vel injusta venditio ad tempus vel emptio anticipata solutione, et quando sit justa. Quam rem, brevibus regulis adhibitis et quibusdam, quae ex eis ducuntur, corollariis, absolvemus.

Quibus tamen praemittendum quidem 1° est, venditionem ad tempus eam esse, in qua merx statim traditur emptori, sed solutio differtur ad tempus; emptionem autem anticipata solutione esse illam, in qua solutio statim traditur, sed merx post certum tempus, sicut in venditione ad numeratum simul fit traditio mercis et ejus solutio.

2° Supponendum est, quamvis harum venditionum dupliciter fieri, summatim scilicet et minutim posse. Est autem summaria venditio, in qua multa merx simul venditur; minuta vero, in qua venditur paulatim.

3° Supponendum est, pretium mercis esse regulariter id, quod valet in numerato, quum ipsa statim traditur emptori; non autem illud, quod reperitur, si ad tempus vendatur, vel si anticipetur ejus solutio, quando hoc pretium a priori differt. Haec autem suppositio probatur vera I. ex communi usu loquendi; quia, si quis quaerat pretium frumenti vel lanae vel serici, communiter respondetur explicando pretium, quod in numerato valet. II. Probatur, quia si pretium esset id, quod expectando solutionem inveniretur, non posset sciri pretium alicujus mercis. Quia, si mensura aliqua tritici valet 15 in numerato et 20 cum tempore unius anni, valeret 25 ad duos annos, 30 ad tres et sic consequenter. Idemque eveniret in emptione anticipata solutione, nam si valeret 30 aliqua merx statim pro pecunia tradita et valeret 25 post annum a solutione tradita, valeret 20 post duos annos et 15 post tres et sic consequenter. III. Idem probatur, quia ita dicendo daretur ansa palliandi usuras; quia, quum quis ob expectationem solutionis care rem venderet, vel ob anticipationem vili rem emeret, negaret se usurarium esse,

Digitized by Google

asserens, rem tantum valere in illo modo vendendi vel emendi, licet in alio modo, hoc est in numerato plus vel minus valeret. Diximus autem regulariter, quia in aliquo casu potest esse oppositum, ut videbimus.

4° Supponendum est, pretium rei non consistere in indivisibili, sed latitudinem quandam habere. Quod ex eo probatur, quia contingit, mercem simul in numerato venditam valere 15, minutim autem venditam a mercatore valere 16, venditam vero a nonmercatore valere 14; et quodvis horum habetur justum pretium.

5° Supponendum, hanc pretii latitudinem non solum habere locum in diversis modis vendendi, ut explicatum est, sed etiam in eodem modo vendendi. Quod ex eo probatur, quia, consultis seorsum tribus peritis et probis mercatoribus de valore alicujus mercis, ut puta unius mensurae serici, quivis horum suum pretium taxabit. Unus dicet valere 13, alius 14, alius 15; ut merito doctores, qui de hac re loquuntur, dividant pretium in mite et rigorosum et horum medium, ut in ultimo exemplo mite pretium esset 13, rigorosum 15, medium 14. Quamvis autem in diversis modis vendendi, magis quam in eodem, reperiatur justi pretii latitudo, est tamen differentia, quum in diversis modis vendendi major est latitudo, in eodem tamen est minor. Nam in diversis gradibus vendens pretio rigoroso, lucratur in anno juxta peritos mercatores 8 vel 10 pro 100 plus quam vendens pretio miti; in eodem autem modo vendendi lucratur tantum 2 vel 3 pro 100 plus in anno.

76. His igitur suppositis, loquendo de venditione ad tempus, statuitur 1ª regula: Quod vendens ad tempus non potest excedere justum rei pretium ob tempus sive ob expectationem solutionis. Quod facile probatur; quia in venditione ad tempus reperitur tacitum mutuum. Est enim perinde ac si emens statim solveret et postea mutuaret ei usque ad certum tempus pecuniam, quam solvit. Quia igitur intervenit mutuum, et ob id exigitur ultra justum pretium, absque dubio usura committitur. Et ideo regula haec vera est.

2ª regula sit, quod ob interesse damni emergentis vel lucri cessantis ex venditione ad tempus licet ultra ju-

Digitized by Google

stum pretium, quantum interesse exigit, accipere, modo serventur conditiones superius positae, quae acceptionem interesse a mutuante licitam reddunt. Quae regula vera probatur ex cap. In civitate[1] et cap. Naviganti De usuris.[2] Praeterea etiam, quia quum, ut dictum est, hic interveniat mutuum, et supra probatum sit, licere mutuanti accipere ultra sortem quantum exigit interesse, quod incurrit, servatis quibusdam conditionibus, licebit etiam idem facere in venditione ad tempus. Sic enim faciendo, pro merce tantum accipitur justum pretium, quod in numerato valet; et quod plus datur non pro merce nec pro expectatione datur vel accipitur, sed pro interesse. Unde etiam liceret quid ultra justum pretium accipere, si non acciperetur pro merce vel pro expectatione, sed vel ex dono, vel ex poena, si non solveret tempore praefixo, vel quia alias illud erat suum, vel, ut dictum est, ob interesse; quia, ut dictum est, ex eis quatuor causis licet quid ultra sortem accipere in mutuo, modo serventur conditiones ibi positae.

77. Ex hac regula sequitur 1°, quod si vendens servaturus erat mercem plus forte valituram, licite potest eam vendere, non solum pretio currenti venditionis tempore, sed tanto illo majori, quanto credit interesse valere, quod incurrit, non servans mercem suam. Quod quidem interesse sciri potest, vel id ita taxando, ut possit tam emens quam vendens aequaliter vel perdere vel lucrari. Ita enim taxatum adjunctum pretio currenti facit cum eo justum pretium mercis servandae et ad tempus venditae, quidquid in re post eveniat, hoc est, sive lucratur emens sive vendens, sive hic sive ille perdat. Sic enim justum pretium censetur id, in quo conveniunt piscator et ab eo emens, quod jactu retis extrahetur, sive parum sit illud sive multum sive nihil. Eodem etiam modo habetur justum pretium census ad vitam empti illud, quo dato potest aeque perdere vel lucrari emens ac vendens, licet contingat ementem cito mori et ita multum lucrari vendentem, vel ementem diutius, quam taxatum erat vel putaba-

[1] C. In civitate 6. (V, 19). [2] C. Naviganti 19. (ibid.).

Digitized by Google

tur, vivere, ac per hoc lucrari, venditore perdente. Potest etiam pretium non praetaxari, sed vendi illa merx eo pretio, quo pro tempore, pro quo erat servanda, vel ei vicino similis merx vendetur. Esset autem iniquum eo[1] pretio vendere, quod valebit similis merx tempore, quo plus valebit; hoc enim casu vendens esset securus de lucro et emens certus de jactura. Ratio autem quare, quum servanda est merx, licet plus pretio currenti accipere, est, quia quamvis valor rei sit ille, quo statim venderetur, tamen, quum servandà est, ob interesse respicitur ad pretium futurum; quod quia magis probabiliter creditur licere, si prius taxetur, excedit pretium currens. Sive autem pretium hoc praetaxetur, sive non, semper ex pretio, quod revera curret, vel existimatur cursurum, deducendae sunt expensae, quae fierent in merce servanda.

Sequitur 2° ex dicta regula, quod non servaturus mercem licite potest eandem ad tempus vendere vel pretio tempore venditionis currenti in numerato, vel eo, quod curret tempore solutionis; modo non sit certum, quod dictum futurum pretium excedat id, quod currit tempore venditionis, sed ita est res[2] anceps, ut possint aequaliter vel lucrari vel perdere emens et vendens. Si autem certum esset, pretium futurum tempore solutionis fore majus, vel si non aequaliter posset uterque contrahentium perdere vel lucrari, si eo pretio fieret venditio, tunc plane non liceret tali futuro pretio mercem non servandam ad tempus vendere; 1° quia, licet id pretium sit valitura dicta merx tempore solutionis, non tamen id valebit non servaturo; 2° quia licet in cap. In civitate De usuris[3] excusetur venditio ad tempus pro majori pretio, quam tunc currat propter dubium, quod plus valebit tempore solutionis, tamen in cap. Naviganti De usuris additur haec conditio, quod merx esset servanda, quae conditio etiam subintelligenda est in cap. In civitate De usuris, quando futurum pretium non creditur tale, quod aeque possit uterque contrahentium perdere vel lucrari; 3° quia pretium rei ven-

[1] Ms. I. *ex.* [2] Ms. II. *non.* [3] Supra p. 300 n. 1.

Digitized by Google

ditae ad tempus non est, quod currit tempore solutionis; quia eo plus et minus licet rem emere vel vendere; sed est, quod currit tempore contractus, in quo essentialiter consistit venditio; nam solutio et mercis traditio effectus sunt venditionis, non autem ejus essentiae pars; et licet venditio perficiatur solutione vel traditione, sicut arbor fructu, non tamen licet non servaturo mercem, eam vendere pretio, quod curret tempore solutionis, nisi tale merito censeretur futurum, ut possent, sicut dictum est, contrahentes aeque lucrari vel perdere. Et si contingit quandoque ad tale pretium respicere, non fit hoc, quasi illud sit pretium rei, sed ut videatur per id interesse, quod incurrit non servans mercem, quam ad tempus vendit.

Sequitur 3°, quod ob verisimile periculum incursurum ad instantiam mentis ad tempus, vel ob justum timorem et anxietatem, vel ob probabile dubium, quod non solvet, vel ob litem et expensas, quae probabiliter futurae creduntur, licet vendenti excedere justum pretium in numerato currens, tantum quantum praedicta valere existimantur. Ut enim periculosa assecuratio mercium vel fideijussio pecuniâ existimatur, ita etiam praedicta omnia. Et ideo pars interesse censenda sunt, et ob id licere pretium currens augere, sicut pejus tractaturo equum licet eum pluris locare.

Sequitur 4°, quod mercator laturus merces ad alium locum, ubi plus essent valiturae, licite eas ad tempus vendit exigendo tanto plus, quam in illo loco valeant, quanto pretium loci, quo erant ferendae, excedit pretium, quod currit, ubi fit venditio; modo ex illo deducantur expensae, quae fierent in mercium delatione. Hoc etiam corollarium verum esse probatur ex praedicta regula, quia tali mercatori cessat lucrum ex hac venditione, quam ad instantiam alterius facit. Ideo licite id resarcit vendens ad tempus ultra pretium currens.

78. 3ª regula est, quod cessante interesse, vel eo interveniente sine suis tamen circumstantiis, non licet vendere mercem ad tempus ultra justum pretium currens in numerato. Quae regula vera probatur, quia vendere ad tem-

Digitized by Google

pus mercem nihil addit nisi expectationem, quae non est vendenda; ergo[1] merx non plus valet ad tempus vendita, quam in numerato. Quod autem nihil addatur, nisi expectatio, ex eo patet, quia per hoc merx in se non fit melior. Nam si hoc fieret, pertineret jam ad interesse. Nam si quis venderet pullum equi annuum, quem servaturus erat usque ad triennium, si ad tempus triennii illum vendit, licite potest exigere ejus valorem in fine triennii, deductis expensis et periculo etc., quia hic intervenit interesse lucri cessantis. Non fit etiam merx per hoc, quod ad tempus venditur, melior ipsi venditori, quia hoc ipso, quod eam vendit, desinit esse sua, ac proinde sibi melior. Sed nec redditur melior emptori, ita ut juste carius, quam in numerato ei vendatur[2]; quia si fit melior, hoc provenit vel ex tempore vel ex emptoris industria vel ex natura rei jam suae. Quae omnia emptori vendi non possunt nec mercem ei cariorem reddere.

Ex quibus etiam probatur, quod tertio supposuimus (pag. 298), nempe, regulariter pretium mercis esse, quod currit in numerato, et non quod ad tempus vendendo invenitur. — Neque militant in hanc suppositionem vel in hanc tertiam regulam, quae aliqui objiciunt, probando, pretium rei esse, quod invenitur ad tempus eam vendendo, idque excedere debere pretium justum in numerato currens; primo quia res ad tempus vendita communiter pluris venditur, quam in numerato; ergo id est justum pretium ejus. Respondemus, quod si pretium in numerato currens est justum, id quod illud excedit in totam ejus latitudinem injustum est; et ideo abusus est ita vendentium, in quem justi et discreti non incurrunt. Secundo argumentantur, quia pluralitas emptorum facit mercem plus valere; sed plures sunt emptores ad tempus, quam in numerato; ergo res plus valebit ad tempus vendita. Respondemus quod ubi pretium in numerato currens est justum, plures emptores ad tempus non augent rei pretium, sed plures emptores in numerato. Cujus ratio est, quia quum plures

[1] Ms. II. *quia*.

[2] Ms II. *vendat*.

Digitized by Google

sunt tantum emptores ad tempus, licet plus aestimetur res ab eis, non tamen est vera aestimatio; quia non habet, in quo fundetur, quum merx per hoc solum, quod ad tempus venditur, nec in se nec emptori nec venditori melioretur, ut dictum est; secus autem habet aestimatio mercis orta ex pluralitate emptorum in numerato quia hoc ipso, quod est carior pluribus in numerato, eam solvere volentibus, plus valet. Tertio argumentantur, quia perderent mercatores, si non pluris venderent merces ad tempus, quam in numerato. Respondemus, quod si cesset interesse et pretium currens in numerato sit justum, non perdent ob id mercatores communiter; quod si aliquid perdant, id compensatur, quia saepe lucrantur.

79. Ex hac autem 3ª regula sequitur primo, quod quum vendens ad tempus etiam mercem servandam sollicitat emptorem, ut eam ad tempus emat, non debet accipere plus justo pretio currenti etiam ob interesse; quia emptor, quum sollicitatus sit ad emendum, non est causa illius interesse, nisi forte instaret pro dilatione solutionis, venditore solum instante, ut emat; tunc enim liceret recipere interesse incursum ob dilatam solutionem. Sequitur secundo quod, qui non potest ad numeratum vendere, non potest plus justo pretio numerato vendere, quia quum non possit, ut dictum est, vendere in numerato, non cessat ei lucrum suae pecuniae, ut ob id possit augere pretium. Quod intelligitur, quoniam pro toto tempore, quo detinetur pecunia ab emptore non solvente, non posset mercem vendere in numerato. Nam si vel pro parte illius temporis vendere potuisset, licite acciperet interesse respondens tali temporis portioni. Sequitur tertio quod, qui sponte sua et non ob instantiam eorum, qui empturi sunt, emit merces pecunia ad usuram sumpta, non potest easdem merces carius vendere justo pretio in numerato, ut sic vendendo usuras compenset. Quod autem hoc non liceat, ex eo patet, quia emptores in casu posito non sunt in causa, ut mercator incurrat damnum usurae. Ideo injuste ab eis extorquetur ejus damni compensatio. Qua in re multi animas suas laedunt, qui quum nolint laborare, neque cu-

Digitized by Google

piditati vel pompae aliquid detrahere, non habentes pecunias, eas sumunt ad usuram et tale pretium taxant, ut ab emptoribus mercium solvuntur. In quo, ut dictum est, gravantur emptores, qui si ab ipsis non deciperentur, vilius emerent ab aliis, qui pecuniis suis, et non ad usuram sumptis merces emissent.

80. Quarta et ultima regula est, quod ubi pretium currens in numerato est minus justo, licet vendere ad tempus pretio illo majori; modo pretium justum, quod in numerato deberet currere, non excedatur. Quae regula per se patet; quia si pretium illud non est majus justo, liceret illo vendere etiam mercem in numerato; ergo licebit ad tempus vendere. Praeterea ob interesse licet vendere ad tempus ultra justum pretium currens; ergo in casu nostro licebit pertingere usque ad verum justum pretium; sic enim, et non aliter vitabit mercator damnum.

81. Ex hac regula sequitur primo, quod mercatores Januae et Florentiae, qui honesti et bonae conscientiae habentur, qui vendunt ad tempus praefixum 15 vel 18 mensium honesto aliquo pretio, licet majori, quam venderent in numerato, licite fortasse id faciunt, quia tale pretium non excedit justum pretium, saltem rigorosum, quod in numerato deberet currere. Nam, ut rem exemplo monstremus, si Florentiae v. g., etiam a probis mercatoribus, venditur brachium velluti 15 libris, infra tempus 15 mensium solvendis, justum pretium haberi debet, quia eodem pretio liceret in numerato vendere, nam sic vendendo mercator non immoderate lucratur, sed tantum 8 vel 10 pro centenario quotannis, et si minori pretio venderet, ut puta 14 libris, nihil lucraretur vel tam parvum, ut non digne compensaretur sua industria et labor. Ex quo manifeste conjicitur, pretium 15 librarum esse justum, etiam si eo brachium velluti in numerato venderetur. Nam sicut injustum et excessivum est pretium illud, quo si merx venderetur, immoderatum lucrum veniret vendenti, plus scilicet, quam ejus opera et interesse valeret, et minus justo est illud, quo, merce distracta, vendens vel communiter perderet vel nihil lucraretur vel tam parum, ut non com-

Digitized by Google

pensaretur ejus opera et interesse, ita etiam illud est justum pretium, per quod, distracta merce, evenit communiter moderatum lucrum, quod tunc esse censetur, quum mercator lucratur in anno 7 vel 8 vel 9 vel 10 pro centenario. Quum igitur tale sit pretium 15 librarum, quo venditur vellutum summatim, sequitur, id esse justum pretium etiam in numerato. Quod verum esse ex eo etiam probatur, quia contingit quandoque, licet raro, eundem mercatorem, qui ad tempus 15 mensium vendit summarie sericum pretio 15 librarum pro quovis brachio, vendere etiam eodem pretio in numerato, minutim vendendo; quinimo institor ab eo emens pretio 15 ad tempus, vendit in minuto pretio 16; nec habetur injustum pretium, quia adhibet suam industriam et habet expensas officinae et ministrorum; ideo lucrari debet, ut inde vivat.

Nec impugnatur haec veritas per hoc, quod contingit, mercatorem etiam pro 14 libris vendere summarie vellutum in numerato, ac per hoc id videtur esse justum pretium. Respondemus, quod juxta jam dicta pretium 14 fortassis, si aliud non interveniret id justificans, esset minus justum, quia qui sic venderet, communiter non lucraretur, saltem quantum exigeret ejus opera et interesse. Et ideo non contingit eo pretio vendere, nisi mercator vel pressus sit et indigens numerata pecunia ad solvendum debita vel sperans, se tantum lucraturum ex praesenti numerata pecunia, ut possit resarcire jacturam praesentis venditionis et insuper lucrari. Quamvis autem, ut dictum est, videatur hoc pretium minus justum nude consideratum, quia tamen etiam in se non multum distat a justo, et ultra hoc intervenit occulta donatio ita vendentis, fit, ut censendum sit etiam justum pretium, sed mite, sicut pretium 15 est medium. Pretium autem 16 esset rigorosum, quo solent uti institores, qui minutim merces vendunt.

Si quis autem quaerat, unde introductus sit hic mos, ut merces ad tempus vendantur pretio, quod in numerato deberet esse justum, et unde etiam ortus sit abusus, ut pretium in numerato currens, quum merces summatim

Digitized by Google

venduntur, sit minus justo, respondent mercatores, partim id evenisse ex defectu pecuniae, ex quo factum est, ut emptores noluerint pertingere usque ad justum pretium, dum in numerato erant soluturi, ad quod ut pertingerent, expectarunt mercatores solutionem; pctuit etiam oriri ex cupiditate multas merces distrahendi; pauci enim venderent in numerato, multi vero ad tempus. Quia etiam non habens pecuniam et emens lanam et sericum, ex eadem merce arte sua elaborata extrahunt pecunias, unde mercem solvant, et insuper vivant. Quod valde commodum est pauperibus. Et in hunc finem statutum est tempus conveniens, ut possit mercem laborare et solvere. Nam praefiguntur 15 menses, ita ut in medio 13. mensis solvatur medietas debiti et in fine 15. mensis reliqua medietas.

Sequitur secundo, quod emens ad tempus pretio 15 mercem summarie sine usura potest illam vendere, ita ut honeste lucretur. Quia pretium 15 censetur justum etiam in numerato. Secus autem esset, si excederet pretium justum in numerato, quia tunc non liceret ita vendere mercem, ut ab ementibus resarciretur id, quod plus justo mercator dedit, nisi forte ad instantiam emptorum plus justo pretio emit. Sic enim liceret id pretium ab eis exigere et insuper suae industriae mercedem; siquidem ementi pecunia sumpta ad usuram ad aliorum instantiam licet tali pretio mercem ei vendere, ut usurae damnum resarciat; quod secus haberet, si sua potestate emisset pecunia sumpta ad usuram, ut superius dictum est.

Sequitur tertio licere vendere velluti brachium minori pretio, quam 15, modo ad minus tempus vendatur et reservetur ea proportio minuendi pretium juxta temporis diminutionem, ut 8 vel 10 pro centenario in anno respondeant. Nam si ad tres menses tantum fieret venditio, ut per annum minus expectaretur solutio, quam expectatur, quum fit venditio ad 15 menses, licite fieret venditio ad 3 menses 14 libris; quia qui ita venderet, 8 vel 10 pro centenario minus lucraretur, quam qui venderet 15 libris. Quod autem praedicta venditio justa sit, modo non minus offeratur ob minus tempus, patet ex eo, quia pretium ju-

Digitized by Google

stum in numerato non consistit in indivisibili, sed habet latitudinem non parvam. Nam contingit 1°, aliquem emere ad tempus pro 15 vel 16 et postquam mercem ex officina extraxerit, quia ea forte non eget vel eget pecunia, vendit illam in numerato pro 13, et habetur justa emptio; quia merx ex officina extracta minus habet reputationis, ac per hoc minus valet. Est ergo 13 minimum pretium in numerato velluti brachii. 2° Contingit, mercatorem, qui ad tempus 15 mensium vendit mercem summatim pretio 15, vendere eandem in numerato pretio 14, quod pretium etiam justum habetur. 3° Contingit, ementem ad numeratum pretio 14 multam mercem simul, vendere eandem minutim pretio 15 in numerato, quod etiam habetur justum pretium ob expensas et operam ita vendentis. 4° Contingit, ementem ad tempus pro 15 mercem multam, vendere illam minutim in numerato pro 16, quod etiam ob expensas et labores justum habetur. Quum igitur pretium justum in numerato tantae latitudinis sit, ut vel 13 vel 14 vel 15 vel 16 habeatur justum pretium in numerato ejusdem mercis vario modo emptae et venditae, sequitur, quod qui aliquo horum pretiorum vendit, etiam in numerato juste vendat. Juste ergo vendit, qui simili pretio vendit ad minus tempus, quam sint 15 menses; modo, ut dictum est, non habeatur respectus ad tempus, sed ad hoc, quod tale pretium est intra latitudinem justi pretii in numerato; et ideo juste eo merx emitur vel venditur, sive ad tempus sive in numerato.

Sequitur quarto injuste et usurarie agere eos, qui ut carius ad tempus vendant, quam boni mercatores communiter faciunt, solent ad majus tempus vendere, ut juxta temporis proportionem crescat pretium. Quales sunt illi, qui ad tempus duorum annorum vendunt pro 16, ad tempus trium pro 17 et sic consequenter; qui procul dubio injusti et usurarii sunt. Injusti quidem, quia excedunt totam latitudinem justi pretii in numerato, quia ultra pretium rigorosum vendunt; usurarii autem sunt, quia ob majorem expectationem carius vendunt. Sicut etiam injusti censentur illi, qui emunt viliori justo pretio, et mi-

Digitized by Google

nimo. Quales sunt illi, qui pretio 12 librarum emunt brachium velluti ab eo, qui in hunc finem male vendendi, ut haberet pecunias, emerat ad tempus pretio 15 vel 16 librarum. Quod autem tales injusti sint, ex eo patet, quia minimum pretium justum in numerato est 13, et hi pretio 12 illo minori emunt.

Et haec dicta sint de venditione ad tempus.

Caput XXVI. De emptione anticipata solutione.

82. Quae autem ad emptionem, anticipata solutione, spectant, similibus aliis quatuor regulis breviter absolvemus. — 1ª regula sit, non licere anticipata solutione emere minus justo pretio, habendo respectum ad tempus, quo anticipatur solutio, et vendens utitur pecuniis ementis, interim dum mercem tradit. Quod autem hoc non liceat, probatur, quia hic etiam intervenit tacitum mutuum. Nam perinde est, ac si pecunia, quae tradenda erat venditori tempore, quo ipse traderet mercem, illi usque ad illud tempus mutuaretur. Ideo qui hoc ob mutuum vel ejus usum minuit justum pretium, perinde facit, ac si id, in quo pretium minuit ob mutuum, vellet lucrari, quod esset usura.

83. 2ª regula est, eum qui emit anticipando solutionem, juste tanto minori, quam sit justum pretium, emere, quantum[1] ex hoc, quod anticipate solvit, interesse incurrit; modo serventur conditiones requisitae, ut juste sibi quis faciat resarciri interesse. Haec regula eo modo probatur, quo secunda de venditione ad tempus probata est.

84 Ex qua regula sequitur primo, licere emere anticipata solutione vel eo pretio, quod valebit merx, quum tradetur, vel eo, quod ante traditionem juste taxatur. Hoc autem est medium inter maximum et minimum pretium, quod merx tempore, quo traditur, solet valere. Ut si maximum v. g. est 7, minimum autem 3, pretium justum ante tempus solutionis taxandum erit 5. Quod quidem ob dubium valorem mercis tempore, quo traditur, est justum

[1] Ms. I. *quantitatem.*

Digitized by Google

sive contingat eam valere 3 sive 7, dummodo, ubi ita taxatur pretium, intelligatur exceptus inopinatus eventus belli vel pestis vel calamitatis; eo enim casu rescindendus est contractus vel ad aequitatem redigendus. Sequitur secundo, non licere eum, qui anticipata solutione emit, cogere vendentem, ut det mercem pretio, quod valebit eo tempore, quo volebat eam vendere. Nam si venditor volebat frumentum vendere in mense Majo, injuste cogitur ob anticipatam solutionem vendere pretio currenti in Januario; nisi forte anticipate solvens tantum interesse incurreret, quantum pretium frumenti in Majo excedit pretium ejusdem in Januario. Quod esse verum probatur, quia ut pretium rei, quae statim traditur, quum solvitur, est pretium, quod tunc currit, et non quod ante vel post, et sicut in venditione ad tempus, ubi merx non erat servanda, est etiam, quod tunc currit, et non quod curret tempore solutionis. Unde etiam fit, ut qui venditurus erat frumentum mense Decembri, si id mutuet usque ad mensem Junium, non debet pro eo accipere pretium Junii sed Decembris, et ita mense Junii non poterit eandem mensuram frumenti, quam mutuavit, recipere, sed tanto minus, quanto minus valet mensura frumenti in Decembri, quam in Junio. Secus autem res haberet, si servaturus erat frumentum usque ad Junium; tunc enim licite reciperet eandem mensuram. Sequitur tertio, quód ob verisimile periculum incursum ad instantiam vendentis anticipata solutione, vel ob justum timorem et anxietatem, vel ob probabile dubium, quod ita vendens non tradet mercem suo tempore, vel ob litem et expensas, quae probabiliter praesumuntur, licet tanto minori pretio, quam valebit tempore traditionis, mercem anticipate emere, quantum aestimatur damnum ex praedictis incursum; haec enim omnia ad interesse reducuntur.

85. 3ª regula est, quod cessante interesse, vel eo existente sine requisitis circumstantiis, non licet anticipate emere mercem minori justo pretio; quia, interesse dicto cessante, non valet minus pecunia post danda, quam praesens, nec etiam pecunia anticipata, quam futura, quia hoc

Digitized by Google

interesse secluso, pecunia non parit pecuniam nec lucrari aliquid potest, sicut merx.

Ex qua regula sequitur primo: Ubi non est interesse, non licet pro 90 numeratae pecuniae emere jus ad centum in fine anni solvenda. Nam, quia secluditur interesse, pro sola expectatione accipit 10, vel si pro expectatione nihil accipit, superest, ut pro 90 100 accipiat. Quod iniquum est, etiamsi illa 100 post annum recipiantur; quia secluso interesse, perinde est, ac si statim reciperentur; quod etiam pecunia praesens pluris communiter aestimetur, quam futura, ubi interesse tantum est. Nec salvatur hic contractus per hoc, quod aliqui dicunt in eo non emi 100 pro 90, sed jus ad 100; primo quia jus sive actio ad 100 tantum valet, ut 100 secundum doctores jurisperitos; deinde actio seu jus istud tantum pro forma emi dicitur, quum revera ipsa 100 emantur, sine quibus jus nihil valet; tertio liceret volenti mutuare 90 pro eis emere novam actionem ad 100; vendens etiam dictam actionem ad 100, posset eam[1] redimere 90, et ita per hujusmodi technas, palliaretur usura et injustitia; quarto quia liceret non servaturo mercem, et pro ea non plus valitura, et sine interesse, plus ad tempus accipere, quam in numerato valeat, quia diceretur emi jus ad illud plus ad tempus, quod tamen est contra capita Consuluit, In civitate, Naviganti De Usuris.

Sequitur secundo, quid dicendum sit de pagiis, quas vocant S. Georgii,[2] circa quas negotiantes minori pecunia numerata emunt jus ad majorem post tempus solvendam. Dicendum enim est, id licere eis tantum, qui ex hoc, quod numerant pecuniam, tantum incurrunt interesse, quantum pecunia recipienda superat numeratam.

Sequitur tertio, quid dicendum sit etiam ad casum frequentem mercatoribus, praesertim Januensibus. Emunt enim a principibus jura vel liberanzas, quas vocant, hoc pacto, ut in numerato tradant 10 vel 12 minus pro centenario, quam post tempus ex praedictis juribus sint re-

[1] Ms. II. *etiam*.

[2] Pagia hic idem significare videtur quod solutio. Cf. Du Cange s. h. v.

Digitized by Google

cepturi, addentes etiam pactum, quod, si tempore praefixo non fiat sibi solutio dictorum jurium, lucrentur 12 pro centenario quotannis tam de capitali, quam de interesse. Dicendum enim ad hunc casum, quod licet quidem, si mercator tantum interesse patiatur, quantum plus pecuniae, quam numeret, recipit. Quod quia communiter non fit, communiter casus est periculosus, sicut esset manifeste usurarius, si pro sola anticipatione solutionis illud plus exigeretur.

Sequitur quarto, quod secluso interesse vel donatione[1] est usura emere lanam anticipata sc. solutionis[2] parte minori pretio, quam tempore contractus credatur fore valitura tempore, quo consignanda est. Unde inique faciunt, qui Julio anticipate soluto[3] a pastore emunt vellus tempore tonsionis suis expensis consignandum, vel loco ejus Julium cum dimidio, quo pretio ab hujusmodi emptoribus jam erat venditum aliis mercatoribus; addentes insuper quandoque, quod si hoc anno non possit vellus reddi, reddatur anno sequenti tanto minori pretio, quanto majori tempore differtur traditio. Quod autem pactum hoc iniquum sit, videtur ex hoc, quod, quia mercator emit vellus, et venditione fit suum, sibi perire deberet, et non pastori, qui non esset cogendus id reddere, tanto praesertim suo damno. Nam quum ipsi vendant vellus Julio cum dimidio, iniquum est, id Julio emere, secluso interesse. Sicut etiam male conveniunt inter se mercatores, ut nemo eorum emat a pastore lanam, a quo alius eam emere solebat. Ex quo fit, ut pastores non habentes copiam emptorum, cogantur lanam vilius vendere, quam facerent fraude cessante.

86. 4ª regula, quod quum ob fraudem venditorum, simul convenientium, vel ob aliquem alium abusum merx plus justo pretio venditur in numerato, licet anticipata solutione ementi tantum minuere de pretio currenti, quantum ipsum justum pretium excedit. Quae regula per se est manifesta; quia ex quo pretium, quo talis emit, justum est, liceret in numerato illo eam emere tempore traditionis;

[1] In ms. II deest *donatione*.
[2] Ms. II. *antieipatae solutionis*.
[3] In ms. II. deest *soluto*.

Digitized by Google

ergo a fortiori licebit eam emere anticipate solvendo, quum anticipata solutio in bonum venditoris cedat.

Et haec de anticipata solutione dicta sufficiant.

Caput XXVII. Remedia contra usurae vitium.

87. Quum hactenus docuerimus, quando in mercatorum frequentioribus negotiis reperiatur usura, quam etiam grave peccatum esse ostendimus, superest nunc remedia aliqua proponere, quibus tantum malum vel aboleatur vel coerceatur, ne tam saeve in ecclesia Dei grassetur et serpat.

Primum autem remedium esse videretur, si mercatores, desiderio suae salutis ducti, fideliter et sincere sedi apostolicae proponi facerent negotia sua, vel manifeste iniqua vel dubia; et eadem s. sedes per viros doctos et probos, tam theologos quam jurisperitos, illa mature et diligenter discuti faceret; et post discussionem declarare dignaretur, quae essent justa et quae injusta, addens opportunas et convenientes censuras in eos, qui iniqua declarata deinceps committerent. Hoc remedium non est novum nec inconsuetum in ecclesia Dei. Saepe enim in conciliis nonnulla ad usuram spectantia decisa sunt, ut de concilio Nicaeno[1] et Lateranensi[2] et Lugdunensi[3] et Viennensi[4] constat. Saepe quoque sedes apostolica de his rebus fuit consulta, et sententiam tulit, ut ex multis epistolis decretalibus in titulo De usura constat. Et signanter episcopi Suetiae a Martino V,[5] episcopi Germani a Calisto III,

[1] Vide locum supra p. 239 n. 1 allegatum.

[2] Videlicet concilium Lateranense quintum, in quo bulla Leonis X. (supra p. 251 n. 1) publicata est. Praeterea concilium Lateranense III. a. 1179 poenas statuit contra manifestos usurarios cap. 25., quod decretum in corpus juris canonici receptum est; cap. Quia in 3. (V. 19).

[3] Cap. usurarum 1.

[4] Cap. Ex gravi un. Clement. (V, 5).

[5] Martini V. bulla *Regimini universalis* inserta est Extravagantibus comm. (III, 5. 1). Data esset juxta corpus j. c ad episcopos „Treverensem, Lubicinensem et Almicensem." — Calixtus III. bullam pariter incipientem *Regimini universalis* et ibidem exstantem (III, 5, 2)

Digitized by Google

Alphonsus rex Aragoniae et Neapolis a Nicolao V. obtinuerunt responsum, an contractus censuum annuorum esset usurarius necne. Definieruntque praedicti pontifices, contractum illum licitum esse, modo annui census fundentur in re aliqua certa, fructuosa, quae justo pretio cum onere vendatur, et possit vel in toto vel in parte redimi aut etiam non redimi, et modo, perdita re tali, venditor non teneatur reddere pecunias emptori, quia, quum vere emerit rem hypothecatam, eo casu sibi, et non venditori, perit. Archiepiscopus etiam Januensis consuluit olim Alexandrum III. super venditionem ad tempus, ut patet ex cap. In civit. De Usura. Ut ergo olim, ita nunc saepe deberet consuli sedes apostolica. Neque dicat aliquis, sufficere definitiones in hac re olim factas; quia videmus per subtilitatem mercatorum multa negotia inventa non solum non decisa a sede apostolica, sed neque cognita doctoribus etiam modernis, qui de usura scripserunt. Eadem etiam subtilitate et consuetudine factum est, ut multa negotia, quae olim manifeste iniqua habebantur, nunc vel habeantur licita, vel ad minus dubia. Quae omnia novam exposcunt discussionem et decisionem.

Si vero sedes apostolica non definiret ea, quae jam diximus, secundum remedium esset, si metropolitani vel alii episcopi in suis dioecesibus rem discuterent et inventos iniquos contractus prohiberent. Sic enim reperimus, non solum in conciliis universalibus, sed etiam in provincialibus usuras esse discussas et prohibitas, ut in concilio Eliberitano can. 20.[1] et concilio Arelatensi[2] can. 12. et in conciliis quibusdam orientalibus.

mittit ad decanos „Magdeburgensis, Numburgensis et Halberstadensis ecclesiae." — Nicolai V. rescriptum ad Alphonsum regem invenitur apud Sigism. Scaccia, Tract. de commerciis et cambio, Venet. 1669, § 9. nr. 44. pag. 455.

[1] Hoc concilium habitum est a. 306 ejusque canon allegatus exstat apud Mansi II, 10. Initium canonis in corpus juris canonici receptum est, c. 5. Dist. 47.

[2] Concilium Arelatense, celebratum a. 314, can. 12. repetit ea quae initio canonis Illiberitani citati statuuntur.

Digitized by Google

Dicta autem duo remedia parum prodessent, nisi eis adderetur tertium remedium. Hoc autem est censura severa principum et civilium magistratuum in eos, qui post definitionem contractus usurarios facere probarentur. Adeo enim nostro infelici saeculo languet fides et viget carnis sensus, ut longe plus coerceantur homines poenae temporalis metu, quam spiritualis et aeternae.

88. Quartum remedium esset, si episcopi in suis dioecesibus examinarent confessores et tantum viros doctos et probos confessionibus audiendis, horum praesertim negotiatorum, praeficerent, eis sub gravissimis censuris injungentes, ne hujusmodi usurarios absolverent, antequam satisfacerent vel cautionem de satisfaciendo praestarent, nisi forte impossibilitate excusarentur. Admonendi quoque essent confessores, ut hujusmodi homines ad se venientes interrogarent et exigerent, ut negotia sua explicarent. Quia experientia testatur, quod hujusmodi mercatores, etiam qui probi et sanctuli videntur, non explicant in confessione negotia sua, sed tantum dicunt se nihil in his scrupuli habere; et ideo illis omissis, quae gravissima sunt et maxime seria, de quibusdam tantum levibus naeniis se in confessione accusant. Hoc autem remedium esse valde necessarium satis ostendit experientia, quia culpa confessorum vivificantium animas, quae non vivunt, et verbo tenus absolventium, quos Deus ligatos tenet, multos perseverare in suis peccatis facit, qui, si certo scirent, se non esse absolvendos vel ad communionem admittendos, vel abstinerent ab usuris vel saltem non indigne communicarent, ut faciunt. Juvaret etiam prohibere confessoribus, ne ab hujusmodi hominibus, qui sibi confitentur, aliquid exigant vel oblatum acceptent; quia fortassis blanditiis et muneribus multi confessores corrumpuntur, ut absolvant non absolvendos, praesertim Januae, ubi multi de more solent aureum exhibere confessori, quoties confitentur.

Si autem praedicta remedia desunt, esset quintum remedium, ut mercatores attentius considerarent et mala usurae superius descripta et vanitatem divitiarum, quas per eam curant; quae nec conservari possunt, nec si con-

Digitized by Google

servarentur, quietum redderent possessorem. Ut recte dixerit Magnus Basilius homil. sup. psal. 61.: „Magis possibile est, ut aquam manu comprehensam contineas, quam ut divitias durabiliter conserves.“[1] Sed demus servari posse, adhuc tamen minime habenti sufficerent, eodem s. Basilio dicente: „Qui collectas ex iniquitate divitias sufficientem sibi causam ad robur et potentiam esse judicat, similis est aegroto, qui in redundantia morbi bonam valetudinem ponit.“[2] Qui igitur talem esse naturam divitiarum perspexerint, curabunt in primis, ne nimium affectum illis apponant, et se in eas transformare non sinent, ut facit avarus, cui recte ait idem Basilius homil. 34. de avaritia: „Quemadmodum enim, qui per insaniam moti sunt, res non vident, sed ex affectione imaginantur, sic anima pecuniae amore occupata omnia aurum, omnia argentum videt; jucundius aspicis aurum, quam solem, optas omnia ad auri naturam transmutari, et huic rei pro viribus intentus es.“[3] Qui vero sapientes sunt, hac auri amentia relicta, audiunt potius ejusdem Basilii consilium dicentis: „‚Divitiae si affluunt, nolite cor apponere,‘ nec animi tui affectus apponas, sed utilitatem ab ipsis excipe, non ut unum aliquod bonorum ipsas diligens ac admirans, sed instrumentarium ipsorum ministerium eligens ac amplectens.“[4] Haec ille. Quem, qui ut par est, audierit, procul dubio ob vanas divitias usura partas animae jacturam minime faciet, sed in primis decernet abstinere a manifeste iniquis contractibus, et etiam a dubiis, donec liciti decernantur. Deinde revolvens conscientiam suam et si opus est, etiam libros, videbit, quae quibus per iniquitatem usurariam tulit, et illis reddere curabit vel veram remissionem ab eis obtinet. Quod si domini nesciuntur, pau-

[1] Basil. hom. cit. nr. 5. Migne P. G. 29, 181.

[2] Ibid. Migne 180.

[3] Haec homilia de avaritia est sermo VI. inter sermones Symeonis Metaphrastae conflatos ex homiliis S. Basilii. Locus ipse habetur in S. Basilii homil. in Luc. 12, 18 nr. 4; Migne P. G. 31, 269.

[4] Hom. in ps. 61. nr. 5. Migne 29, 81. Locus s. scripturae allegatus est ps. 61, 11.

Digitized by Google

peribus eroget. Quae si praestare poterit, nec ob timorem nec ob verecundiam desistat; satius enim est in hac vita brevi pauperem esse, et si opus est etiam mendicare, quam in aeternum esurire et opprobriis saturari. Si vero quis non possit restituere, doleat se aliena abstulisse, et firmum propositum reddendi, si posset, faciat. Et sic facienti Dominus non deerit, qui animam a se creatam et proprio sanguine redemptam numquam damnabit ob fragilia bona temporalia, si illa reddere non potest. Qui enim damnatur, non tam damnatur, quia illa non reddit, quam quod illa detinens, quae vilia sunt, Domini mandato et dilectioni praefert. Debet autem, qui restitutioni obnoxius est, victum et vestitum sui et suorum restringere, ut restitutionem vel paulatim faciat. Quod dixerim, quia multi mercatores, qui jacturam fidei suae fecerunt et multos forte ob id ad mendicitatem redegerunt, quum interim ipsi sibi retinuerint, unde non solum parce vivant, sed etiam unde luxui et pompis vacent et ducant in bonis dies suos.

Nec excuset se mercator nolens abstinere ab usuris, quod illis jam sit assuetus, poterit enim deinceps alicui arti licitae vel justo negotio vacare; ut „qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret . ., ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti;“[1] quod qui fecerit, gratissimas Domino usuras facit. Ut enim recte ait Clemens Alexandrinus: „Lex prohibet fratri foenerari, fratrem nominans non eum solum, qui ex eisdem natus parentibus, sed etiam qui fuerit ejusdem tribus ejusdemque sententiae et ejusdem verbi particeps; non aequum censens, ut ex pecuniis usuras accipiamus, sed laxis manibus et animis gratificemur egentibus. Deus enim est talis doni conditor. Jam vero, qui libenter largitur, satis magnas accipit usuras, ea quae sunt apud homines pretiosissima, nempe mansuetudinem, benignitatem, magnificentiam, bonam famam laudemque et gloriam.“[2]

[1] Eph. 4, 28.

[2] Clem. Alex. Stromat. lib. 2. c. 18. Migne P. G. 8, 1023.

Digitized by Google

89. Sextum et ultimum remedium in accipientibus ad usuram situm est, ut si nec pastores ecclesiae nec magistratus providerent, nec ipsi usurarii vellent desistere, saltem id facere cogerentur, quod fieret, si homines non acciperent ad usuram. Quod fortassis faciet profundius considerans, quod qui sine magna necessitate ad usuram accipit, graviter peccat; quia et usurario et sibi valde nocet, usurario quidem, quia peccati usurae et eorum, quae ei admiscentur, occasionem praebet, dicente Basilio homil. super psal. 14.: „Principium mendacii est mutuum sumere, ingratitudinis occasio perfidiaeque et perjurii.“[1] Quod ait, quia hujusmodi crimina usurarius incurrit, ut idem pater egregie describit dicens: „At vero avarus, ubi videt virum prae necessitate se incurvantem ante genua supplicem, quid non humile facientem, quid non loquentem, non miseretur ejus, qui praeter dignitatem agit ac supplicat, non reputat naturam, non mollitur precibus, sed immobilis et implacabilis stat, non precibus cedit, non lacrimis frangitur, in negatione perdurat jurans ac obtestans, se pecuniis penitus carere, et se ipsum quoque circumspicere, an aliquem reperire possit, qui mutuum tradat; atque sic mendacium per juramentum confirmans malum inhumanitatis ut accessorium quaestum perjurium acquirit. Postquam vero is, qui mutuum petit, usurarum mentionem fecerit et pignora nominaverit, tunc demisso supercilio arridet. Et fortassis paternae quoque amicitiae mentionem facit et familiarem appellat ac amicum. Et, videbimus, inquit, an aliqua nobis sit reposita pecunia; est autem depositum viri amici, qui lucri gratia apud nos deposuit. Verum ille graves ex ipso usuras exigit, nos autem omnino remittimus aliquid et pro minoribus usuris dabimus. Talia fingens ac talibus verbis blandiens ac inescans miserum, ubi libellis ipsum alligavit et supra urgentem paupertatem etiam libertatem viri detraxit, abit.“[2]

[1] Homil. II. super psalmum 14. nr. 2. Migne P. G. 29, 269.
[2] Ibid. nr. 1. Migne 265.

Digitized by Google

Non solum autem ad usuram accipiens nocet usurario, sed nocet sibi, tum quia peccat, peccati occasionem dans. Tum quia, si usurarius est sibi amicus, ex amico illum inimicum facit, qui ex paupere et infelici amico ditari vult. Si autem inimicus est, fit inimici servus; dum enim qui pauper erat, ad usurarium accedit, recedit et pauperior et servus culpabili paupertate et servitute. Ut enim hujusmodi homini ait Basilius: „Si mutuum non acceperis, similiter eris pauper, et hodie, et deinceps; mutuo vero accepto, gravius divexaberis, usura paupertatem amplius augente; et nunc quidem nemo vitio tibi vertit paupertatem, involuntarium enim est malum; si autem usuris obnoxius fueris, nemo est, qui te non reprehendat ac detestetur in consulta temeritate.“[1] Haec ille, quem sequentes idem de servitute dicere possumus. Nam sine vitio invite quis incurrit servitutem, vitiose autem, qui se servum usurarii reddit. Fit etiam, ut in varia desideria et in varios affectus nocivos incidat; quum enim videt divitias, illas desiderat, ut solvat; quum pulsatur ad ostium, timet, ne forte sit creditor; quum adveniunt festa, dolet, quod pignoribus, quibus ornari solebat, sit privatus; affligitur etiam dum transeunt menses, quod sint usurarum patres. Ut enim Basilius ait: „Centesimatores et decimatores appellantur quidam, horrenda etiam auditu nomina. Item menstrui exactores, quemadmodum daemones comitiales morbos inducentes, juxta lunae circuitus pauperes invadunt.“[2]

Quod si quis alleget paupertatem, ex qua cogitur ad usuram accipere, is si non ita pauper est, quin habeat superflua aliqua, quae vendere possit, praestat illa vendere, quam usurario loco pignoris tradere. Sic enim Sapiens ait: „Bibe aquam de cisterna tua . . nec sint alieni participes tui;“[3] quod proverbium declarat Basilius innuere, praestare de sua substantia vel industria vivere, quam ab

[1] Ibid nr. 2. Migne 272.
[2] Ibid nr 5 Migne 279.
[3] Prov. 5. 15. 17.

Digitized by Google

alieno usurario victum sumere. „Praestabilius enim," ait, „est consiliis paulatim inventis necessitatem mitigare, quam alienis acervatim elatum postea omnibus simul rebus denudari." Si vero quis ita egeat, ut nihil, quod vendat, habeat, is in primis voluptates et superfluas expensas fugiat; ob haec enim nonnulli novas usuras subinde accipiunt antiquis solutis, de quibus egregie Basilius ait: „Quemadmodum aqua subtercuti laborantes de carnositate suspecti sunt, sic etiam hic in opulentiae opinione existit semper accipiens et semper dans, et ex secundis priora dissolvens, ex mali perpetuitate sibi ipsi fidem ad accipiendum comparans. Deinde quemadmodum hi, qui per ventrem ac os sursum et deorsum excernunt [id est cholera laborantes] semper, quod praeinsidet ejicientes, et priusquam penitus purgati fuerint, alium cibum superingerentes, hunc rursus cum dolore et convulsione evomunt; sic etiam hi usuras ex usuris transmutantes, et priusquam priora expurgantur, alterum mutuum superinducentes, ubi modico tempore in alienis deliciati fuerint, postea etiam ob propria lugent."[1] Ultra fugam autem voluptatis opus est pauperi, ut laboret; vel si id non potest, mendicare non erubescat; sic enim ait Basilius: „Quomodo igitur, inquis, me nutriam? Habes manus, habes artem? Labora pro mercede, ministri munus obi, multae sunt victus parandi solertiae, multae occasiones. At impotens ad laborandum es? Pete a possidentibus. An turpe est petere? Turpius est sane aliquem eo, quod mutuo accepisti, privare."[2]

Caput XXVIII. Conclusio.

90. Possent quoque juvari pauperes, ne usuras sumant, si et divites illis gratis mutuarent et montes, quos vocant pietatis in urbibus constituerentur. Quibus remediis adhibitis procul dubio cum Dei auxilio usurae malum tolleretur, si non omnino, saltem majori ex parte. Cujus

[1] Hom. II. in ps. 14. nr. 4. Migne P. G. 29, 276.
[2] Ibid.

Digitized by Google

rei gratia hactenus discurrimus mercatorum contractus, non quidem omnes, sed magis solemnes et crebros; et hos quidem plane in transcursu tractavimus, quia nec tam profunde meditati sumus, quantum exigeret rei difficultas, nec per temporis brevitatem et valetudinem licuit omnes tractatores, qui de hoc argumento scripserunt, mature consulere. Quo fit, ut quae diximus omnia, utpote nondum plane discussa, eo libentius submittamus non solum s. ecclesiae censurae, sed cujusvis verius sentientis judicio. Nobis enim satis visum est, si quod sentiebamus, ad Dei gloriam et mercatorum, praesertim Januensium, utilitatem in medium proferremus, ne in genere tantum detestantes usurae vitium videremur negligere vel fugere sermones particulares, qui in hoc et similibus argumentis teste philosopho utiliores et aptiores sunt.

Digitized by Google

II.
Tractatus de simonia.

1. Quaestio a Sanctissimo Domino nostro Papa Paulo IV. proposita: *Num liceat pro usu potestatis spiritualis commodum aliquod temporale percipere,* triplicem mihi sensum porrigere videtur. Aut enim quaeritur 1° utrum liceat commodum temporale pro usu potestatis spiritualis percipere, non quidem tanquam pretium usus, sed tanquam sustentationem ministri, ut possit gratis potestate uti. Aut quaeritur 2°, numquid liceat id commodum accipere quasi pretium usus potestatis. Aut quaeritur 3° an liceat percipere commodum temporale pro usu potestatis, ut Romae fit, ubi (licet forte non accipiatur ut pretium) est tamen praescripta aliqua taxa, qua persoluta conceditur gratia petenti, et non aliter; quod intelligo fieri tam a datario quam a ministris summi poenitentiarii vel cancellarii.

Caput I. Licet pro usu potestatis spiritualis aliquid accipere ad sustentationem ministri.

Ut ergo ad quaestionem, quod occurrit, respondeam, juxta triplicem sensum propositum eam examinando, dicerem inprimis, licere quidem accipere pro usu commodum temporale ad primum sensum. Quod ex scripturis et patribus et ex ipsa ratione facile probatur.

Digitized by Google

2. Dicitur inprimis in lib. Num.: „Omnia, quae sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali, legitima sempiterna.“[1] De Levitis quoque subjungitur: „Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo foederis.“[2] Ex quibus locis aperte colligitur, dari temporalia pro officio sacerdotali et ministerio tabernaculi, non quidem tanquam pretium ipsius ministerii, sed tanquam sustentationem necessariam et debitam, ut quis ministrare possit; ita ut idem sit conferre quid temporale pro ministerio, atque conferre id ad ministerium sive ut quis ministret. Quod ipse Dominus exponit ibidem dicens de Levitis: „Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi.“[3] Dabantur igitur decimae, ut eis nutriti ministri spiritualia gratis ministrarent juxta apostolum dicentem: „Quoniam gratis evangelium Dei evangelizavi vobis. Alias ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.“[4] Verum Dominus et per Malachiam ait: „Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea.“[5]

Ex evangelio quoque idem licere probatur, dicente Domino discipulis suis, quos ad praedicandum misit: „In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quae apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua.“[6] Apostolus quoque Paulus diversis in locis probat, licere temporalia sumere, ut spiritualia quis ministret. Ait enim: „Probaverunt Macedonia et Achaja collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis.“[7] Ad Corinthios quoque ait: „Numquid non habemus potestatem manducandi et bi-

[1] Num 18, 8.
[2] V. 21.
[3] V. 23.
[4] II. Cor. 11, 7. 8.
[5] Mal. 3, 10.
[6] Luc. 10, 7.
[7] Rom. 15 26. 27.

Digitized by Google

bendi? Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et ceteri apostoli et fratres Domini et Cephas? Aut ego solus et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem haec dico? An et lex haec non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: ‚Non alligabis os bovi trituranti'. Numquid de bobus cura est Deo? an propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt; quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestrae participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate, ne quod offendiculum demus evangelio Christi. Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere."[1] Ad Thessalonicenses rursus ait: „Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiae, Deus testis est; nec quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, quum possemus vobis oneri esse, ut Christi apostoli; sed facti sumus parvuli in medio vestri, tanquam si nutrix foveat filios suos."[2] Ad Timotheum scribens ait: „Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina. Dicit enim scriptura: ‚Non alligabis os bovi trituranti', et ‚Dignus est operarius mercede sua'."[3] Et ad Galatas: „Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat in omnibus bonis."[4]

3. Patres etiam omnes idem sentiunt, quod scriptura in hac parte, ut ex multis eorum decretis constat, imo ex omnibus illis, in quibus vel decimas exigunt a fidelibus,

[1] I. Cor. 9, 4—14.
[2] I. Thess. 2, 5. 6. 7.
[3] I. Tim. 5, 18.
[4] Gal. 6, 6.

Digitized by Google

vel praebendas seu beneficia ministris deputant, quod innumeris decretis faciunt. Ideo superfluum esset et operosum illa recensere. Signanter autem id licere dicunt C. 1. q. 1. cap. Judices;[1] C. 1. q. 2. cap. Clerici;[2] cap. Quam pio C. 1. q. 2;[3] cap. Ecclesias C. 16. q. 7;[4] cap. Revertimini et cap. Apostolicis.[5]

Ratio quoque naturalis docet, ministros cultus et religionis alendos esse a populis, quibus serviunt, ut nulla sit tam barbara gens, nulla tam superstitiosa religio, quae hoc non servet. Nam vel Aegyptiaci sacerdotes possessiones habebant ab aliis oneribus exemptas, ut in lib. Genesis c. 47. legimus.[6]

Licet igitur commodum temporale percipere, non quasi pretium ipsius usus potestatis spiritualis, sed ut sustentationem necessariam, ut quis potestate utatur.

4. Quam tamen tunc tantum licet accipere, quum accipiens ea indiget, et quantum opus est sumit, et sine proximi scandalo. Nam si non eget et accipit, non jam sustentationem videtur accipere, sed vendere usum potestatis; ut recte dixerit Hieronymus: „Si indiges et accipis, das potius quam accipis; si non indiges et accipis, rapis.“ Vide Prosperum de vita contemplativa lib. 2. cap. 14.[7] Opus est enim, ut id, quod ad sustentationem accipitur, moderatum sit, dicente Bernardo: „Conceditur ergo tibi, ut si bene deservis, de altario vivas, non autem, ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea a collo et manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid praeter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est; rapina est, sacrilegium est. Orabat quidem sapiens, victui

[1] Cap. 4 quod tamen secundum meliorem lectionem incipit *Duces*.
[2] Cap. 10. fin. [3] Cap. 2. [4] Cap. 28.
[5] C. 16. q. 1. cap. 65; C. 16. q. 1. cap. 67.
[6] Cf. vers. 22.
[7] Opus suppositititium, quod sub nomine Juliani Pomerii edidit Migne P. L. 59, 411 ss. In cap. citato (Migne col. 457) verba apostoli I. Cor. 9, 13 exponuntur.

Digitized by Google

tantum suo tribui necessaria, non superflua.[1] ‚Habentes,' ait apostolus, ‚victum et vestitum,'[2] non victum et ornatum. Et quidam alius sanctus: ‚Si dederit,' inquit, ‚mihi Dominus panem ad manducandum, et vestimentum, quo operiar.'[3] Nota, quo operiar. Sic ergo et nos contenti simus vestimentis, quibus operiamur, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis vel similari vel placere studeamus."[4] Haec ille.

Demum opus est, ut etiam necessaria et moderata sustentatio sine scandalo sumatur, dicente apostolo: „Quapropter, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum,"[5] et alibi: „Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestrae participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate; sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus evangelio Christi."[6] Et paulo inferius: „Quae est," ait, „merces mea, ut evangelium praedicans sine sumptu ponam evangelium, ut non abutar potestate mea in evangelio?"[7] Et alibi: „Gratis evangelium Dei evangelizavi vobis; alias ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum."[8]

Ubi ergo hoc scandalum vitatur et sustentatio moderata et necessaria sumitur, licet illam accipere pro usu potestatis, hoc est, ut illa quis utatur; ut supra multis probavimus.

Quae dicta sint de primo quaestionis propositae sensu.

Caput II. Non licet accipere commodum quasi pretium usus potestatis spiritualis.

5. Secundus sensus erat quaestionis propositae: Num liceat accipere temporale commodum quasi pretium seu

[1] Prov. 30. 6. [2] I. Tim. 4. 8.
[3] Gen. 28, 20.
[4] Epistola II. ad Fulconem c. 5. Migne P. L. 182, 82.
[5] I. Cor. 8, 13. [6] Ibid. 9, 11. 12.
[7] Ibid. v. 18. [8] II. Cor. 11, 7. 8.

Digitized by Google

mercedem venditi vel locati usus spiritualis potestatis. In quo sensu accepta quaestione responderem: Nequaquam esse licitum, sed injustum et simoniacum, pretium vel mercedem accipere pro usu gratiae vel potestatis spiritualis a Spiritu Sancto infusae vel concessae ad spiritualem ecclesiae aedificationem.

Dixi autem „pro usu spiritualis gratiae vel potestatis a Spiritu Sancto infusae vel concessae," quia, si quis vel dote aliqua naturali polleret vel humana aliqua potestate vel acquisita arte vel scientia, procul dubio liceret pro earundem usu mercedem et pretium accipere. Neque enim harum facultatum opera vel sacra sunt vel tam sublimia, ut non possint pecunia comparari. Addidi secundo „ad spiritualem ecclesiae aedificationem", quia licet Deus infunderet alicui rerum naturalium scientiam, ut infudit Salomoni, qui disputabat a cedro Libani usque ad hyssopum, licet etiam infunderet artem aliquam mechanicam, ut infudit Beseleel et Ooliab,[1] non putarem illicitum, hujusmodi scientiae vel artis operam locare vel vendere, quia non fuere specialiter ordinatae hujusmodi gratiae ad spiritualem animarum aedificationem. Quum ergo potestas vel gratia est a Spiritu Sancto donata ad aedificationem animarum, nullo pacto licet ejus usum vendere.

Quae autem sint hujusmodi gratiae et potestates, docet diversis locis apostolus. Nam ad Romanos ait: „Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra; habentes autem donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes; sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praeest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate."[2] Ad Corinthios etiam ait: „Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones ope-

[1] Exod. 35. 30. 34.

[2] Rom. 12, 4—8.

Digitized by Google

rationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum."[1] Et paulo post ait: „Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum."[2]

Quod ergo pro hujusmodi gratiarum usu nihil tanquam pretium sit accipiendum, probatur manifeste tam ex sacris scripturis quam etiam ex doctoribus sanctis et ex ipsa ratione.

6. Et quod ad scripturas attinet, adducemus primo loca novi testamenti, quod ut dignitate ita et perspicuitate vetus excedit. Ideo ordine doctrinae ab eo est incipiendum. Dominus igitur mittens discipulos suos ait: „Euntes praedicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum coelorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite. Gratis accepistis, gratis date."[3] Hic manifeste Dominus, loquens de usu potestatis docendi et faciendi miracula, praecipit, ut tam docentes quam signa facientes gratis et doceant et signa faciant. Quod non est aliud, quam prohibere, ne usum praedictae potestatis vendant; ita ut idem sit dicere: „Gratis accepistis, gratis date," ac si dixisset: Gratis accepistis potestatem praedicandi et signa faciendi, gratis igitur ea utimini. Quod Hilarius explicans pulchre dicit: „Et ut ex toto secundum Genesis prophetiam Dei similitudinem consequantur, dare gratis, quod gratis acceperunt, jubentur, ut sit sacra ministratio gratuita muneris gratuiti."[4] Haec ille, docens in hoc Dei ministros ei similes fieri, si bene faciant, idque gratis, quod est summo bono proprium. Id

[1] I Cor. 12, 4—10. [2] Ibid. v. 28. [3] Matth. 10, 7. 8.
[4] In Matth. c. 10. n. 4; Migne P. L. 9. 967.

Digitized by Google

enim omnibus se communicat gratis, quum bonorum nostrorum non egeat.

7. Petrus apostolus eandem Domini sententiam velut explicans ait: „Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum.“[1] In quibus apostoli verbis notandum inprimis est, eum loqui de illa gratia Spiritus, quam Deus ad utilitatem proximi largitur, qualis est gratia sermonis vel ministerii. Ideo de illa jubet, ut in alterutrum administretur. Deinde advertendum, multis modis prohibere apostolum, ne usus hujusmodi gratiae vendatur. Jubens, ut, sicut accepimus gratiam, ita illam administremus, jubet procul dubio gratis eam administrare; quod etiam praecipit, quum docet, ut eam administremus ut boni dispensatores multiformis gratiae Dei. Non est autem bonus et fidelis dispensator, qui, quod Dominus jubet dispensare, sibi vindicat, et tanquam proprium vindicat. Quod ne fiat, admonet apostolus dicens: „Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus.“ Planum autem est, quod, qui verbum et ministerium sacrum vendit, non ut divinam rem id administrat, sed quasi propriam. Ideo ipsemet in hoc ditatur et honoratur, et non Deus per Jesum Christum, ut jubet apostolus Petrus.

Idem quoque princeps apostolorum ait senioribus et presbyteris: „Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie.“[2] Ubi expresse prohibet pascere turpis lucri gratia. Nullum autem est turpius lucrum, quam id, pro quo venditur usus potestatis pascendi. Ideo Beda hunc locum exponens ait: „‚Coacte‘ pascit gregem Dei et providet ille, qui propter rerum temporalium penuriam, non habens unde vivat, idcirco prae-

[1] I Pet. 4, 10. 11. [2] I. Pet. 5, 2.

Digitized by Google

dicat evangelium, ut de evangelio vivere possit; ‚spontanee vero secundum Deum', qui nullius terrenae rei, sed tantum supernae mercedis intuitu verbum Dei praedicat." Et paulo inferius ait: „‚Turpis lucri gratia' providet gregi Dei, qui propter quaestum et terrena commoda praedicat, quum religionis opera cuncta spontanee fieri debeant."[1] Haec ille.

Idem rursus apostolus, postquam praemisit: „Fuerunt vero et pseudoprophetae in populo, sicut et in nobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant, superinducentes sibi celerem perditionem," postquam haec, inquam, praemisit, subjunxit: „Et multi sequentur eorum luxurias (sive perditiones), per quos via veritatis blasphemabitur, et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, quibus judicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat."[2] Hic licet apostolus de haereticis loquatur, non puto tamen alienum esse ab ejus mente, si per hos magistros mendaces et eorum sectatores intelligamus simoniacos et usum spiritualis potestatis vendentes. Nam et ipsi haeretici a sanctis patribus vocantur. Ipsi autem, „per quos via veritatis blasphematur," ipsi sunt, qui fictis verbis de christiano populo negotiantur, dum pulchras, sed fictas narrationes in supplicationibus ponunt, quibus justificetur impius pro muneribus et mortificetur pius. Ipsis quoque convenit, quod apostolus ait: „Quibus judicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat;" nam et morte aeterna a Domino plectuntur et temporalia quoque amittunt, dum populi et regna ob crudelem eorum avaritiam ab obedientia sedis apostolicae et ecclesiae sanctae recesserunt.

Quadrat etiam eis, quod subjunxit Petrus de illis dicens: „Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii; derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mer-

[1] In primam epist. S. Petri, cap. 5. Migne P. L. 93 65.
[2] II Pet. 2. 1–3.

Digitized by Google

cedem iniquitatis amavit."[1] Animae igitur instabiles, quas isti pelliciunt, sunt, vel qui manentes in religione excutere jugum Domini volunt, vel qui non contenti ecclesiastica regula nocivas et injustas dispensationes ambiunt, vel qui ambitiosi sunt et stare loco nesciunt, quin primas cathedras occupent. Omnibus autem his adsunt simoniaci et „cor exercitatum avaritia habentes", versutias et fictiones miseros homines docentes, quibus possint sua iniqua desideria explere, modo ab illis „mercedem iniquitatis, secuti Balaam", pro maledictione hac accipiant. Demum est manifesta sententia ipsius Petri contra Simonem Magum, referente Luca: „Quum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut, cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quum donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo. Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse."[2] In quibus principis apostolorum gravissimis verbis videmus prohiberi venditionem vel emptionem usus spiritualis potestatis. Nam hac potestate utentes apostoli Spiritum Sanctum credentibus tribuebant, ac etiam creabant episcopos, qui per impositionem manus Spiritum Sanctum dabant. Voluit igitur Simon usum hujus potestatis emere, quem postea aliis vendens, lucraretur. Et quia ad hoc nefas voluit apostolum inducere, ut usum spiritualis potestatis venderet, audivit ab illo: „Pecunia tua tecum sit in perditionem;" ac si diceret: Tu me pecunia vis perdere, aequius tamen est, ut, quum ita vis, tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum Dei posse pecunia possideri. Subjunxit autem: „Non est tibi pars vel sors in sermone isto," quia simoniacus ab omni commercio

[1] Ibid. v. 14. 15.

[2] Act. 8, 18—23.

Digitized by Google

et negotio ecclesiastico est exclusus et ab omni usu sacrae potestatis suspensus. Cor etiam simoniaci „non est rectum coram Deo“, dum non recognoscit pretium donorum ejus, quae pecunia comparare vel distrahere vult. Est etiam in „amaritudine“ cordis, id est in angustiis et vitiis, quae ambitionem et avaritiam frustratam sequi solent; qualia sunt: zelus, invidia, detractio, odium, veneficia et similia mala, quae rursus alia colligatione quadam iniquitatis secum trahunt. Solent enim tales adulari illis, per quos volunt promoveri, quibus quum indigna obsequia et munera exhibent, servi hominum fiunt.

Ex apostolo etiam Paulo eadem veritas colligitur. Primo enim, ubicunque evangelii veros ministros describit, inter alia exigit, ut avaritiam fugiant, quam peculiare vitium pseudoapostolorum esse dixit.

Ad Timotheum ergo scribens ait: „Oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum.“[1] De diaconibus autem ait: „Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes.“[2] Ad Corinthios quoque ait: „Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.“[3] Non est autem fidelis, qui avaritia corruptus dona supernaturalia vendit. Suum etiam ministerium commendans ait Thessalonicensibus: „Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiae, Deus testis est.“[4] De pseudo- autem apostolis ait: „Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri; et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.“[5] Et alibi: „Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis

[1] I. Tim. 3, 2. 3.
[2] Ibid. v. 8.
[3] I. Cor. 4, 1. 2.
[4] I. Thess. 2, 5.
[5] Rom. 16, 18.

Digitized by Google

Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt."[1] Et rursus alibi de eisdem: „Ex quibus," ait, „oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quaestum esse pietatem. Est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli."[2] Et paulo inferius: „Tu autem, o homo Dei, haec fuge; sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem."[3] Quum igitur Paulus toties exigat a ministris evangelii mundas manus ab omni avaritia, et pseudoapostolos ea coinquinatos ostendat et suggillet, ob id profecto id facit, quia videbat avaros facile adduci, ut vendant vel emant spiritualis potestatis usum.

Idem quoque apostolus ait: „Ideo habentes administrationem juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei."[4] Quod plane tunc adulteratur sive dolose tractatur, quum eo quis quasi hamo utitur ad piscandum temporalia lucra. Quod idem apostolus clarius exponens ait: „Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei" (sive ut graeca lectio habet, cauponantes verbum Dei), sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur."[5] Quibus verbis Paulus clare docet, non licere abuti ad quaestum potestate docendi, verbum Dei cauponando, quod ipse, sicut ex Deo, coram Deo se loqui testatur; quia non id vendebat ut mercem propriam, sed juxta Petri sententiam id proponebat gratis „quasi sermones Dei."[6]

[1] Phil. 3, 18. 19.
[2] I. Tim. 6, 4—9.
[3] Ibid. v. 11.
[4] II. Cor. 4, 1. 2.
[5] II. Cor. 2, 17.
[6] I. Pet. 4, 11.

Digitized by Google

8. Vetus quoque testamentum multis in locis damnat venditionem usus gratiae vel spiritualis potestatis. In Michaea enim dicitur: „Qui aedificatis Sion in sanguinibus et Jerusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetae ejus in pecunia divinabant, et super Dominum requiescebant dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? Non venient super nos mala. Propter hoc, causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum.“[1] Ubi manifeste docet propheta, non licere pro usu gratiae prophetandi vel potestatis docendi pecuniam seu pretium accipere. Verum et glossa ordinaria ibi ait: „Non debent ministri ecclesiae propter pecuniam sua officia administrare. Nec tamen prohibetur, quod ex officio suo debent accipere ad necessitatem, non ad luxuriam.“ Ideo alibi in prophetas ob mercedem divinantes ait: „Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis, ut interficerent animas, quae non moriuntur, et vivificarent animas, quae non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.“[2] Reprehendit quoque Dominus per Malachiam ministros templi dicens: „Quis est in vobis, qui claudat ostia et incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra.“[3]

De Jeroboam etiam scribitur: „Non est reversus Jeroboam de via sua pessima, sed e contrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum; quicumque volebat, implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum. Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam et eversa est et deleta de superficie terrae.“[4] Quia igitur Jeroboam abutebatur potestate juris patronatus, quam solent reges habere, vendens ejus usum eis, quos eligebat, peccasse dicitur et deleta domus ejus. Ob quam etiam rem, ut in

[1] Mich. 3, 10—12.
[2] Ezech 13, 19.
[3] Malach. 1, 10.
[4] III. Reg. 13, 33. 34.

Digitized by Google

libro Machabaeorum legitur, Antiochus et Jason a Domino puniti sunt.[1] Reprehenditur etiam Balaam, tanquam abusus sit potestate sua ob pretium, maledicens populo Israel. Unde dicitur Ammonitis et Moabitis: „Etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini in aeternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via, quando egressi estis de Aegypto, et quia conduxerunt contra te Balaam, filium Beor, de Mesopotamia Syriae, ut malediceret tibi; et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eo quod diligeret te."[2] Giezi quoque, usum potestatis miraculorum gratis concessum ab Eliseo volens vendere Naaman audivit: „Nunc igitur accepisti argentum et accepisti vestes, ut emas oliveta et vineas et oves et boves et servos et ancillas. Sed et lepra Naaman adhaerebit tibi et semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix."[3]

Constat igitur ex scripturis tam novi quam veteris testamenti, simoniacum esse et illicitum, usum gratiae seu potestatis spiritualis vendere.

9. Antiqui etiam patres, a scripturis edocti, saepe inculcant non licere vendere usum potestatis spiritualis. Eusebius enim Caesariensis refert verba Apollonii de Montano haeretico dicentis: „Hic est, qui docuit nuptias solvi, et qui jejuniorum leges primus imposuit, qui Pepuzam et Tymium, oppida Phrygiae, Hierusalem nominavit, atque illuc omnes congregandos decrevit; qui exactores pecuniae statuit, qui sub nomine oblationis munera artificiosius accipit, qui salaria praestat praedicantibus verbum suum, ut per haec invitati enixius doctrinae ejus operam praebeant."[4] Haec ille, taxans Montanum, quod salaria praeberet praedicantibus, quod non est aliud quam emere facultatem docendi.

[1] I. Mach. 6; II Mach. 4 5. [2] Deut. 23, 5.
[3] IV. Reg. 5, 26. 27.
[4] Hist eccl. lib 5. c 18; Migne P. G. 20, 475, ubi tamen alia versio graeci textus habetur.

Digitized by Google

Basilius etiam Magnus ad Libanium sophistam, qui jocans scripserat, omnem episcopum rem esse lucro valde intentam, salse ei respondens ait: „Considera, o admirande, quis magis lucro intentus sit: nos, qui sic per epistolae tuae licentiam circumvallamus, aut sophistarum genus, quorum ars est eloquentiam vectigalem facere? Quis ex episcopis sermonibus tributum imposuit? Quis ex discipulis mercedem exegit? Vos estis, qui orationes venum proponitis, veluti dulciarium pistores mellitas placentas. Vides, quod etiam senem ad saltandum commovisti?“[1] Haec ille, docens non licere neque consuetum esse in ecclesia verbum Dei vendere sive usum potestatis docendi; sicut alibi docet, non posse vendi usum potestatis eligendi ministros. Sic enim ait in epistola ad episcopos sibi suffraganeos: „Rei, de qua scribo, turpitudo propterea quod omnino suspecta ac relata fuit, dolore animam meam implevit. Hactenus autem minime credibilis mihi visa fuit. Itaque has litteras, de ipsa conscius, sibi ipsi velut medelam suscipiat, non conscius autem, velut praeservativum, indifferens vero (quod opto, ne inter vos reperiatur) velut contestationem. Quid autem est, quod dico? Ajunt aliqui, quosdam vestrum accipere pecunias ab iis, qui ordinantur, umbram autem obtendere per nomen pietatis. Hoc vero pejus est. Si quis enim malum cum praetextu boni facit, duplicata poena dignus est; propterea quod et non bonum operatur et utitur ad perficiendum peccatum ipso bono, ut ita dicam, cooperatore et auxiliario. Haec si ita se habent, de cetero ne fiant, sed corrigantur. Alioquin necesse est dicere ad accipientem argentum, quod dictum est ab apostolis ad eum, qui dare volebat, quo Spiritus Sancti accessionem emeret: ‚Pecunia tua tecum sit in perniciem‘.[2] Levior enim et tolerabilior est, qui propter inscitiam emere vult, quam qui vendit Dei donum. Venditio namque est, et quod tu gratis accepisti, si venum

[1] Epist. 348. (alias 155.) ad Libanium; Migne P. G. 32. 1091. 1092 cum alia versione.

[2] Act. 8, 20.

Digitized by Google

proposueris (velut qui satanae vendidisti), gratia privaberis. Cauponariam enim rebus spiritualibus superinducis, itemque ecclesiae ipsi, ubi creditum est nobis corpus et sanguis Christi. Haec sic fieri non oportet. Quae vero sit versutia, dicam. Putant se non peccare, propterea quod non ante sumunt, sed post ordinationem accipiunt. Accipere autem est quandocunque tandem accipere. Adhortor igitur, ut hunc redditum et accessum, imo potius adductionem in gehennam, reponatis, et ne, ubi manus talibus capturis inquinavistis, vos ipsos indignos ad magna mysteria perficienda faciatis. Ignoscite autem mihi. Primum velut qui non credam, deinde vero velut persuasus comminor. Si quis post hanc meam epistolam tale quid fecerit, ab his quidem, quae hic sunt, altaribus secedet. Quaeret autem, ubi Dei donum venum exponens divendere possit."[1] Et infra: „Ne igitur Christo idola praeferatis propter exiguam pecuniam, nec rursus Judam imitemini, ob quaestum rursus prodentes eum, qui semel pro nobis crucifixus est. Nam et ager et manus eorum, qui hos fructus suscipiunt, Hakeldama vocabuntur."[2]

10. Athanasius consonat Basilio; nam in epistola quadam ad orthodoxos, postquam narravit Arianos mercari episcopi nomen et, potestate judicum fretos, se improbe ingerere, postquam dixit, ex hoc solvi ecclesiasticos canones gentesque ad blasphemandum impelli atque ad putandum, non divinis legibus neque secundum jura majorum, sed exsecrabilibus nundinis ac per vim ecclesiae praesules statui, post haec, inquam, et alia nonnulla subjungit: „Verumtamen quoque nos occidere quaerunt (de Arianis loquitur) nostrisque necessariis terribiles imminent, adeo ut omnes effugerint mortemque ab illis quotidie expectent; sed non ideo vos illorum improbitas perterrere debet, verum magis et ulcisci convenit et indignari in hujusmodi iniquitatis auctores. Si enim dum unum membrum patitur, compatiuntur et omnia membra, et juxta

[1] Epist. 53. (alias 76.); Migne P. G. 32, 396 s., ubi alia versio.
[2] Ibid. Migne 400.

Digitized by Google

beatum apostolum oportet flere cum flentibus,[1] affecta hujusmodi injuriis ecclesia et talia tantaque patiente, unusquisque ac si ipse patiatur vindex esse pro viribus studeat; communis namque salvator est, qui blasphematur ab ipsis, communesque omnium canones, qui ab ipsis conculcantur. . . Quocirca indignari nos convenit et graviter ferre, ne si ista negligitis, sensim in singulas ecclesias hujusmodi clades excurrat, jamque venalis fiat antistitis dignitas."[2]

Joannes Chrysostomus, exponens illud verbum Domini: „Gratis accepistis, gratis date,"[3] inter alia ait: „Nam ut ostendat, absque nobilitate morum nihil signa valere, utque in nullum fastum animi atque tumorem inciderent: ‚Gratis accepistis', inquit. Deinde ne pecuniarum cupiditate moverentur, intulit: ‚Gratis date'. Nam ne, quasi sua ipsorum potestate miracula facientes, inde superbirent: ‚Gratis', dixit, ‚accepistis'; sic aliis quoque haec beneficia, quorum nullum potest condignum pretium inveniri, ‚gratis date'."[4] Idem auctor alibi ait: „Templum autem Dei speluncam facit latronum, qui lucra terrena et illicita, non autem spiritualia in animarum salutem sectatur. Cultusque religionis eo modo non tam cultus Dei est, quam iniquae negotiationis occasio. Nam quotidie ingreditur Jesus in templum suum i. e. in sanctam ecclesiam et ejicit omnes vendentes gratiam Dei de ecclesia, episcopos, presbyteros, diaconos omnesque ecclesiasticos, nec non et laicos, quia unius criminis pariter habentur, pariter Dei dona vendentes et ementes; quare scriptum est: ‚Gratis accepistis, gratis date'. Columbas quoque vendentium cathedras evertit, ut, quod honor sacerdotalis debet auferri ab eis, doceret, qui pro terrena mercede opus Dei faciendum existimant."[5] Haec ille, asserens non

[1] Rom. 12, 15.

[2] Epistola encyclica ad episcopos n. 6; Migne P G. 25, 235.

[3] Mat. 10, 8.

[4] In Mat. hom. 32. al. 33. n. 4; Migne P. G. 57, 382 (alia versio).

[5] Opus imperfectum in Matthaeum Chrysostomo falso attributum hom. 38; Migne P. G. 56, 841.

Digitized by Google

licere opus Dei ob terrenam mercedem facere; quod plane facere convincitur, qui usum gratiae spiritualis vendit.

Tertullianus ait de sacerdotibus loquens: „Praesident probati quique seniores honorem istum non pretio, sed testimonio adepti; neque enim pretio ulla res Dei constat.“[1]

11. Hilarius ultra ea, quae adduximus superius,[2] quibus censet administrationem debere esse gratuitam muneris gratuiti, explicans, quid significet Dominus, quum aes in zonis ferre prohibet,[3] ait: „Zona est ministerii apparatus et ad efficaciam operis praecinctio. Ergo ne quid in ministerio nostro venale sit, admonemur; neque hoc apostolatus nostri opus fiat auri, argenti aerisque possessio.“[4] Haec ille, docens nihil pretii pro ministerio esse accipiendum. Quod et alibi asserit dicens: „Sed et sunt comedentes populum Dei, ut cibum panis, quibus, ut idem beatus apostolus ait, Deus venter est,[5] qui ministerium deputant ad negotiationem, collationibus se plebis et muneribus ditando, dum convivia sub obtentu religionis sumptuosa sectantur, dum apothecas suas inutili religiosorum obsequio distendunt; quum consuetudo ab apostolis necessariae hujus collationis ad diurnam tantum saeculo renuntiantium, aut per inopiam indigentium, alimoniam fuerit instituta. De quibus scriptum est:[6] ‚Comedentes domos viduarum et oratione longa orantes‘.“[7]

Hieronymus: „Et quia semper dona spiritualia, si merces media sit, viliora fiunt, adjungitur avaritiae condemnatio: ‚Gratis accepistis, gratis date‘,[8] quasi dicat: Ego magister et Dominus absque pretio hoc vobis tribui, et vos sine pretio date, ne evangelii gratia corrumpatur.“[9]

12. Beda: „Qui autem sunt in templo Dei hodie, qui columbas vendunt, nisi qui in ecclesia pretium de impositione

[1] Apologet. c. 39; Migne P. L. 1, 469.
[2] Videlicet pag. 328.
[3] Mat. 10, 9.
[4] Commentar. in Mat., cap. 10., n. 5; Migne P. L. 9, 968.
[5] Phil. 3, 19.
[6] Mat. 23, 14.
[7] In psalm. LII. n. 13; Migne l. c. 351. 352.
[8] Mat. 10, 8.
[9] In evang. Mat. l. 1. c. 10; Migne P. L. 26, 62.

Digitized by Google

manus accipiunt? Per quam videlicet impositionem Spiritus Sanctus coelitus datur. Columba ergo venditur, quando manus impositio, per quam Spiritus Sanctus accipitur, ad pretium praebetur. Sed Redemptor noster cathedras vendentium columbas evertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. Hinc est, quod sacri canones simoniacam haeresim damnant et eos sacerdotio privari praecipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quaerunt."[1]

Victor etiam episcopus in historia de persecutionibus Africae de Hunerico, ariano rege Vandalorum, ait: „Censet prius tyrannus jussione terribili, ut nemo in ejus palatio militaret neque publicas ageret actiones, nisi sese arianum fecisset. Quorum ingens numerus vigore invicto, ne fidem perderet, militiam temporalem abjecit. Quos postea domibus projectos omnique substantia expoliatos in insulas Siciliam et Sardiniam relegavit. Quin etiam statuere per totam Africam festinavit, ut nostrorum episcoporum defunctorum fiscus sibi substantiam vindicaret. Qui autem defuncto succedere poterat, non ante ordinaretur, nisi fisco regali quingentos solidos obtulisset. Sed hoc aedificium ubi construere nisus est diabolus, statim illud destruere dignatus est Christus."[2]

13. Praeter hos et alios patres antiquos et omnes fere scholasticos doctores, qui in IV. sentent. dist. 25. haec fere tractant (sicut Thomas in variis locis, sed praesertim in II^{a} II^{ae} qu. 100. art. 3.), praeter hos, inquam, sunt in jure canonico innumera decreta, ex quibus deducitur, nullo modo licere vendere usum potestatis spiritualis. Quorum decretorum capita tantum recensebimus. Quod ut ordine aliquo fiat, adnotandum est, gratiam seu potestatem spiritualem circa haec fere decem versari. Aut enim docet, aut prophetat, aut signa facit, aut leges sacras condit, aut in eis dispensat, aut sacramenta ministrat, aut benedicit vel consecrat, aut eligit, aut ordinat ecclesiae ministros,

[1] In Marci evangelium expositio, in cap. 11; Migne P. L. 92, 246.
[2] Victor Vitensis, De persecutione Vandalica l. 2. c 7; Migne P. L. 58, 208.

Digitized by Google

aut eis officia vel beneficia distribuit vel in eis ministrare sinit. Et pro nullo horum actuum, qui fere omnes usus gratiae et potestatis spiritualis comprehendunt, licet juxta sacros canones pretium accipere.

Primo enim non licet vendere doctrinam C. I. q. 2. cap. Judices.[1] Secundo non licet vendere prophetiam, ut ex eodem capite constat. Tertio non licet vendere signa I. q. 1. c. Cito.[2] Quarto neque licet pretio sacras leges condere vel in eis dispensare, quia hoc ad doctrinam sacram spectat vel ad justitiam, quae vendi non debet. Quinto non licet vendere ministerium sacramentorum, quia hoc in genere prohibetur Extra De simonia c. Quum in ecclesia[3] et I. q. 3. c. Si quis praebendas;[4] in specie autem de baptismo prohibetur I. q. 1. c. Baptizandis,[5] c. Quidquid,[6] c. Dictum,[7] c. Sunt nonnulli;[8] de confirmatione vero I. q. 1. c. Baptizandis,[9] c. Quidquid;[10] de communione autem I. q. 1. c. Nullus episcopus,[11] c. Dictum;[12] de absolutione Extra De simonia c. Nemo;[13] de matrimonio Extra De simonia c. Quum in ecclesia,[14] c. Suam,[15] c. Ad apostolicam;[16] de ordine Extra De simonia c. In ordinando,[17] c. Quum in ecclesia,[18] c. Placuit,[19] c. Quidquid,[20] c. Dictum,[21] c. Ordinationis [22] c. Sunt nonnulli,[23] c. De ordinationibus,[24] c. Pueri.[25] I. q. 2. c. Nullus abbas.[26] I. q. 3. c. Vendentes,[27] c. Non solum,[28] c. Si quis praebendas.[29] Sexto non licet vendere sacram benedictionem; nam id prohibetur de benedictione chrismatis Extra De simonia c. Ad nostram,[30] c. Ea quae,[31] c. Non sa-

[1] C. 23. cujus initium potius est *Duces.*
[2] C. 16. [3] C. 9 (V, 3). [4] C. 15. fin.
[5] C. 99. [6] C. 101. [7] C. 105.
[8] C. 114. [9] C. 99. [10] C. 101
[11] C. 100. [12] C. 105. [13] C. 14. (V, 3).
[14] C. 9. ibid. [15] C. 29. ibid. [16] C. 42. ibid.
[17] C. 1. ibid. [18] C. 9. ibid
[19] Capita 22. 102. et 103. a verbo *Placuit* incipiunt.
[20] C. 101. [21] C. 105. [22] C. 113.
[23] C. 114. [24] C 116. [25] C. 120.
[26] C. 3. [27] C. 10. [28] C. 11.
[29] C. 15. [30] C. 21. (V, 3). [31] C. 16. ibid

Digitized by Google

tis,[1] c. In tantum,[2] et I. q. 1. c. Placuit ut nullus;[3] de benedictione ecclesiae Extra De simonia c. Quum sit Romana,[4] et I. q. 1. c. Statuimus;[5] de benedictione sepulturae et cadaveris exequiisque defunctorum Extra De simonia c. Non satis[6] et c. Quum in ecclesia,[7] c. Suam,[8] c. Audivimus;[9] de benedictione religiosi et ejus susceptione Extra De simonia c. Non satis,[10] c. De regularibus,[11] c. Dilectus,[12] c. Quoniam,[13] c. Audivimus,[14] c. Mandato,[15] et I. q. 2. c. Quam pio,[16] c. Nullus abbas.[17] Septimo non licet vendere electionem seu praesentationem ministrorum ecclesiae; quia id prohibetur Extra De Simonia c. De hoc,[18] c. Ex tuae,[19] et I. q. 6. c. Ego autem,[20] c. Sicut.[21] Octavo non licet vendere creationem sive consecrationem ministrorum. Id nempe cavetur, ubi prohibetur sacramenti ordinis venditio. Nono non licet vendere distributionem beneficiorum vel officiorum ecclesiasticorum. Hoc enim prohibetur Extra De simonia c. Non satis,[22] c. Quum in ecclesia,[23] c. Ex diligenti,[24] c. Etsi quaestiones,[25] c. Matthaeus,[26] c. Ex insinuatione,[27] c. Nobis,[28] c. Sicut,[29] c. Tua,[30] c. In tantum,[31] c. Consulere,[32] c. Sicut pro certo,[33] c. Audivimus,[34] c. Si quis,[35] et I. q. 1. c. Presbyter,[36] c. Si quis episcopus,[37] c. Qui per pecunias,[38] c. Eos qui,[39] et I. q. 3. c. Audivimus,[40] c. Si quis dator,[41] c. Si quis episcopus,[42] c. Quaesitum,[43] c. Si quis objecerit,[44] c. Sal-

[1] C. 8. (V, 3).
[2] C. 36. ibid.
[3] C. 102.
[4] C. 10. ibid.
[5] C. 106.
[6] C. 8. (V, 3).
[7] C. 9. ibid.
[8] C. 29. ibid
[9] C. 41. ibid.
[10] C. 8. ibid.
[11] C. 25. ibid.
[12] C. 30. ibid.
[13] C. 40. ibid.
[14] C. 41. ibid.
[15] C. 46. ibid.
[16] C. 2.
[17] C. 3.
[18] C. 11. (V, 3).
[19] C. 20. ibid.
[20] C. 2.
[21] C. 3. fin.
[22] C. 8. (V, 3).
[23] C. 9. ibid.
[24] C. 17. ibid.
[25] C. 18. ibid
[26] C. 23. ibid.
[27] C. 26. ibid.
[28] C. 27. ibid.
[29] C. 33. ibid.
[30] C. 34. ibid.
[31] C. 36. ibid.
[32] C. 38. ibid.
[33] C. 39. ibid.
[34] C. 41. ibid.
[35] C. 45. ibid.
[36] C. 3.
[37] C. 8.
[38] C. 9.
[39] C. 21.
[40] C 1.
[41] C. 2.
[42] C. 3.
[43] C. 4.
[44] C. 7.

Digitized by Google

vator,[1] c. Ex multis,[2] c. Pervenit,[3] c. Altare,[4] et I. q. 5. per totum, et I. q. 7. c. Si quis,[5] c. Cavendum,[6] c. Requiritis.[7] Decimo non licet vendere licentiam, ut quis suo ordine utatur, quia prohibetur Extra De simonia c. Non satis,[8] c. Ad nostram.[9]

Constat igitur ex canonicis decretis, non licere usum spiritualis potestatis vendere, ut ex inductione facta probatur. Ultra quam etiam in genere prohibetur venditio ecclesiastici ministerii I. q. 1. c. Cito.[10]

14. Non solum autem ex scriptura et sanctorum patrum decretis constat, non licere vendere usum gratiae et potestatis spiritualis, sed ex ratione ipsa naturali. Primo enim fit injuria Deo et ejus liberalitati, quum usus donorum ejus venditur; sicut regia liberalitas infamaretur, si ab eo liberaliter invitatis prandium a ministris venderetur. Idcirco Petrus Simoni dixit: „Cor tuum non est rectum coram Deo,“[11] quod illi injuriam irrogaret, ejus donum non cognoscens, quod emere volebat.

Secundo fit injuria ipsi potestatis usui. Nam si potestas ipsa tam sublimis est, ut non possit pecunia comparari (dicente Petro: „Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri“[12]), profecto injuria putatur posse pecunia comparari ipsius potestatis usus, quippe qui nobilior sit ipsa potestate, quum sit ejus finis. Potestas enim et habitus propter actus sunt, ut arbor propter fructum.

Tertio talis usus venditor vendit quod non est suum. Ut enim fructus vineae est domini vineae, et non dispensatoris, ita quum spiritualis gratia vel potestas Domini sit et minister tantum sit ejus dispensator, usus ipse Domini erit; ideo ejus gratiae debet servire. Furatur igitur Dei honorem, qui se dominum hujus usus mentitur, eum vendens; sicut emens Dei honorem furatur, quum non

[1] C. 8. [2] C. 9. [3] C. 13.
[4] C. 14. [5] C. 2. [6] C. 3.
[7] C. 5. [8] C. 8. (V, 3). [9] C. 21. ibid.
[10] C. 16. [11] Act. 8, 21. [12] Act. 8, 20.

Digitized by Google

eum, sed ejus ministrum, ut dominum doni et ejus usus tractat.

Quarto injuriam facit ecclesiae, quam prodit et vendit, quum praesertim vendit ejus beneficia. De qua re Gregorius VII., in epistola nimirum ad omnes fideles, maxime ad Longobardos, ait: „Nam, sicut scitis, Gotefredus vivente Guidone dicto archiepiscopo Mediolanensi, eandem ecclesiam, quae quondam meritis gloriosae Virginis et Dei genitricis Mariae nec non auctoritate clarissimi doctoris b. Ambrosii inter ceteras Longobardorum ecclesias religione, libertate ac speciali gloria enituit, nunc quasi vilem ancillam praesumpsit emere, sponsam videlicet Christi prostituere. Et a catholica fide tentans eam separare, nisus est simoniacae haeresis scelere maculare. Quod audiens sancta Romana ecclesia mater vestra et totius christianitatis, ut scitis, magistra, congregato e diversis partibus concilio, multorum sacerdotum et diversorum ordinum consensu, fulta beati Petri apostolorum principis auctoritate, Gotefredum, fidei catholicae et legis christianae inimicum, excommunicavit et anathematis jaculo una cum omnibus sibi consentientibus transfixit.“[1]

Quinto venditor spiritualis usus alios scandalizat, qui etiam dona Dei vilia reputant. „Quis enim,“ ut Hormisdas pontifex ait, „non vile putat esse, quod venditur?“[2] tum etiam quia, sicut nihil ita plebem aedificat, sicut eorum salutem et non eorum divitias quaerere (juxta apostolum dicentem: „Non enim quaero quae vestra sunt, sed vos“[3]), ita nihil adeo scandalizat et a rete et hamo evangelico resilire animos facit, sicut avaritia, „existimans quaestum esse pietatem,“[4] cujus praetextu quaerit „quae sua sunt,“[5] et non quae Jesu Christi. Ut recte dixerit Hilarius: „Non est majus vinculum, hominibus placendi,

[1] Registr. epist. I. n. 15. Migne P. L. 148. 297. Jaffé 1. edit. n. 3550.

[2] Migne P. L. 63, 423. Jaffé 2. edit. n. 787.

[3] II. Cor. 12, 14 [4] I. Tim. 6, 5.

[5] I. Cor. 13, 5.

Digitized by Google

quam ut nemo sui causa velit iis placere, quibus placeat; quia quod in profectum[1] propriae utilitatis efficitur, non potest non aliquam interdum offensionem ex causis accedentibus excitare, quum quod alii utile est, alteri saepe fiat incommodum. At vero qui nihil sui causa velit et omnia in profectum alienae utilitatis exerceat, necesse est, ut causam sibi inoffensae placabilitatis acquirat, quia et ex alienis utilitatibus placeat, nec offendat ex propriis."[2]

Sexto quia si liceret usum gratiae vel potestatis spiritualis vendere, liceret etiam vendere, quae per ipsum usum conferuntur, et ita licite venderentur sacramenta et gratia ipsa sacramentorum et tituli beneficiorum. Res etiam consecratae, ut calices et chrisma, carius ratione consecrationis vendi possent, contra doctorum omnium sententiam. Quod vero hoc sequatur constat, quia ubicunque licite venditur vel locatur usus alicujus artis, licite etiam carius venditur, quod ipsa arte elaboratum est. Carius enim venditur tabella depicta, quam rudis, et argentum vel aurum ab artifice elaboratum, quam ipsa auri vel argenti informis massa. Carius etiam domus fabricata, quam ipsa materia, ex qua constructa est.

Constat igitur ex jam dictis responsio ad propositam quaestionem, juxta secundum sensum eam intelligendo. Non enim licet temporale commodum accipere pro usu spiritualis potestatis, quasi ut pretium, quod superius satis probavimus.

Solum superest resolvere nonnulla, quae probare prima facie videntur id licere.

Cap. III. Ea quae objici solent expenduntur.

15. Primo enim inveniuntur in scriptura oblationes quaedam rerum temporalium viris sanctis factae pro usu, ut videtur, doni vel gratiae spiritualis.

[1] Verba *iis — profectum* desunt in Ms.

[2] Tract. in psalm. LII n. 15; Migne 9, 335.

Digitized by Google

Anna enim, mater Samuelis, ut ait scriptura, „adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, et tribus modiis farinae, et amphora vini, et adduxit eum ad domum Domini in Silo.“[1] — Saul quoque, puero consulenti, ut iret ad Samuelem, ut eum doceret, ubinam essent perditae asinae, ait: „Ecce ibimus. Quid feremus ad virum Dei? Panis defecit in sitarciis nostris, et sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud. Rursum puer respondit Sauli et ait: Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti. Demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram.“[2] Ecce videtur velle emere responsum a Samuele, sicut Anna filii receptionem in templo. — Sic et uxor Jeroboam munere obtinuisse videtur responsum ab Ahia propheta, quem consuluit in aegritudine filii sui, dicente ad eam Jeroboam: „Tolle quoque in manu tua decem panes et crustulam et vas mellis, et vade ad illum. Ipse enim indicabit tibi, quid eventurum sit puero huic.“[3] — Benadad quoque, rex Syriae, aegrotans consuluit etiam cum muneribus Eliseum. Ait nempe Hazaeli: „Tolle tecum munera, et vade in occursum viri Dei, et consule Dominum per eum, dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hac? Ivit igitur Hazael in occursum ejus, habens secum munera et omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum.“[4] Licet igitur, ut videtur, emere usum prophetiae vel alterius spiritualis potestatis.

Sed his omnibus facile respondetur: Dei prophetas vel non acceptasse praedicta munera, vel si illa acceptarunt, non ut pretia, sed ut spontaneas oblationes in signum benevolentiae et reverentiae, vel ut pias eleemosynas gratis oblatas, ut eis sustentati prophetae gratis spiritualia ministrarent. Neque movere debet dictum servi Saulis dicentis: „Demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram.“ Aut enim imperite locutus est, si argentum illud

[1] I. Reg. 1, 24.
[2] I. Reg. 9, 7. 8.
[3] III. Reg. 14, 3.
[4] IV. Reg. 8, 8. 9.

Digitized by Google

pretium responsi putabat, vel certe non ut pretium, sed ut donum, ut moris erat, volebat offerre.

16. Secundo nec illud debet movere, ut putetur licita venditio usus potestatis spiritualis, quod scribitur in libro Numerorum, ubi Dominus alloquens levitas de decimis ait: „Et comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quam familiae vestrae, quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonii.“[1] Hoc, inquam, movere non debet. Scriptura enim, ut sancti doctores inquiunt, non semper loquitur proprie, sed saepe improprie, ut nobis condescendat. Quia igitur in pretio alicujus rei reperiuntur duo, nempe debitum et aequalitas (pretium enim debetur pro accepta re, cujus est pretium, et illi rei est aequale), scriptura vocat decimas pretium ministerii, non quod ipsi sint aequales, ita ut illis quasi pretio comparari possint, sed quia debitae sunt ad sustentationem ministrantium et ejusdem sustentationis sunt taxa quaedam et aestimatio. Censuit enim Dominus decimas sufficere ad usus et necessariam sustentationem levitarum. De quibus ibidem loquens Dominus ait: „Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi.“[2] Non sunt igitur decimae proprie pretium ministerii, sed taxa necessariorum ad ministrandum. Unde alia translatio horum habet: „Comedetisque ipsam decimam in omni loco vos et filii vestri, quoniam haec est merces vestra pro ministerio vestro in tentorio constitutionis;“ ubi patet decimas non pretium, sed mercedem vocari.

17. Tertio nec illud movere debet, quod Dominus apud Lucam ait: „In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quae apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua;“[3] quod etiam Paulus confirmat dicens: „Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime qui laborant in verbo et doctrina. Dicit

[1] Num. 18, 31. [2] V. 23. 24.
[3] Luc. 10, 7.

Digitized by Google

enim scriptura: ‚Non alligabis os bovi trituranti'; et: ‚Dignus est operarius mercede sua'."[1] Hic ergo scrupulus movere non debet; eodem enim modo resolvitur sicut praecedens. Merces enim proprie et debetur operi, cujus est merces, et illi est aequalis. Si justa est autem sustentatio ministri, nullo modo est aequalis sacro ministerio, cui pecunia non potest comparari. Ideo proprie non potest dici merces. Nec enim si peritissimus aliquis pistor vel sculptor solo victu et vestitu contentatur, quo posset artem suam exercere, sustentatio illa esset merces operis ejus, sed potius stipendium, ut artem exercere posset. Ideo multo minus sustentatio ministri proprie merces erit ministerii. Sed ita vocatur a Domino, non quia aequalis, sed quia debita est ministerio; quia Dominus ordinavit eis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere. Verum apud Matthaeum non dicitur merces, sed cibus; ait enim: „Dignus enim est operarius cibo suo."[2]

Quod verbum exponens Chrysostomus ait: „Unde perspicuum fit, a discipulis esse alendos, ne aut ipsi adversus eos, quos docebant quasi omnia praebentes et nihil vicissim accipientes, insurgerent, aut illi, qui audirent, quasi neglecti atque spreti discederent, ac ne eos pudeat ejus rei, non quasi mendicando ipsos vivere volebat, sed operarios vocavit, et quod eis dabatur, mercedem appellavit, ut rem debitam dari sibi ostenderet. Nam etsi verbis solum operarii videbantur, res tamen erat non parvi laboris et beneficia collata non parva. Quare quod apostolis dabatur, non gratis offerebatur, sed ad retributionem beneficiorum reddebatur. ‚Dignus est enim operarius cibo suo'; non quia tanti solummodo labores illi apostolici habendi sint, nequaquam enim hoc cogitandum est; sed ne apostoli plus aliquid quaerant, et qui sibi necessaria ministrabant nulla jactatione liberalitatis tumerent, si debitum persolvebant."[3] Haec Chrysostomus, asserens, quod superius

[1] I. Tim. 5, 17. 18. — Deut. 25, 4; I. Cor. 9, 9; Luc. 10, 7.
[2] Mat. 10, 10.
[3] Hom. 32. al. 33. in Mat. n. 4; Migne P. G. 57, 382 (alia versio).

Digitized by Google

diximus, nempe sustentationem vocari mercedem, eo quod debita sit, non autem quasi aequalis sit ministerio.

Quod et Augustinus confirmans ait: „Unde ergo vivitur necessitatis est accipere, charitatis est praebere. Non tanquam venale sit evangelium, ut illud sit pretium ejus, quod sumunt, qui annuntiant, unde vivant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino; non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate evangelii serviunt.“[1] Cui consentit Ambrosius, super Lucam dicens: „Deus templum suum non mercatoris vult esse diversorium, sed domicilium sanctitatis. Nec vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito usum ministerii sacerdotalis informat.“[2]

Planum igitur ex jam dictis fecimus, non licere pro usu spiritualis gratiae vel potestatis commodum temporale quasi pretium accipere vel dare, sed simoniacum id esse et perversum. Quod dixisse sufficit pro discussione propositae quaestionis juxta sensum ejus secundum.

Caput IV. Non licet accipere pro usu gratiae vel potestatis spiritualis commodum temporale in certa summa taxata juxta gratiae qualitatem, etiamsi non ut pretium accipiatur.

18. Superest jam, ut discutiamus propositam quaestionem in tertio ejus sensu, juxta quem quaerebatur, utrum liceret commodum temporale accipere pro usu gratiae vel potestatis spiritualis, non quidem ut pretium, sed[3] alia bona intentione; modo accipiatur certa taxata summa juxta gratiae concessae qualitatem, ut Romae fit, vel a datario pontificis, supplicationes detinente et componente, vel ab aliis ministris summi poenitentiarii et cancellarii foris alligatis et nuntiis apostolicis vel episcopis.

[1] Serm. 46 (al. de tempore 165.) n. 5; Migne P. L. 38, 273. Textum hunc, qui in ms. nostro plane corruptus est, secundum veram lectionem restituimus.

[2] Expos. super Lucam l. 9. n. 17; Migne P. L. 15, 1797.

[3] Ms. addit *ut*.

Digitized by Google

In hoc enim sensu refert examinare propositam quaestionem, quia hic latet anguis. Facile enim, si hoc non discutitur, elabentur simoniaci seque palliabunt dicentes, se accipere vel dare commodum temporale non ut pretium, sed sustentationis gratia vel alia bona intentione. Nemo enim est tam perdite avarus, qui modo commodum accipiat, non malit illud accipere sine peccato et infamia, quam cum eis; quia malum, quatenus malum est, non est eligibile.

Ut ergo respondeam quaestioni in hoc tertio sensu intellectae, dicerem: Minime licere eo modo accipere commodum temporale pro usu gratiae vel potestatis spiritualis; sed in ea acceptione vel oblatione temporali intervenire saepe quidem simoniae vitium, semper autem ejus speciem et ecclesiae gravissimum scandalum et damnum; et ideo merito tollendum hunc abusum a Dei ecclesia, ne maculetur hac abominatione desolationis stantis in loco sancto.

Quae omnia ut probemus supponenda sunt I. quaedam, quae partim ex facto partim ex jure pendent.

19. Primo igitur ex facto supponitur, quod praedicta taxa, quae accipitur a datario vel ab aliis, accipitur ultra ea, quae dantur pro sustentatione ministrorum, qui necessarii sunt ad fidelem et brevem expeditionem negotiorum. Quales fere esse dicuntur scriptor apostolicus, abbreviator et registrator. Ii enim, quia non utuntur potestate spirituali, sed humana industria et labore, licite possunt locare operas suas, si non habent aliunde salarium, unde vivant, nec tenentur eas gratis praestare. Romae igitur ultra ea, quae dantur his et similibus officialibus, datur certa summa, quae cedit in utilitatem ejus, qui utitur spiritualium ministerio gratiam concedendo.

Secundo etiam ex facto supponitur, quod licet pontifex vel poenitentiarius vel alius spiritualis minister gratiam concedat, antequam praedicta summa praebeatur, si tamen non detur, nihil valet gratia concessa; quia dicunt eam non valere, si litterae non expediantur, quae tamen expediri non possunt, nisi prius soluta pecunia. Quod

Digitized by Google

perinde fere est, ac si non concederetur gratia, nisi prius solventi. Qui enim hujusmodi gratias petunt, volunt communiter eis uti in foro exteriori; quod facere nequeunt, nisi expeditis litteris, quae nisi prius soluta taxa non expediuntur.

Ex jure supponitur tertio, non solum esse peccatum facere quod malum est, sed etiam quod habet speciem mali, dicente apostolo: „Ab omni specie mala abstinete vos.“[1] Et alibi: „Nolite esse prudentes apus vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes, providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.“[2]

Quarto est supponendum, non licere etiam necessaria ad sustentationem accipere cum scandalo ministerii evangelici, dicente apostolo: „Si alii potestatis vestrae participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus evangelio Christi.“[3] Et iterum: „Quae est ergo merces mea, ut evangelium praedicans sine sumptu ponam evangelium, ut non abutar potestate mea in evangelio? Nam quum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.“[4] Et alibi: „Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum; sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis.“[5] Et rursus: „Ideo habentes administrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus; sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.“[6]

20. Quinto supponendum est, quod ad hoc, quod quis committat simoniam, non requiritur, ut ita accipiat vel offerat commodum temporale, ut existimet commodum illud

[1] I. Thess. 5, 22.
[2] Rom. 12, 17.
[3] I. Cor. 9, 12.
[4] Ib. v. 18. 19.
[5] II. Cor. 6, 4.
[6] II. Cor. 4, 1. 2.

Digitized by Google

aequari vel ipsi Spiritui Sancto, vel dono ejus, vel sacramento, quo confertur donum, vel usui ipsius doni, vel etiam annexis ipsi spirituali dono. Hoc enim haeresis et stultitia esset. Haereticum enim et stultum est putare, quod temporalia, quae infima juxta naturam suam sunt, aequentur spiritualibus, prae quibus, sicut Paulus ait, tanquam stercora sunt reputanda.[1] Videmus etiam interdum, oblata parva pecunia obtineri pinguia beneficia; ubi scimus, committi simoniam, licet constet, pecuniam, quae offertur, minus valere, quam fructus beneficii. Sufficit ergo ad hoc, quod quis simoniam committat, quod illud commodum temporale, quod intervenit, inclinet mentem, ut pretium inclinare solet, ad hoc, ut quis spirituali potestate utatur, sive illud aequale reputet ipsi dono, sive non.

Imo quantum possum conjicere ex scripturis et patribus et ex ipsa ratione, simoniacus censetur, quicunque utitur spirituali potestate non ad eum finem, in quem est instituta; qui procul dubio est aedificatio ecclesiae ad Dei gloriam, dicente apostolo: „Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam;“[2] et iterum: „Ideoque haec absens scribo, ut non praesens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, et non in destructionem.“[3] De quo pulchre Bernardus ait ad Henricum Senonensem: „Porro puritas cordis in duobus consistit; in quaerenda gloria Dei et utilitate proximi; ut in omnibus videlicet actis vel dictis suis nihil suum quaerat episcopus, sed tantum aut Dei honorem aut salutem proximorum aut utrumque.“[4]

Qui ergo, non curans hanc aedificationem in usu spiritualis potestatis, respicit tanquam finem ipsum lucrum vel delicias vel gloriam vel favorem sui vel suorum, si-

[1] Phil. 3, 8. [2] II. Cor. 10, 8.
[3] II. Cor. 13, 10.
[4] Ad Henr. Senonensem episcopum De moribus et officio episcoporum c. 3. n. 10; Migne P. L. 182, 817.

Digitized by Google

moniacus censetur a Deo et a sanctis patribus; sive ista tanquam pretium aequale suscipiat, sive non. Qui etiam praedicta offert ad hoc, quod quis ad ista respiciens sicut finem, utatur potestate sua, neglecta ecclesiae aedificatione, etiam esse simoniacus et emptor rerum spiritualium censetur, sicut ille venditor.

21. Quod ut probetur occurrit exemplum Giezi, qui simoniacus, imo pater ipsius simoniae et venditionis rerum spiritualium ab omnibus habetur. Et tamen constat, ipsum non vendidisse proprie usum spiritualis potestatis, quia jam gratis ea erat usus, sine pretio aliquo concedens sanitatem. Et nihilominus Giezi fuit simoniacus, quia abusus fuit usu potestatis ipsius Elisei, non dirigens illum, ut oportebat, ad aedificationem proximorum, sed detorquens et inflectens illum ad proprium commodum, licet commodum illud non reputavit pretium usus. Ideo juste et sapienter ait illi Eliseus: „Nunc igitur accepisti argentum et accepisti vestes, ut emas oliveta et vineas, et oves et boves, et servos et ancillas; sed et lepra Naaman adhaerebit tibi et semini tuo usque in sempiternum.“[1] — Simon quoque magus noluit emere Spiritum Sanctum, si Urbano II. credimus,[2] sed quia magus erat et videbat signa fieri ab apostolis, quae si ipse faceret, magnam gloriam et utilitatem acquirere posset, voluit offerre pecuniam; non ut pretium Spiritus Sancti, nec ut aequalem dono illius, sed ut pro pecunia corrumperet mentem apostolorum, ut ita corrupti abuterentur potestate sua contra aedificationem, convertendo illam ad lucrum, ut ipse postea Simon in similem gloriae et utilitatis finem illa abuteretur. Ideo dicit scriptura de illo, quod videns signa et virtutes maximas fieri stupens admirabatur.[3] Quae admiratio oriebatur ex hoc, quod videbat signa fieri, ad quae omnis daemonum vis et magiae fallacia non extendebat se; et ideo cupiebat similia posse patrare, et id per pecuniam mentem apostolorum

[1] IV. Reg. 5. 26. 27.
[2] Urbani II. papae effatum vide infra pag. 354. 355.
[3] Act. 8, 13.

Digitized by Google

corrumpentem obtinere volebat. Sed audivit a Petro: „Pecunia tua tecum sit in perditionem;“[1] quasi illi diceret: Tu me vis tua pecunia corrumpere et perdere, sed praestat, ut solus pereas, qui illa corruptus es. Addidit autem: „Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.“ Non dixit apostolus: mercari.

Quare sive quis offerat pecuniam tanquam pretium dono aequale, sive non, simoniam committit, modo intendat per pecuniam corrumpere mentem habentis spiritualem potestatem ad hoc, quod illa utatur non aedificationis et pietatis gratia, sed quaestus.

Ideo et apostolus hujusmodi „mente corruptos“ appellat dicens: „Ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quaestum esse pietatem.“[2] Corrupta igitur mens est illorum, qui quum possent ex usu potestatis et gratiae fructum pietatis parere, volunt potius comparare quaestum et ventri et gloriae servire; sicut corrupta est mulier, quae mavult ex adultero filios spurios concipere, quam legitimos ex viro. Cui mulieri meretrici comparatur Babylon in apocalypsi, ubi inter alia dicitur: „De vino irae fornicationis ejus biberunt omnes gentes; et reges terrae cum illa fornicati sunt, et mercatores terrae de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.“[3]

22. Sancti quoque patres in eandem sententiam veniunt. Nec enim semper exigunt, ut pretium interveniat ad hoc, ut committatur simonia, sed sufficere dicunt abusum potestatis non ad aedificationem, sed ad lucrum.

Unde Urbanus II. papa ait: „Quia innotuisti nobis, quod tibi objicitur, utrum vendere ecclesiasticam rem simoniacum sit, hoc simoniacum esse patenter colligitur ex hoc, quod beatus apostolus Petrus ait Simoni: ‚Pecunia

[1] Act. 8, 20.
[2] I. Tim. 6, 4. 5.
[3] Apoc. 18, 3.

Digitized by Google

tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri'. Donum quippe Dei est Spiritus Sanctus, et donum Dei est res ipsius ecclesiae oblata. Et, si bene advertis, Simon magus, qui ad fidem ficte accessit, non Spiritum Sanctum, quo ipse erat indignus (quoniam ut scriptum est, ‚Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum'[1]), sed donum ejus emere voluit, ut ex venditione signorum, quae per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. Nec apostolus emptionem Spiritus Sancti (quam bene fieri non posse noverat), sed ambitionem quaestus talis et avaritiam, quae ‚est idolorum servitus',[2] in eodem Simone exhorruit et maledictionis jaculo perculit. Quisquis igitur res ecclesiasticas, (quae dona Dei a Deo fidelibus et a fidelibus Deo donantur, quaeque ab eodem gratis accipiuntur, et ideo gratis dari debent), propter sua lucra vendit vel emit, cum eodem Simone donum Dei possideri pecunia existimat. Ideoque qui eas non ad hoc, ad quod institutae sunt, sed ad propria lucra munere linguae vel indebiti obsequii vel pecuniae largitur vel adipiscitur, simoniacus est, quum principalis intentio fuerit Simonis sola pecuniae causa, avaritia videlicet, i. e. idololatria, ut ait[3] apostolus Paulus."[4] Haec Urbanus. In cujus verbis non solum notandum est, quod ait, Petrum in Simone mago non damnasse emptionem Spiritus Sancti, qui vendi non potest, sed ambitionem et avaritiam, sed etiam illud advertendum est, quod, loquens de rebus temporalibus Deo et Ecclesiae oblatis, ait, simoniacum esse, qui eas non ad hoc, ad quod institutae sunt, sed ad propria lucra convertit. Quum igitur potestas spiritualis longe magis spiritualis sit, quam res oblatae, simoniacus erit, qui ea utitur non ad proprium finem in ecclesiae aedificationem, sed ad proprium lucrum.

Beda quoque pulchre ait: „Non soli venditores sunt columbarum, et domum Dei faciunt domum negotiationis,

[1] Sap. 1, 5. [2] Eph. 5, 5. [3] L. c.

[4] Causae I. q. 3. c. Salvator 8. Ex epist. Urbani II. ad Lucium praepositum S. Juvencii. Mansi XX, 660. Jaffé 1. edit. n. 4308.

Digitized by Google

qui sacros ordines, largiendo pretium pecuniae vel laudis, vel etiam honoris inquirunt, verum hi quoque, qui gradum vel gratiam in ecclesia spiritualem, quam Domino largiente percepere, non simplici intentione, sed cujuslibet humanae causa retributionis exercent, contra illud Petri apostoli:[1] ‚Qui loquitur, quasi sermones Dei; qui ministrat tanquam ex virtute, quam administrat Deus.'[2] Haec Beda, damnans ut simoniacum eum, qui non simplici intentione, quae procul dubio respicit aedificationem et aeternum praemium, sed humanae retributionis causa utitur potestate spirituali.

23. Gregorius variis in locis idem confirmat; ait enim: „Si quis neque sanctis pollens moribus, vel neque a clero populoque vocatus vel pulsatione coactus, impudenter Christi sacerdotium, jam quolibet facinore pollutus, injusto cordis amore vel sordidis precibus oris, sive comitatu sive manuali servitio sive fraudulento munusculo, episcopalem seu sacerdotalem, non lucro animarum sed inanis gloriae avaritia fultus, dignitatem acceperit, et in vita sua non sponte reliquerit, eumque insperata mors poenitentem non invenerit, procul dubio in aeternum peribit."[3] Haec Gregorius, docens, eum mortaliter peccare, qui non lucrum animarum intendens, sed ambitionem et avaritiam, per munus et favorem obtinet dignitatem spiritualem. Idem (Gregorius Magnus) exponens illud „Gratis accepistis, gratis date" ait: „Praesciebat namque, nonnullos hoc ipsum donum accepti Spiritus in usum negotiationis inflectere, et miraculorum signa ad avaritiae obsequium declinare."[4] Et infra: „Columbas quippe vendere est impositionem manus, qua Spiritus Sanctus accipitur, non ad vitae meritum, sed ad praemium dare. Sed

[1] I. Pet. 4, 11.

[2] In cap. II. S. Joannis; Migne P. L. 92, 665.

[3] Causae I. q 1. c. 115. cum inscriptione: Gregorius in registro. Locus tamen neque apud Gregorium VII neque apud Gregorium Magnum, quorum registra solum exstant, invenitur.

[4] Lib. I. hom. 4. n. 4. Migne P. L. 76, 1091.

Digitized by Google

sunt nonnulli, qui quidem nummorum praemia ex ordinatione non accipiunt, et tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur atque de largitate eadem[1] laudis solummodo retributionem quaerunt. Hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris." Haec ille, praecipue docens, simoniam esse inflectere donum Spiritus in avaritiam vel inanem gloriam. Alibi quoque ait: „Verus ergo quisque praedicator non ideo praedicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideo mercedem recipere, ut praedicare subsistat. Quisquis namque ideo praedicat, ut hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, aeterna procul dubio mercede se privat. Quisquis vero vel ea, quae dicit, ideo placere hominibus appetit, ut dum placet, quod dicitur, per eadem dicta non ipse, sed Dominus ametur, vel ideo terrena stipendia in praedicatione consequitur, ne a praedicationis voce per indigentiam lassetur, huic procul dubio ad recipiendam mercedem nihil obstat in patria, quia sumptus sumpsit in via."[2] Haec Gregorius, docens crimen esse statuere finem praedicationis in terrena mercede vel laude. Quod ideo est, quia simoniace inflectitur donum praedicationis ad ista terrena. Alibi idem doctor, exponens illud: Ingressus templum „coepit ejicere vendentes et ementes,"[3] ait: „Sicut templum Dei in civitate est, ita et in plebe fideli vita religiosorum. Et saepe nonnulli religionis habitum sumunt, et dum sacrorum ordinum locum percipiunt, sanctae religionis officium in commercium terrenae negotiationis tradunt. Vendentes quippe in templo sunt, qui hoc, quod quibusdam jure competit, ad praemium largiuntur."[4] Haec ille, docens vendentes in templo, i. e. simoniacos esse illos, qui officium religionis ad terrena praemia detorquent.

24. Quod et Hieronymus super Matth. confirmat dicens: „Quia semper dona spiritualia, si merces media

[1] Ms. *eorum*.
[2] Lib. I. hom. 17. n. 7; Migne l. c. 1141.
[3] Marc. 11, 15.
[4] Lib. II. hom. 39. n. 6; Migne l. c 1297.

Digitized by Google

sit, viliora fiunt, adjungitur avaritiae condemnatio, quum subdit: ‚Gratis accepistis, gratis date', Ego magister et Dominus absque pretio vobis haec tribui, ergo et vos sine pretio date."[1] Alibi etiam idem doctor, exponens illud: „Vos fecistis illam speluncam latronum", ait: „Latro enim est, et templum Dei in latronum convertit speluncam, qui lucra de religione sectatur."

Cui consentit Chrysostomus super Marcum dicens: „Res tam manifesta est, ut expositione non indigeat; utinam esset obscurum et non intelligeremus in multis locis: Domus patris domus negotiationis. Ego ipse qui loquor, et unusquisque de vobis sive presbyter, sive diaconus, sive episcopus, qui heri pauper et hodie dives, dives in domo Dei, nonne vobis videtur fecisse domum patris domum negotiationis? De ipsis loquitur et apostolus: existimantes quaestum esse pietatem"[2] Idem etiam in secundo opere super Matthaeum ait: „Columbas quoque vendentium cathedras evertit, ut quod honor sacerdotalis debet auferri ab eis, doceret, qui pro terrena mercede opus Dei faciendum existimant."[3] Alibi idem doctor quoque ait: „Cogita, quid acciderit Simoni; quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniae loco aduleris, suborneris multaque machineris? ‚Pecunia tua tecum sit in perditionem', ad illum dictum est; et his dicetur: Ambitio tua tecum sit in perditionem, qui putasti ambitu humano comparari donum Dei."[4] Sic ille, diversis locis docens, simoniam esse ad lucrum quasi ad finem referre usum spiritualis potestatis.

Ambrosius etiam idem clare dicit super Lucam, quum ait: „Deus enim templum suum non mercatoris vult esse diversorium, sed domicilium sanctitatis; nec vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito usum ministerii

[1] Commentar. in Matth. cap. 10; Migne P. L. 26, 62.

[2] Mendose haec verba in ms. nostro apponi videntur Chrysostomo, qui de S Marci evangelio commentarios non reliquit.

[3] Opus imperfectum super Mat. S. Chrysostomo adscriptum, hom. 38; Migne P. L 56 841.

[4] In acta ap. hom. 3 n. 5; Migne P. G. 60. 43.

Digitized by Google

sacerdotalis informat."[1] Haec Ambrosius, docens usum ministerii sacerdotalis gratis conferri debere, non ob praemium.

Origenes super id Matthaei: „Mensas nummulariorum subvertit,"[2] ait: „Diaconi, qui non bene tractant ecclesiarum pecunias et divites fiunt de rebus pauperum, ipsi sunt nummularii pecuniarum, mensas habentes, quas Christus evertit. Episcopi autem, qui tradunt ecclesias, quibus non oportet, ipsi sunt, qui vendunt columbas, i. e. gratiam Spiritus Sancti, quorum cathedras Christus evertit."[3] Haec Origenes, docens simoniacos eos, qui ex ministerio diaconatus ditabantur.

Glossa etiam ordinaria ait: „Per boves, qui arant, praedicatores doctrinae coelestis significantur, eos vendunt, qui non amore Dei, sed pro quaestu temporali praedicant. Oves innocentes sua vellera vestiendis praebent; per has significantur opera munditiae et pietatis, quae venduntur, dum pro humana laude geruntur."

Constat igitur, simoniacum esse non solum illum, qui Spiritui Sancto vel ejus donis posse pecuniam aequari putat, sed eum quoque, qui, pecunia vel quovis temporali bono corruptus, ob id, et non ob aedificationem, utitur spirituali potestate.

25. Quod etiam ratio confirmat.

Primo, quia simonia imitatio est Simonis magi, qui, ut vidimus, non putabat, pecunia posse emi Spiritum, sed volebat corrumpere pecunia apostolos, ut abuterentur potestate, qua et ipse abuti volebat. Qui igitur illum imitantur, simoniaci sunt, licet non accipiant vel dent temporalia ut pretium. Secundo, quia canones damnant actiones multas ut simoniacas, solum quia intervenit temporale, ut inferius videbitur. Quae tamen facile excusarentur, si admitteretur haec versutia; dicerent enim qui talia committunt, se non accipere vel dare temporalia ut pre-

[1] Vide supra p. 349. [2] Mat. 21, 12.
[3] Comment. in Matth. tom. 16. n. 22; Migne P. G. 13, 1450. 1451.

Digitized by Google

tium, sed alia de causa. Tertio, quia licet non dentur vel accipiantur temporalia ut pretium, modo tamen non dentur spiritualia sine his temporalibus, fere nihil minus scandalizatur vel laeditur ecclesia, quam si darentur vel acciperentur quasi pretium; quia quum homines intentionem non videant, sed ea quae apparent, et ex sola intentione pendeat, an detur vel accipiatur quid ut pretium necne, et, supposita etiam bona intentione, remaneat omne id, quod scandalizare vel laedere potest, quod est solum externum, ideo tale censent simoniacum. Quarto, qui ita mutuat, ut respiciat ad lucrum ultra sortem tanquam ad finem mutuandi, juxta doctores est usurarius, licet ore neget, se accipere illud lucrum ut pretium mutuandi. Ergo a simili, qui statuit finem usus potestatis spiritualis in terrenis commodis, neglecto vero ejus fine, qui est aedificatio ecclesiae, simoniacus erit, licet neget, se ea commoda quasi pretium accipere.

Vera est igitur haec suppositio. Quam fusius probare volui, quia ex illa pendere videtur non solum bona pars responsionis ad quaestionem, sed etiam intellectus scripturarum de hac re loquentium et multorum decretorum de eadem materia.

26. Sexto supponendum est, quemvis christianum, etiam summum pontificem teneri ad cavendum tam ea, quae speciem mali habent, quam ea, quae scandalizant, quam etiam illa, quae simoniaca esse diximus. Pontifex enim, licet christianorum sit pastor, ovis tamen est Christi et illum maxime honorare tenetur, qui sibi tantum tribuit honorem, illi etiam maxime subjici, qui tot populos sibi subjecit. Christus autem ipse est, et non solum humana jura, qui prohibet, quae habent speciem mali committere, et fratrem scandalizare, et pietatem in quaestum et avaritiam et inanem gloriam detorquere. Ideo summus pontifex plus quam alii Christo parere debet hujusmodi vitando; et ideo plus peccat ea committendo. Recte proinde Bernardus ait ad Eugenium papam: „Sane interest tuae perfectionis, et malas res et malas pariter species devitare.

Digitized by Google

In altero conscientiae, in altero famae consulis. Puta tibi non licere (etsi alias fortasse liceat) quidquid male fucrit coloratum. Denique interroga majores tuos, et dicent tibi:[1] ‚Ab omni specie mala abstinete vos'.“[2] Ibidem etiam ait: „Parvi dejectique animi est, de subditis non quaerere profectum subditorum, sed quaestum proprium. In summo praesertim omnium nihil turpius. Quam pulchre magister gentium parentes filiis, non filios debere censuit thesaurizare parentibus.[3] Non mediocris gloriae vox illa identidem ipsius:[4] ‚Non requiro datum, sed fructum.'[5]

27. His suppositis, facile est II. probare quae supra diximus, respondendo ad quaestionem propositam juxta tertium sensum eam intelligendo. Facile etiam erit resolvere, quae in contrarium objiciuntur.

In primis igitur facile probatur, quod diximus, intervenire scilicet saepe veram simoniam in concessione gratiarum modo superius descripto. Si enim simoniacum est, gratias concedere propter temporale pecuniarum vel gloriae lucrum neglecta spirituali aedificatione, quum constet hujusmodi gratias saepe concedi non ad aedificationem, sed ad destructionem, idque a ministris, qui rebus terrenis plusquam coelestibus dediti fuere, verisimillimum esse constat, tales inflexisse et detorsisse potestatem ad lucra vel gloriam, quae aucupabantur, et ideo ex quinta suppositione simoniam commisisse. Verisimile etiam est, quosdam temporalia etiam ut pretium assumpsisse, maxime quum non defuerint viri alioquin docti, qui asseruerint, papam dominum esse beneficiorum et ideo ea licite vendere posse. Multo etiam verisimilius est, quod illi, qui hujusmodi gratias per pecuniam obtinent, saepissime simoniam committant. Nec enim multi, quum carnales sint, expendunt suas pecunias, ut ex usu potestatis ecclesia aedificetur, sed

[1] I. Thess. 5, 22.
[2] De consideratione ad Eugen. P lib. 3. c. 4; Migne P. L. 182, 766.
[3] II. Cor. 12, 14. [4] Phil. 4, 17.
[5] De consid. lib 3. c 3; Migne l. c. 764.

Digitized by Google

potius ut ex abusu utilitatem temporalem et gloriam sibi comparent; ad quae fere omnes hujusmodi per importunitates et mendacia et vilia et indigna obsequia et munera conscendere nituntur cum scandalo proximorum, eorum maxime, qui hujusmodi hominum ignorantiam et perditos mores probe norunt.

Verum igitur est, quod primo diximus, nempe saepe in hujusmodi concessionibus intervenire simoniam.[1]

28. Secundo etiam diximus non solum saepe, sed semper hujusmodi concessiones eo modo, quo eas fieri supposuimus, habere speciem simoniae.

Quod diversis rationibus probatur.

Primo enim non est dubium, quin praedictae concessiones habeant speciem venditionis. Nam frumentum et vinum et alia quaecunque venalia non aliter venduntur, quam dicendo emptori: Si tantum dederis, tradam hoc tibi, alioquin non daturus. Quum igitur hujusmodi gratiae ordinarie non dentur, nisi tantum offerentibus et saepe etiam plus offerentibus, fit, ut earum concessio modo dicto facta habeat speciem simoniae.

Secundo, concessiones istae vel sunt simoniacae vel speciem simoniae habent, quia, ut ex secunda suppositione[2] constat, non persolventi non conceduntur. Haec autem subtractio rerum spiritualium, quum non dantur temporalia, improbatur a doctoribus et jure. Censent enim, spiritualia prius gratis ministranda, et deinde ad sustentationem petenda esse temporalia, quae ex lege vel probata ecclesiae consuetudine debentur. Unde in c. Quam pio I. q. 2.[3] prohibetur, ne monachi aliquid prius offerant cuidam intraturo religionem, cujus opera indigebant, (sed permittitur[4] ut gratis et sine

[1] Advertatur propositionem 45. ex iis, quas postea Innocentius XI. damnavit, ita conceptam esse: „Dare temporale pro spirituali non est simonia, si temporale non datur tanquam pretium, sed tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale“ Vide etiam quae auctores de simonia *mentali* disserunt.

[2] Supra pag. 350.

[3] Canon hic jam supra pag. 342. num. 16. allegatus est. Abhinc locis juris jam dicto loco num. 13. ss. citatis accuratior nota non addetur.

[4] *Permittitur* deest in ms.

Digitized by Google

pacto intranti aliquid postea detur); quod ideo videtur prohibitum, quia non intrare, antequam quid temporale quis accipiat, est subtrahere spiritualia, donec temporalia dentur. Expressius etiam in c. Ad apostolicam De simonia reprehenduntur, qui, fictitia impedimenta praetexentes, negabant spiritualia, quod eis pro eorum cupiditate temporalia non darentur; et in c. Tua nos, eodem titulo, censentur simoniaci, qui non admissuri essent canonicum, si non essent ab eo percepturi temporalia commoda; in c. Jacobus[1] reprehenduntur canonici nolentes, recipere in canonicum quendam, quod prandium dari solitum canonicis non praeberet; in c. Ad aures[2] reprehenduntur negantes absolutionem ab excommunicatione, quod prius non solverit decem libras; in c. In tantum reprehenduntur nolentes dare chrisma in paschate, nisi solventibus in media quadragesima certam pecuniam; in capite Nemo reprehenditur negans absolutionem digne poenitenti ob livorem, quum hoc simoniacum videatur, et in c. Audivimus[3] reprehenduntur non patientes ordinari episcopum vel ingredi aliquam religionem vel cadaver sepeliri, nisi certa pecunia prius soluta. Erit igitur a fortiori simoniacum ea[4] negare, quum quis non solvat.

Tertio, in his concessionibus, si non expresse, saltem implicite videtur esse vel pactum vel conditio vel promissio rei temporalis ad spiritualem habendam. Scit enim quisquis (quia et hoc officiales curiae publice dicunt), quod qui tantam pecuniam obtulerit, obtinebit talem gratiam, et non aliter ordinarie. Jura autem hujusmodi pacta, conditiones et promissiones simoniacas definiunt vel praesumunt, ut patet I. q. 2. c. Quam pio; Extra De simonia c. Tua nos, c. Jacobus, c. Si quis ordinaverit,[5] c. Mandato. Ob eadem etiam implicita pacta prohibentur consuetudines aliquid accipiendi pro usu gratiae spiritualis, ut patet Extra De simonia c. Tua nos, c. Non satis, c. Quum in ecclesia.

[1] C. 44. (V, 3).
[2] C. 24. ibid.
[3] C. 41. ibid.
[4] Ms. *eam*.
[5] C. 45. (V, 3).

Digitized by Google

Quarto, in his concessionibus intervenit exactio rerum temporalium. Nam datarius et alii officiales ab his, qui petunt sibi reddi supplicationes jam signatas, exigunt pecunias. Haec autem exactio prohibita est vel ut simoniaca, vel ut habens speciem simoniae, quod patet I. q. 1. c. Baptizandis, c. Nullus episcopus, c. Placuit ut nullus,[1] c. Placuit ut unusquisque,[2] c. Dictum est; et I. q. 3. c. Si quis praebendas; et Extra De simonia c. Non satis, c. Ea quae, c. Audivimus, c. Ad nostram, c. Sicut pro certo, c. Quum in ecclesia, c. In tantum. Sunt ergo concessiones dictae simoniacae vel habent speciem simoniae.

Quinto, taxatio certae pecuniae pro certis gratiis spiritualibus consequendis etiam jure prohibetur. Id patet I. q. 1. c. Baptizandis, ubi prohibetur praefixio pretii, et c. Placuit ut nullus, ubi prohibetur exactio tremissis pro balsamo; Extra De simonia c. Sicut pro certo, c. Ea quae, c. In tantum, c. Audivimus, c. Veniens.[3] Erunt igitur vel apparebunt simoniacae hujusmodi concessiones, quas constat fieri, soluta prius praescripta et taxata pecunia.

Sexto, hae concessiones induxerunt quandam consuetudinem, ut quivis fere gratiam obtenturus aliquid persolvat. Hujusmodi autem consuetudines, quibus omnes quid persolvere solent, quum gratiam aliquam obtinent, damnantur a jure: I. q. 1. c. Emendari[4], c. Dictum est, c. Statuimus ut sicut, c. Quibusdam[5]; Extra De simonia c. In tantum, c. Sicut pro certo, c. Jacobus, c. Audivimus; et Extravag. Sane De simonia.[6] Erit igitur simoniaca vel speciem habens simoniae haec consuetudo.

Septimo, quia quamvis liceat pro sustentatione temporalia accipere, tamen, quum quis habet unde sustentetur, quia tenetur spiritualia gratis ministrare, si accipit aliquid, non videtur id accipere (ut divus Thomas ait[7]) pro sustentatione, qua non indiget, sed usum gratiae spiritualis ven-

[1] C. 102.
[2] C. 103
[3] C. 19. (V, 3).
[4] C. 104.
[5] C 117.
[6] C. 1. (V, 1). Extrav. comm.
[7] IIa IIae q. 100. art. 3. ad 3.

Digitized by Google

dere. Quum igitur pontifices credantur habere unde sustententur, quia multo plura habent, quam sanctissimi illi antiqui pontifices, qui tamen largas eleemosynas egenis faciebant, fit, ut habeat speciem simoniae pro hujusmodi concessionibus temporalia accipere; maxime quum hoc ipso, quod quis pontificatum acceptat, obliget se ad gratis utendum potestate. Unde et jura prohibent pro eo, ad quod quis ex officio spirituali tenetur, aliquid temporale accipere. Nam c. Vendentes I. q. 3. dicitur: „In templo vendentes sunt, qui hoc, quod quibusdam jure competit ad praemium largiuntur; justitiam enim vendere est hanc pro praemii acceptione servare.“ In c. vero Charitatem 12. q. 2.[1] permittitur, ut visitatores ecclesiarum et clerici eorum aliquid accipiant, quum parochias, quas visitare non tenentur, visitant. Quum igitur pontifex ex officio teneatur, si praemium pro eo accipit, vendere usum gratiae videtur, imo et justitiam.

Habent ergo hujusmodi concessiones eo modo, quo Romae fiunt, speciem simoniae (ut secundo diximus), ut multis probavimus rationibus.

29. Dixi autem tertio, concessiones has praebere ecclesiae maximum scandalum et damnum. Quod etiam multis rationibus probatur.

Primo enim quia, ut probatum est, hujusmodi concessiones vel simoniacae sunt vel propter indebitum modum speciem habent simoniae, non possunt populi, praesertim infirmi, non scandalizari, dum vident vel audiunt, successores Petri, qui tanto zelo in Simonem exarsit, vel eorum ministros ab eis in partem sollicitudinis vocatos, ea committere, quae speciem habeant simoniae et sacrilegae de rebus sacris negotiationis.

Secundo, scandalizari possunt populi ex hoc, quod pontifices, qui in decretis suis severissimi sunt et vel minimam speciem simoniae habentia aliis minoribus et pauperibus interdicunt et prohibent, ipsi vel faciunt vel fieri

[1] C. 45.

Digitized by Google

sinunt in sua curia longe majora; quod plane est non sequi Dominum, qui „coepit facere et docere,“[1] sed illos potius, qui aliis imponebant onera gravia et digito suo movere ea nolebant.[2] Quod autem pontificum decreta multo minora aliis prohibeant, late patet; nam c. In tantum De simonia prohibetur consuetudo dandi archidiacono marcham argenti pro ecclesiarum investitura et minoribus decanis vaccam albam; c. Veniens prohibetur consuetudo dandi 30 solidos monachis et 20 abbati et 12 familiae pro pastu, ut quis in monachum recipiatur; c. Ad aures damnatur consuetudo non absolvendi ab excommunicatione, nisi datis 10 libris; c. Ex tuae damnatur consuetudo non praesentandi nisi sex solidis solutis; c. Jacobus tollitur consuetudo dandi prandium canonicis a canonico intrante; c. Sicut pro damnatur consuetudo certum quid solvendi isti vel illi pro consecratione episcopi vel abbatis vel ordinatione clerici, et c. Audivimus consuetudo episcoporum non patientium, rectores de novo institui, donec certa summa ipsis solveretur; I. q. 1. c. Nullus episc. damnatur consuetudo episcopi imponentis servitium vel gravamen abbatibus, vel clericis officium sacerdotale interdictum restituentis pro pretio. Damnatur etiam consuetudo, pro chrismate seu balsamo quid accipiendi, ut patet I. q. 1. c. Placuit ut nullus, prohibente tremissem pro balsamo accipere; et Extra De simonia c. Ea quae, c. Non satis; c. In tantum. Prohibetur item consuetudo mittentium nummos in concham, dum baptizabatur, I. q. 1. c. Emendari; consuetudo etiam pro litteris ordinationis vel earum postillis sive sigillis quid accipere, I. q. 2. c. Nullus; c. Sicut episcopum; Extra De simonia c. In ordinando; consuetudo pro inventario bonorum episcopi mortui faciendo aliquid accipiendi, XII. q. 2. c. Charitatem; consuetudo quid accipiendi pro luminaribus, I. q. 1. c. Statuimus ut sicut; consuetudo etiam praetextu eleemosynae vel oblationis quid accipiendi pro usu potestatis spiritualis, I. q. 1. c. Non est putandum et I. q. 3. c. Ex multis. Quod

[1] Act. 1, 1.

[2] Matth. 23, 4.

Digitized by Google

etiam ex Basilii sententia superius confirmavimus. Quum ergo tam multa, quae minuta videri poterant, sancti patres et pontifices aliis prohibuerint, ne vituperaretur spirituale ministerium, longe potius prohibendae essent pravae consuetudines tam multam pecuniam extorquendi pro usu spiritualis potestatis. Quod qui potest facere, nec facit, procul dubio ecclesiam scandalizat.

Tertio, scandalizantur officiales ipsius curiae, quia eis praebetur ruinae occasio. Dum enim tunc commendantur tanquam fideles, quum multam pecuniam offerunt pontifici, ob id et ob proprium lucrum dissimulant et connivent in fraudibus negotiantium; nec examinant, si vera sunt, quae in supplicationibus narrantur; imo multi et multoties, scientes esse falsa, illa deglutiunt, ut pecuniae obediant; saepe etiam docent peccata patrare, ut postea facilius absolutionem obtineant; docent etiam monachum habitum suum exuere, et hominem carnalem ad consanguineam accedere, vel accessum mentiri, et alias innumeras fraudes in quavis materia et praesertim in ea beneficiorum.

Quarto, praebetur scandalum et occasio ruinae iis, qui in urbe negotiantur, tum quia ut expediant negotia sua, modo pecunias habeant, fraudes adinveniunt, quibus vel pontificem decipiunt vel officiales per pecuniam corrumpunt vel bonos viros extra curiam manentes injuste vexant. De quo abusu Bernardus ait: „Non tamen idcirco, etiam me latente et tacente, cessare puto murmur ecclesiarum, si non cesset Romana curia pro voluntate assistentium facere praejudicium in absentes.“[1] Haec ille. Defraudant etiam eos, pro quibus negotiantur, et eos simoniam et alia crimina committere docent. Se ipsos etiam et illos, quorum negotia tractant, beneficiis onerant et officiis inconpatibilibus, ad quae occupanda licet dispensationem obtineant, quae eos in externo foro tutos reddat, quia tamen, ut in plurimum, non subest causa dispensandi et prohibita

[1] Ep. 48. ad Aimericum s. Romanae sedis cancellarium; Migne P. L. 182, 152.

Digitized by Google

secundum Deum et naturalem rationem committunt, rei in conscientia tenentur, licet exempti sint a poenis juris canonici; dicente Bernardo: „Non sum tam rudis, ut ignorem, positos vos dispensatores, sed in aedificationem, non in destructionem.[1] . . Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas, dico, communis, non propria. Nam quum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.“[2] Datur quoque occasio scandali mercatoribus, qui in urbe manent, ut cum curia fornicentur, improbas et crudeles usuras exigentes ab his, qui praetextu redimendae pensionis beneficia ecclesiastica emunt a familiaribus pontificis.

30. Quinto, boni pauperes merito possunt scandalizari, quia, licet scientia et moribus polleant, non possunt tamen beneficia ecclesiastica obtinere, quae tamen jure sibi deberentur, et hoc, quia deest illis pecunia, quae janua est, per quam oportet intrare. Alii etiam pauperes laeduntur, quia licet habeant justas causas, ut secum dispensetur et gratiam aliquam obtineant, tamen, quia pecunia carent, privantur et despiciuntur et a justitia excluduntur.

Sexto, divitibus etiam praebetur occasio ruinae, quia fulti praesidio pecuniae, cui omnia obediunt, facile committunt delicta, quia facilem sperant absolutionem; facile etiam sine doctrina et moribus conscendunt ad dignitates et ecclesiastica officia etiam incompatibilia, et tutos se putant in foro conscientiae, quum tamen tuti non sint; sed, ut Bernardus ait: „Non quod valde Romani curent, quo fine res terminentur; sed quia valde diligunt munera, sequuntur retributiones.“[3] Datur etiam eis occasio pomparum et luxus, ut male parta etiam male dilabantur.

Septimo, retrahuntur saepe homines a studio litterarum et corrigendae vitae, et impelluntur ad vacandum quaestui

[1] II. Cor. 13, 10.

[2] De consideratione lib. 3. c. 4. n. 18; Migne l. c. 769.

[3] De moribus et officio episcoporum ad Henricum Senonensem, c. 7. n. 29; Migne l. c. 828.

Digitized by Google

pecuniarum, per quas vident sibi solum patere viam ad ecclesiasticas dignitates. Unde summe et plus, quam dici potest, laeditur ecclesia, quia fere soli mali praeficiuntur ecclesiis, quum illi soli se ingerere audeant et muneribus sibi parare gradum; quae tentare boni viri nefas sciunt et ducunt.

Octavo, retrahuntur homines a piis operibus. Multi enim erigerent hospitalia et pia collegia et uniones utiles ecclesiae facerent, qui tamen retrahunt pedem, quia sciunt, omnia sibi esse Romae comparanda. Retrahuntur etiam ab unione cum ecclesia catholica et apostolica sede. Si enim cardinali Cameracensi[1] credimus, ob severas censuras et duras exactiones populi orientales recesserunt ab obedientia Romani pontificis, et ob easdem causas videmus septentrionales populos scissos esse ab eadem obedientia, et eos qui supersunt fideles sensim parare discessionem.

Nono, laeditur valde christianus populus, quia, dum sine causa ob pecuniam facile dispensatur, exponuntur ludibrio ecclesiastici canones, ita ut rarus sit, qui eos curet vel observet.

Quum ergo tot mala ex hoc abusu sequantur, licebit de illo dicere, quod de alio Bernardus dicebat: „Ignosce mihi, non facile adducor licitum consentire, quod tot illicita parturit.“[2] De quibus et similibus malis Gregorius Magnus ait: „Fertur autem simoniacam haeresim, quae prima contra Dei ecclesiam diabolica plantatione subrepsit et in ipso ortu suo telo apostolicae ultionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari, quum in sacerdotibus fides sit eligenda cum vita. Si vita deest, fides meritum non habet, beato Jacobo attestante, qui ait: ‚Fides sine operibus mortua est.‘[3] Quae enim opera esse valeant

[1] Videlicet cardinali Petro ab Alliaco, episcopo Cameracensi, qui scripsit De emendanda ecclesia.

[2] De consideratione lib. 3. c. 4. n. 16; Migne l. c. 768.

[3] Jac. 2, 18.

Digitized by Google

sacerdotis, qui honorem tanti sacramenti convincitur obtineri per praemium? Ex qua re agitur, ut ipsi quoque, qui sacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere studeant, sed divitias, quibus honor sacer emitur, satagant congregare. Hinc fit etiam, ut insontes et pauperes a sacris ordinibus prohibiti despectique resiliant. Et dum innocentia pauperis displicet, dubium non est, quod praemium illic delicta commendet; quia ubi aurum placet, et vitium. Hinc igitur non solum in ordinatoris et ordinati animam lethale vulnus infigitur, verum etiam excellentiae vestrae regnum, vestrorum episcoporum culpa, quorum magis intercessionibus juvari debuerat, praegravatur. Si enim is dignus sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed praemiorum copia suffragatur, restat, ut nihil sibi in honores ecclesiasticos gravitas, nihil defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat. Et dum vitia remunerantur honore, in locum ultoris, qui fortassis fuerat ulciscendus adducitur; atque hinc sacerdotes non proficere, sed perire potius judicantur."[1]

Haec Gregorius. Ex cujus doctrina et aliis jam adductis rationibus satis constat quod tertio diximus, nempe esse has concessiones in grave scandalum et damnum ecclesiae.

Quod etiam de concessionibus, quas legati vel nuntii apostolici in provinciis faciunt, est intelligendum. Ita enim de eorum quaestu et avaritia scandalizantur et gravantur provinciae, ut summo beneficio deputent, si hujusmodi negotiatores ad eas non mittantur, quum tamen olim summae adscriberent gratiae, si ad eas mitterentur, quia lassati et non suffarcinati redibant.

Ex his autem tribus etiam constat responsio, quam dedimus ad quaestionem in tertio sensu eam intelligendo, nempe non licere pro hujusmodi concessionibus seu usu potestatis in eis concedendis pecuniam, ut Romae fit, ca-

[1] Ep. IX, 110 ad Theodericum et Theodebertum reges Francorum; Migne P. L. 77, 1039. Jaffé 2. edit. n. 1744.

Digitized by Google

pere. Quod constat, quia sic saepe intervenit simonia, semper autem ejus species et scandalum; et haec committere pontificem vel ejus ministros non licet, ut in sexta suppositione probavimus. Constat etiam, non licere pro usu potestatis spiritualis commodum temporale eo modo percipere. Per quod etiam patet responsio ad quaestionem in tertio sensu intellectam.

Caput V. Objectiones nonnullae diluuntur.

31. Superest tamen respondere III. ad nonnullas rationes, quae contra hanc responsionem agere videntur.

Quarum prima est: Simonia est emptio vel venditio rei spiritualis. Ergo ubi temporale non accipitur vel datur quasi pretium, non potest esse simonia; ideo, licet jura quaedam quasi simoniaca damnent, praesumunt potius illud, quod affirmant, et de jure positivo statuunt poenas simoniae debitas; quum ergo de papa praesumi non debeat, quod accipiat commodum temporale quasi pretium, et non subsit juri positivo, fit, ut non possit in his committere simoniam. Ad hanc rationem respondetur negando, semper requiri ad hoc, ut committatur simonia, quod temporale existimetur ut pretium, sed sat esse, ut ob id mens utentis potestate corrumpatur, abutens illa ad lucrum et non ad aedificationem. Tunc enim, licet non propria, est tamen quaedam metaphorica venditio, quia temporale commodum, ac si existimaretur pretium, mentem inclinat; quod sufficit ad constituendum simoniacum etiam papam, ut supra probavimus. Nec est alienum a ratione praesumere etiam de pontifice, quod lucro interdum moveatur; quia quum quandoque constet, eum non moveri aedificatione ecclesiae quasi fine (si videlicet potius dissipat quam aedificat), fit probabile, quod propter temporale bonum moveatur; dicente Domino: „Qui non est mecum, contra me est.“[1] Ubi autem vel certum est vel saltem dubium, quod hac utitur potestate ad aedificationem, tunc pro eo est

[1] Luc. 11, 23.

Digitized by Google

praesumendum, licet etiam jura quandoque praesumant simoniam, ubi forte non est, si cesset mentis corruptio. Et ideo in c. Etsi quaestionis De simonia decernitur, non fuisse simoniam, magnatem quendam equum offerre cardinali, qui pallium archiepiscopale fratri magnatis daturus venerat, quod tam parvum donum a tanto viro concessum cardinali non putaretur mentem illius potuisse corrumpere. Quod tamen non habet locum in re, de qua loquimur; quia tam multa sunt, quae annuatim pontifici et aliis ministris dantur, ut timeri possit corruptio, quum potestate abutuntur. Licet ergo praedicta jura quandoque praesumant simoniam, ubi vere non est, quia tamen merito illam praesumunt ob speciem mali, quae in illis actionibus apparet, summus pontifex tenetur etiam hujusmodi praesumpta simoniaca vitare; quia licet non subsit juri positivo et ideo ab ejus poenis sit immunis, subest tamen juri divino et naturali, quae jubent ab omni specie mala et scandalo cavere et leges etiam positivas non exponere contemptui, praesertim ob quaestum, sed potius quantum in se est honorare.

Secunda ratio est, quia ob sustentationem licite potest quis accipere temporalia, ut supra probatum est; ergo licebit pontifici et aliis ministris tantam pecuniam, ut sustentationem, accipere. Respondemus, licere quidem accipere sustentationem, sed non ad hunc modum. Opus enim est, ut jam diximus, 1^0 ut quis egeat sustentatione; 2^0 ut moderata sit illa, quam accipit; 3^0 ut sine scandalo accipiatur. Quod plane scandalum inveniri in hoc modo accipiendi probavimus; ultra hoc, quod posset videri quibusdam, quod pontifex habeat patrimonium, unde moderate sustentetur, et quod immoderate accipiat ex usu potestatis.

32. Tertia ratio est, quia pontifex potest imponere subsidium fidelibus, unde vivat; sicut videmus imposuisse decimas, ut alii ministri sustentarentur; ergo potest accipere taxas, quasi tributum et subsidium, unde vivat. Respondemus, licere imponere subsidium, sed ita, ut ipse egeat et moderatum sit et justa proportione distributum

Digitized by Google

et sine specie mali et scandalo; quae omnia in his taxis, quae in usu potestatis spiritualis recipiuntur, desiderantur. Ideo minime imponendae sunt per modum subsidii. Licet tamen, si Joanni Andreae[1] credimus, imponere clericis vigesimam decimae, ut ex illa pontifex et cardinales et legati et necessarii officiales sobrie vivant; quae vigesima per episcopos esset colligenda. Liceret etiam, ut videtur cardinali Cameracensi,[2] taxare certam summam, quae sufficeret praedictis alendis, et illam distribuendam et colligendam per episcopos constituere. Liceret tertio, portionem aliquam ex pinguibus episcopatibus et abbatiis et aliis beneficiis annuatim colligere, modo necessaria tantum colligerentur et necessarii deputarentur cardinales et alii ministri, suppresso officialium et officiorum inutilium numero et etiam cardinalium, modo etiam deinceps tam pontifex, quam legati et alii gratis omnia spiritualia expedirent.

Quarta ratio est: Secundum jura ob consuetudinem licet temporalia accipere, dum ministrantur spiritualia, ut patet 10. q. 3. c. Relatum;[3] De simonia c. Ad apostolicam, c. Quum sit Romana, c. Dilectus filius; et De censibus c. Quum apostolus;[4] et De praescriptione c. Quum ex officio;[5] et De praebendis c. Significatum.[6] Quum igitur introducta sit consuetudo hujusmodi temporalia accipiendi pro usu potestatis spiritualis, licebit ea accipere. Respondetur, licere quidem accipere ob consuetudinem non qualemcunque, sed quae bonum habuit initium et probata est ab ecclesia; qualis non est ista, sed potius corruptela, quia turpis est et mali speciem habens et scandalizans. Ideo licet fidelis cogi possit coram praelato, ut servet laudabilem ecclesiae consuetudinem, ut habetur c. Ad apostolicam De simonia, non tamen cogi jure potest, ut istam corruptelam servet, quia esset cogere ad peccandum.

[1] Joannes Andreae, celebris canonista saec. XIV., commentarios edidit in Decretales, in Clementinas et in regulas Sexti.

[2] Vide supra pag. 369 not. 1.

[3] C. 9.

[4] C. 6 (III, 39)

[5] C. 16 (II, 26).

[6] C. 11 (III, 5).

Digitized by Google

Quinta ratio est: Potest accipi temporale, quod lege statutum est, ut ministri sustententur; sic enim episcopi et alii ministri decimas accipiunt, unde vivant. Ergo quum sit quaedam tacita lex, tantum quemque solvere jubens, quia gratiam accipit, licebit illud accipere. Respondetur, licere accipere statutum justa lege, sed non iniqua; qualis est illa, quae hujusmodi taxas solvere praeciperet. Esset enim contra evangelium, quod jubet gratis dare gratis acceptum; foveret etiam scandala et mali speciem. Ideo nec est lata talis lex a sede apostolica, sed abusus est potius, malis moribus utentium confirmatus.

33. Sexta ratio est: Secundum jura licet pecunia mulctare in poenam peccati, ut patet De simonia c. Ad aures, c. Nemo etc.; licebit igitur ab his, qui jam peccarunt, aliquid accipere, quum absolvuntur; imo ab omnibus videtur posse accipi, quia quum accipiant spiritualia et non offerant temporalia, ingrati videntur, et ideo in poenam pecunia mulctandi. Respondetur concedendo, licere imponere pecuniam in poenam peccati, sed ita, ut libere prius concedatur absolutio, et pecunia, quae post datur, expendatur in pios usus, et non serviat privato lucro; hic autem contra fit, quia negatur absolutio non prius solventi, et, quod solvitur, male dilapidatur. Neque valet dicere, papam quidem libere concedere gratiam, sed datarium detinere supplicationes ingratis. Est enim id merus fucus; tum quia, ut vidimus, gratiae libere concessae a papa nihil valent, si supplicationes non redduntur a datario et bullae expediuntur; tum etiam quia indecorum valde videtur, si pontifex vere concederet gratiam gratis, ut debet, et datarius eam negaret contra mentem pontificis, vel saltem eam venderet, sicut Giezi vendere voluit donum, quod Eliseus gratis concesserat, quod tamen impune abire non sivit Eliseus lepra eum percutiens.[1] Si autem pontifex non serio concedit gratiam, videtur quaedam astutia; quam Paulus a se rejiciens ait: „Sed esto, ego vos non gravavi, sed quum essem astutus, dolo vos

[1] Supra pag. 335 et 353.

Digitized by Google

cepi. Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos? Rogavi Titum, et misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? Nonne eodem spiritu ambulavimus? Nonne eisdem vestigiis?"[1] Debet igitur datarius imitari Titum, et non Giezi, concedendo gratis et non vendendo, quod papa gratis concessit; alioqui vel contrarius esset pontifici vel astutia circumveniret[2] et dolis, si Paulo credimus. Non est igitur ad rem, quod dicitur, eos, qui gratiam a pontifice suscipiunt, mulctari posse ob ingratitudinem, quia non offerunt temporalia susceptis spiritualibus; hoc, inquam, non est ad rem; tum quia, donec litterae expediuntur, nullam gratiam susceperunt, pro qua gratiam referre debeant; tum quia, etiam litteris expeditis, non debent pecuniam pontifici, quia gratis gratiae sunt concedendae et sine scandalo; maxime quia, quum causa subest, tenetur papa dispensare, ne abscondat talentum sibi ad aedificationem concessum; et ubi non teneretur, saltem quum dispensare vult, tenetur id gratis facere ex Domini praecepto.

Septima ratio, quia si non liceret hujusmodi taxas pro usu spiritualis potestatis accipere, errassent pontifices, qui hactenus eas acceperunt, et errasset ecclesia eos secuta, quod inconveniens videtur. Respondetur, facile solvi hoc argumentum a considerante duplicem esse errorem, alterum in moribus, alterum in doctrina; et rursus in doctrina dupliciter posse intelligi errare pontificem; aut enim consideratur quatenus pontifex est et e cathedra docens et definiens post canonicam rerum discussionem, aut consideratur non ut pontifex extra cathedram vel cogitans vel docens in moribus. Igitur non est dubium, quin erraverint multi pontifices, qui et ipsi homines fuere, circumdati infirmitate. In doctrina quoque privata errare possunt, quia „omnis homo mendax."[3] E cathedra autem definientes, ut dictum est, non possunt errare; et hoc non ex se neque propter se, sed ob pactum et assistentiam

[1] II. Cor. 12 16—18.
[2] Ms. *interveniret.*
[3] Rom. 3, 4.

Digitized by Google

Domini et Spiritus ejus, qui ob ecclesiae bonum, ne sequens ducem caecum praecipitetur, pontifici assistit, ne ita definiens erret et alios, qui eum sequi tenentur, errare faciat. Quia igitur simonia error est in voluntate et moribus existens, potuerunt id vitium committere pontifices, sicut potuerunt private in doctrina de eo errare; et in his non periclitatur ecclesia, quia non tenetur sequi neque sequitur privata vitia et errata pontificum. Non erravit autem in publica doctrina pontifex e cathedra definiens, licere hujusmodi taxas pro usu spiritualis potestatis accipere, quia nulla talis exstat definitio, imo multa exstant decreta huic abusui contraria.

34. Octava ratio: Si illicitum esset commodum temporale modo dicto percipere, deberet igitur pontifex lucra ista vitare; quod si faceret, et odium multorum incurreret et multum sedis apostolicae honori detraheret et ejus redditus minueret non sine gravi damno non solum proprio, sed etiam cardinalium, qui inde aluntur, et officialium, qui inde redditus percipiunt officiorum, quae bona fide emerunt et ideo injuste ex hac re gravarentur. Respondemus, in primis quod attinet ad redditus, debere prius considerari, an licite ex ita acceptis pro usu spiritualis potestatis redditus proveniant, an vero illicite. Nam si licite haberi possunt, movere fortassis deberet hoc argumentum. Fortassis dixi, quia re vera, quamvis licite haberentur et sine scandalo, adhuc tamen, si magis expediret ad ecclesiae aedificationem illis carere, hoc esset praeeligendum. Nunc autem res est magis perspicua, quia, postquam multis modis ostensum est, illicitum esse ex usu potestatis spiritualis modo jam dicto lucrari, frivolum est allegare rerum temporalium jacturam; quia nihil prodest universum mundum lucrari cum animae detrimento [1] Quinimo ex defectu fiduciae divinae et in Deo fortitudinis oriuntur hae timidae rationes; quia alias sciremus, non defuturum in sua promissione illum, qui dixit: „Quaerite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia ad-

[1] Mat. 16, 26.

Digitized by Google

jicientur vobis;“[1] maxime quum constet hos abusus a paucis annis, hoc est, ut fertur, a tempore Sixti IV. vel Alexandri VI. percrebuisse; ante quos[2] tamen sustentabantur pontifices et trahebant ad ecclesiae obedientiam integra regna, ex quorum devotione etiam in temporalibus crescebat apostolica sedes; quae tamen post istas nundinas videmus decessisse et emolumenta multa ab ea subtraxisse. Quae omnia debemus his mercatoribus, qui videntur zelare pro ecclesia et apostolica sede, quum potius re vera lugeant imminentem casum Babylonis, cujus divitiis ditati sunt. His ergo neglectis, sperandum est in Domino, cui non deerunt modi providendi ecclesiae suae, si illi, qui superius[3] recitati sunt ex Joanne Andreae et cardinali Cameracensi, non placuerint. Ut enim regnum iisdem virtutibus, quibus comparatum est, conservatur et contrariis vitiis perditur, ita ecclesiae divitiae, quae fide et terrenorum contemptu prae Christi amore comparatae sunt, eisdem retineri debent, sicut infidelitate et sordida avaritia dilabuntur.

Quod vero ad officiales attinet, qui officia bona fide emerunt, poterit paulatim illis satisfieri. Quod si fieri non posset, nec ob id praetermitti deberet tam publicum bonum; quia etiam quum emerunt officia, debuerunt scire, quandoque futurum esse, quod jure fieri debebat. Iniquissima enim fuisset conditio, si ea lege emerent officia, ut nunquam curiae abusus corrigerentur. Ex quibus tamen, ut diximus, potius perdunt, quam lucrantur. Dum enim nolunt, ut pharisaei, parcere Christo, ut conservent locum et gentem, et Christum et locum et gentem amittunt; quibus tamen unus Christus incolumis omnia servasset.

35. Ut ergo non debet movere reddituum jactura, ita nec timeri debet odium. Boni enim et veri Israelitae potius amabunt pastorem ecclesiam purgantem; et solum odio habebunt illi, quos Deus odit; de quibus ait scriptura: „Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem per-

[1] Mat. 6, 33. [2] Ms. *quem*. [3] Videlicet pag. 373.

Digitized by Google

fecte abominati sunt."[1] Recte proinde consulebat Petrus Clementi dicens: „Si te multi e fratribus propter rigorem justitiae odio habuerint, ex hoc quidem non laederis, sed ex hujuscemodi odiis amor tibi conciliabitur Dei. Et ideo satage magis et refuge, ne lauderis ab iniquis, et ne a pessime diligaris agentibus, sed potius propter justitiae dispensationem et aequissimam[2] regulam disciplinae a Christo laudari merearis."[3] Anacletus ei consentiens ait: „Nihil illo est pastore miserius, qui luporum laudibus gloriatur. Quibus si placere noluerit, atque ab his amari delegerit, erit hinc ovibus magna pernicies. Nullus ergo pastorum placere lupis et gregibus ovium potest."[4] Quod autem de odio dictum est, id et de honore dicendum. Quamvis enim pravis et his, qui gloriam ab invicem quaerunt, ingloriosum fortassis videatur, si curia, eliminatis eorum spurcitiis, et pompa et luxu ab ea fugatis, sobrie et juste et pie conversetur, ipsi tamen Deo et Deum amantibus et apud eum, ut fides docet, gloriam quaerentibus videbitur gloriosissimum. Sicut e contrario ignominia et abominatione plenum est, si domus et curia et urbs Christi vicario commissa sordidissimis sacrorum mercatoribus et nummulariis in hoc ipsum servientibus, et meretricibus, cum quibus male parta profunduntur, plena sit, et in ea nulla sit imitatio sanctorum apostolorum et sanctorum pontificum, qui eos secuti sunt, sed potius scribarum et pharisaeorum, imo et sacerdotum idolorum, atque adeo ipsorum daemonum, qui in idolis loquebantur. Hos enim plane imitantur, qui quaestum existimant pietatem,[5] et non quae Christi sunt, sed sua, non fructum, sed datum quaerunt.[6]

Nam pharisaeos ideo maxime reprehendit evangelium, quia praetextu religionis avaritiae vacabant, comedentes

[1] Amos 5, 10.

[2] Hinschius h l. legit *nequissimam*.

[3] Pseudoisidoriana epistola Clementis I. papae prima c. 16; Mansi I, 111; Hinschius, Decretales pseudoisidorianae p. 35.

[4] Pseudoisidoriana epistola Anacleti prima c. 8; Mansi I, 598; Hinschius p. 69.

[5] I. Tim. 6, 5. [6] Phil. 2, 21; 4, 17.

Digitized by Google

domos viduarum.[1] Sacerdotes quoque idolorum patres ut quaestuosos et petaces irrident, Tertulliano dicente: „Majestas quaestuaria efficitur; circuit cauponas religio mendicans; exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri; non licet deos nosse gratis, venales sunt.“[2] Haec ille; cui Lactantius consentiens ait: „Itaque sub obtentu deorum avaritia et cupiditas colitur; credunt enim, deos amare quidquid ipsi concupiscunt.“[3] Et paulo inferius: „Veniunt igitur ad deos non tam religionis gratia, quae nulla potest esse in rebus male partis et corruptibilibus, quam ut aurum oculis hauriant, nitorem laevigati marmoris aut eboris adspiciant, ut insignes lapillis et coloribus vestes vel distincta gemmis fulgentibus pocula insatiabili contemplatione contrectent. Et quanto fuerint ornatiora templa et pulchriora simulacra, tanto plus majestatis habere creduntur; adeo religio eorum nihil aliud est, quam quod cupiditas humana miratur?“[4] Daemones quoque ipsi, ut avaris sacerdotibus satisfacerent, petaces erant. Nam quum Apollo prospera aliquibus praedicebat, admonebat eos, ut quum illa evenirent, sui recordarentur. Unde teste Nazianzeno vulgare erat illud plebium: Sine aere nequaquam oraculum edidit.

Modus igitur verus honorem comparandi non est per ista, quae alta sunt coram hominibus et abominabilia coram Deo, sed per veram Jesu Christi et sanctorum ejus imitationem. De quo pulchre et sapienter Bernardus ait epist. 42.: „Et ut brevi omnia sermone concludam, si his credideritis, in omnibus exemplo apostoli honorificabitis ministerium vestrum,[5] ministerium, inquam, non dominium; ipsum itaque honorificabitis, non vos; nam qui quaerit, quae sua sunt, se cupit honorari, non ministerium. Honorificabitis autem non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis aedificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis.“[6]

[1] Mat 23, 14.
[2] Apologeticus c. 13; Migne P. L. 1, 346.
[3] Divin. instit. l. 2. c. 7; Migne P. L. 6, 284.
[4] Migne 285. [5] Rom. 11. 13. [6] Migne P. L. 182, 812.

Digitized by Google

36. Nona ratio est, quia dispensatio, ut juristae ajunt, est vulnus quoddam juris, quia solvere videtur ejus rigorem et rectitudinem; potest igitur hujusmodi damnum pecunia compensari, ut in compositionibus fit, et ut licebat in lege vetere vota pecunia redimere, ut ex Levitico c. 27. patet. Respondetur, dispensationem ex causa factam non laedere, sed juvare jus, quia illa erat mens legislatoris, et ita exigit harum rerum natura; et ideo, quum causa subest, nullum damnum est, quod pecunia debeat compensari. Si autem sine causa est et injusta, non debet injustitia vendi, nec potest tale damnum pecunia resarciri. In Levitico etiam sacerdos non dispensabat; et ideo pretium non dabatur pro dispensatione vel usu spiritualis potestatis, sed potius pro re oblata, de qua jam decreverat lex, ut pretio commutari posset.

Caput VI. Conclusio.

37. Quum igitur rationes, quae licere suadent pro usu potestatis spiritualis commodum temporale (ut Romae fit) accipere, nullius momenti sint, et quae id illicitum probant, scripturis sanctis et sanctorum decretis et Christi et sanctorum exemplis innitantur, fit, ut amplectendae sint, et responsio, quam ad propositam quaestionem juxta ejus tertium sensum dedimus, sit amplectenda et probanda.

Ex qua et aliis superius propositis et pro ingenii mei tenuitate discussis constat, licere quidem commodum temporale accipere pro usu potestatis spiritualis, id est ut sustentatus minister possit potestate gratis uti, quod in prima hujus quaestionis parte probavimus; minime autem licere id accipere quasi pretium usus potestatis, ut deduximus in parte secunda; sicut nec licet pro illo usu taxatum quid (ut Romae fit) accipere, ut in tertia parte conclusimus.

Quae omnia non solum judicio sanctae matris ecclesiae et sacrosanctae sedis apostolicae, sed cujusvis melius sentientis, conscius infirmitatis et ignorantiae meae, libens

Digitized by Google

submitto, paratus corrigere, si quid fuit erratum in his, quae hactenus dixi.

Quibus hoc unum addam, quod etiamsi in his pecuniarum et munerum taxis, quae in gratiarum spiritualium expeditione dari et recipi solent, nihil esset peccati vel scandali, adhuc tamen salubrius esset consilium, omnino ab his abstinere; quia in ineundis consiliis non solum respiciendum est, quid liceat, sed potius quid expediat; dicente apostolo: „Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt; omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.“[1] Quia ergo juxta concilium secundum Turonense „cauta est in salutem provisio, ad effugiendam culpam delicti aditum delinquendi repellere,“[2] quum non sit dubium, plus occludi aditum delictis excutiendo manus ab omni munere, non debet etiam dubitari, quin salubrius et tutius sit, ut hoc consulatur et executioni mandetur, e curia, imo ex Dei ecclesia omnem occasionem ambitionis et simoniae amputando; quia, ut Lucius papa ait, „sicut simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincit, ita sine dilatione mox, ut ejus signa per aliquam personam clarueriut, de ecclesia Dei debet eliminari atque repelli.“[3]

38. Cui Bernardus omnino consonat, cujus verbis libet hanc quaestionem concludere. Ait igitur ad Eugenium mores quorundam curialium describens: „Tanta est impudentia nonnullorum, ut quum manifestae ambitionis prurigine scateat tota facies causae eorum, non erubescant audientiam flagitare, publicantes semetipsos ad multorum conscientias, in quo vel suae solius satis poterant confundi judicio. Non fuit, qui retunderet attritas frontes; et ideo plures facti sunt et magis induruerunt. Sed et nescio quomodo vitiosus conscientias vitiosorum non refugit; et ubi omnes sordent, unius foetor minime sentitur. Quis enim unquam, verbi causa, avarum avarus, immundum

[1] I. Cor. 6, 12.
[2] Ex can. 27. hujus concilii habiti a. 567; Mansi 9, 790.
[3] Textus incertae originis; ex Decretal. l. V. tit. 3. cap. 6.

Digitized by Google

immundus, luxuriosum luxuriosus erubuit? Plena est ambitiosis ecclesia. Non est jam quod horreat in studiis et molitionibus ambitionis, non plus quam spelunca latronis in spoliis viatorum. Si Christi discipulus es, ignescat zelus tuus, exsurgat auctoritas adversus impudentiam hanc et generalem pestem. Intuere Magistrum sic facientem et audi dicentem: ‚Qui mihi ministrat, me sequatur.'[1] Non parat aures, ut audiat, sed flagellum, quo feriat. Verba nec facit nec recipit. Nec enim sedet judicans, sed insequitur puniens. Causam tamen non tacet, quod videlicet domum orationis, negotiationis fecissent. Ergo et tu fac similiter. Erubescant vultum tuum hujusmodi negotiatores, si fieri potest; si non, timeant. Et tu flagellum tenes. Timeant nummularii, nec fidant in nummis, sed diffidant; abscondant aes suum a te, scientes effundere, quam accipere paratiorem. Hoc studiose et constanter agendo multos lucrifacies, turpium sectatores lucrorum honestioribus officiis vindicando; multos, ne vel audeant hujusmodi attentare, servabis. Adjice illud, quod non parum proficiet et ad ferias, quas tibi suadeo. Ita nempe non pauca tibi momenta temporum redimes ad vacandum considerationi, quaedam, ut dixi, negotia nec audiendo, quaedam aliis committendo, quae tua digna putaveris audientia, fideli quodam et accommodo ipsi causae compendio terminando."[2]

[1] Joh. 12, 26.

[2] De consideratione lib. 1. c. 10. 11; Migne P. L. 182, 741. 742.

Digitized by Google

III.
Quaestiones theologicae de vectigalibus.

Tota haec tractatio vectigalium sive exactionum ad quatuor capita redigi potest. 1. Agemus de variis nominibus, quae impositionem sive exactionem aliquam denotant; et in quo illa conveniant, in quo inter se differant, quid unumquodque illorum significet, et unde suam originem ducant. 2. Redigemus omnia exactionum genera ad tria capita; aut enim sunt justa aut injusta aut dubia. In quibus videbimus, quid viri docti de hac re sentiant, tum etiam quae sint conditiones, quae exiguntur ad justitiam omnium exactionum. 3. Proponemus nostram sententiam. 4. Objectiones adversariorum solventur. His omnibus absolutis tota haec disputatio absoluta erit.

Caput I. Varia genera exactionum.

Haec sunt potissima genera exactionum, ad quae reliqua omnia redigi possunt: Pensio, census, tributum, pedagium, vectigal, tallia, collecta, praestantia, angaria, perangaria, munus et alia, quae postmodum adnumerabimus.

Haec omnia in hoc conveniunt quod sint publicae exactiones, sed in hoc differunt, quod pensio publica, census publicus et tributum idem fere significant. Sunt enim haec pretia, quae principi vel reipublicae vel communitati debentur de proprio solo, sive de terrae nascentibus, pro

Digitized by Google

defensione et gubernatione regni sive urbis. Census autem proprie solvitur de capite ad profitendam subjectionem. A qua Judaei se liberos arbitrabantur tanquam filii Abrahae, et ideo dicebant: „Semen Abrahae sumus et nemini servivimus unquam.“[1] Hujusmodi census inter christianos principes non est usu frequens. De eodem censu interrogatus Christus salvator noster, an liceret dare caesari, respondit: „Reddite quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo.“[2] Vectigal, teloneum, guidagium, gabella, decana ac datium eandem ferme rem significant. Sunt enim haec pretia, quae solvuntur pro rebus mutatis sive pro mercibus, quae vehuntur negotiationis gratia ad refectionem murorum, pontium, viarum aliorumque id genus publicorum operum. Idem dicendum est de salinario respectu salis. Pedagium proprie solvitur pro habilitate sive refectione viarum. Tallia, praestantia, collecta, impositio idem significant; sunt enim pretia vel summae, quae ob aliquam rationabilem causam solvuntur a singulis subditis, proportionaliter ad totam substantiam. Angaria et perangaria sunt injustae exactiones, quae potius extorsiones sunt dicendae.

Unde haec nomina sumant etymologiam sive denominationem, perspicuum est omnibus. Pensio a pendendo dicta est, sicut vectigal a vehendo, tributum a contribuendo, census a recensendo, angaria ab angendo, eo quod angat miseros homines; et ita de aliis, de quibus licebit videre Silvestrum[3] verbo „gabella“ in principio.

Caput II. Sententiae doctorum de conditionibus ad justitiam exactionum necessariis.

Haec omnia tributa sive exactionum genera aut sunt justa aut injusta aut dubia. Ad justitiam harum exactionum requiruntur multae conditiones; quibus omnibus

[1] Joh. 8. 33. [2] Mat. 22, 21.

[3] Silvestrum de Prieria in sua Summa Summarum, quae Silvestrina dicitur; edit. Argentor. 1518, fol. CCVIII.

Digitized by Google

servatis, tributa justa erunt et juste exigi poterunt et subditi in conscientia tenebuntur ea solvere.

Hanc veritatem probamus 1. ex testimonio Matth. 22, 21.: „Reddite quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo;“ 2. ex testimonio Pauli Rom. 13, 7.: „Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal“ etc.; 3. probatur ex testimoniis Hieronymi, Chrysostomi, Theophylacti, Augustini et aliorum, quos refert Alphonsus de Castro libro 1. de potestate legis poenalis.[1] In hoc etiam conveniunt omnes antiqui theologi et canonistae, affirmantes, justa tributa juste exigi.

Quae tum justa censebuntur quum debitae conditiones servantur. Quare de conditionibus justae exactionis agendum est.

Prima conditio justae exactionis est auctoritas ad ea imponenda; qualis est summus pontifex, concilium generale, imperator, rex, respublica et quivis princeps et quaevis civitas, quae habet immemorabilem consuetudinem imponendi talia tributa; et quod pejus est, omnes castellani imponunt ista tributa, quod fieri non deberet. — Civitates Italiae hodie (ut refert Angelus de Clavasio[2] verbo „pedagium“ et alii summistae), ex quo habent merum et mixtum imperium, obtinuerunt de facto, ut possint imponere haec tributa. Reliqui principes praescripserunt jura imperatoris. — Praeterea tributa aut sunt antiqua aut nova. Si tam antiqua sunt, ut de illorum initio nulla prorsus possit haberi memoria, tunc ex sententia multorum doctorum, qui de hac re scripserunt, semper praesumuntur justa et licita. Nam juxta regulam juris quilibet semper praesumitur bonus, donec probetur contrarium. Quare quum non constet de injusto horum tributorum initio, praesumendum est, illud fuisse justum. Nam possidentis conditio melior est. Si vero hujusmodi exactiones sint novae, oportet, ut in his serventur omnes conditiones, alioquin

[1] Cap. 10. Edit. Paris. 1571 pag. 1630 ss.

[2] Angelus de Clavas († 1496) auctor Summae casuum conscientiae, quae angelica appellatur.

Digitized by Google

injustae erunt. Haec distinctio novi et antiqui tributi non probatur a Summa Tabiena[1] verbo „pedagium". Nam ad justitiam omnium tributorum, ait, sive nova sive antiqua sint, requiritur, ut serventur omnes conditiones.

Secunda conditio est rationabilis causa; quae ex sola populi necessitate aut utilitate, et non ex principis utilitate sumenda est. Nam si princeps solum ob suum commodum tributa imponet, non justa sed tyrannica dicentur, quoniam rex propter populi utilitatem et non populus ob regis utilitatem datus est. Princeps enim nihil deberet expetere in praemium, sed solum ad sustentationem status et necessarios sumptus, ut bene docet sanctus Thomas. Nam proprium praemium principis juxta Aristotelem est honor; quo qui non est contentus tyrannus est; quem honorem christianus princeps non in vanam gloriam, sed in Deum referre debet.

Tertia conditio, quae exigitur ad justam exactionem: Oportet, ut tributa sint moderata, servando debitam proportionem. Quae quidem proportio in multis est consideranda. 1. Inter ipsum tributum et causam, propter quam imponitur, ita ut non exigantur majora tributa, quam causa ipsa, propter quam imponuntur, postulet. Nam si majora exigantur, injusta sunt propter excessum; et oppositum faciendo peccant mortaliter et tenentur ad restitutionem. 2. Oportet haberi proportionem et commensurationem inter tributum et populum, cui tributum est impositum, ita ut ipsum tributum populi facultatem non excedat; alioquin injustum erit. Nam quod pro populi utilitate fuit institutum, non debet contra ipsius populi utilitatem militare. Tributum enim, etsi regi aut reipublicae solvatur, ut supra diximus, non propter regis, sed propter populi utilitatem solvitur. Ex quo sequitur, non deberi tantum tributum imponi, ut per illud populus destruatur penitus aut in nimiam redigatur paupertatem. Qui

[1] Haec etiam Summa Summarum vocatur et Joannem Cagnazzo († 1521) auctorem habet.

Digitized by Google

enim hoc faciunt, juxta verba prophetae Ezechielis[1], non solum de lacte gregis comedunt, sed ipsum gregem excoriant. Quamobrem tributa, quae imponi debent ob causas necessarias, debent esse moderata. Et postquam tributum toti populo est impositum, oportet in illius distributione servari proportionem arithmeticam, ita ut considerata cujusvis hominis facultate, tanto majus aut minus cuique imponatur tributum, quanto ille magis aut minus dives fuerit. Immoderata dicuntur tributa, quae exiguntur ultra tertiam octavae partis, ut scribit Baldus,[2] ut refert Summa Tabiena verbo „pedagium". Cui sententiae non solum ipse accedit, verum etiam Bartholomaeus Fumus in sua Summa,[3] ubi affirmat non peccare illos, qui hujusmodi tributa defraudant.

Quarta conditio est, ut princeps recipiendo tributum, faciat id, propter quod fuit impositum, vel sit paratus facere, quando erit opus. Alioquin injustum erit ex sententia sancti Thomae.

Quinta conditio: Debet esse tale, ut perseveret causa, propter quam fuit impositum; et ea cessante cessare debet tributum. Alioquin injustum erit, nisi alia aequalis causa illi substitueretur, et inde ab alia causa haberet vim ut juste exigatur.

Sexta conditio est, ut non exigatur pro iis, quae deserviunt pro proprio victu ad alendam familiam. Dominicus de Soto[4] affirmat, hoc esse contra jus naturae et prae se ferre injustitiae speciem, nec valere consuetudinem in contrarium. Hoc ipsum affirmat Angelus de Clavasio verbo „pedagium"; idem sentit Summa Rosella[5] verbo „peda-

[1] Ezech. 34, 1—21.

[2] Baldus de Ubaldis, celebris jurisconsultus saec. XIV.

[3] B Fumus († c. 1545) Summam casuum conscientiae, quae Aurea Armilla vocatur, edidit.

[4] De justitia et jure Lib. 3. qu. 6. art. 7. Edit. Lugduni 1569 pag. 199 s.

[5] Ed. Argentinae 1516 fol. CLXXXVI. Auctor hujus summae est Antonius de Rosellis jurisconsultus saec. XV.

Digitized by Google

gium". Accedunt sententiae horum doctorum Cajetanus in sua Summa verbo „vectigal",[1] et Bartholomaeus Fumus in sua Summa eodem titulo. His omnibus addit Cajetanus in sua Summa verbo „vectigal", injusta et iniqua esse vectigalia, ex materia quacunque sint illa, quae imponuntur super aliis, quam super his, quae causa negotiationis vehuntur et ea esse contra civilem legem. Unde non ligant in foro conscientiae hujusmodi vectigalia.

Septima conditio est, ut hujusmodi exactiones non exigantur a clericis, neque ab aliis bonis ecclesiasticis, quamvis consuetudo sit in contrarium; de quo est caput Quamquam De censibus lib. 6.[2] Si tamen principes obtinuerint in hac re facultatem a summo pontifice vel a concilio generali ob rationabilem causam, licite possunt illa exigere, et non aliter.

Quamobrem ad justitiam harum exactionum requiritur: 1. legitima auctoritas imponendi talia tributa; 2. justa causa finalis, quae est solum bonum publicum; 3. justa forma, ut non violetur justitia distributiva et non sit immoderatum gravamen; 4. justa materia, ut non comprehendat nisi res negotiatorias, et non eas, quae sunt necessariae ad proprium usum; 5. justus usus, ut fiat illud publicum bonum, pro quo imposita sunt, et cessante causa cesset etiam tributum; 6. ut bona ecclesiastica sint exempta.

Injustae exactiones. Si autem tributa sive alia exactionum genera sunt injusta, apertum est, subditos non teneri in conscientia ea solvere, nisi forte ratione conscientiae erroneae, perjurii, mendacii, periculi et scandali. Quando vero his omnibus remotis hujusmodi injustae exactiones non solvuntur, non peccatur mortaliter; neque tenebuntur ad restitutionem; nam id faciunt, ut redimant suam vexationem Praeterea tum injustae censentur exactiones, quum

[1] Ed. Paris. 1530 fol. 281.
[2] Cap. Quamquam 4 (III, 20).

Digitized by Google

una harum conditionum deest. Exigentes hujusmodi injusta tributa tyranni sunt, peccant mortaliter, ac tenentur ad restitutionem et ad pias causas illa dispensare, si ignorentur veri domini.

Dubiae exactiones. Alii doctores non infimae auctoritatis affirmant, tributa nostri temporis esse saltem dubia. Quamobrem dubitant de justitia aut injustitia illorum. Inter alios Angelus de Clavasio in sua Summa verbo „pedagium" affirmat, tributa sive pedagia nostri temporis esse communiter illicita. Unde juxta eum, nisi probentur legitime imposita, debemus praesumere ea esse injusta, nisi subditi consenserint, ut talia tributa imponerentur; et tunc extranei sive forenses non tenentur illa solvere, sed solum cives, amoto periculo et scandalo; si tamen subditi sint nimis gravati ob alias impositiones, possunt, remoto scandalo, illa defraudare, quemadmodum videmus in multis civitatibus Italiae; nec tenentur ad poenam solvendam, nisi post sententiam judicis. Haec ille.

Deinde Summa Tabiena verbo „pedagium" dicit, hoc esse maxime probabile, fraudantes hujusmodi gabellas, sive justae illae sint sive injustae, non peccare mortaliter, nisi forte ratione conscientiae erroneae, perjurii, mendacii, periculi et scandali, et solum teneri ad solutionem poenae, si deprehendantur in ipso facto; tum etiam, si ab illis exigatur, teneri solvere et non aliter. Addit idem auctor, fere omnia tributa esse immoderata et excedere octavam tertiae partis et ex consequenti esse injusta. Descendendo autem ad particularia dicit, gabellam vini, quae Venetiis et Januae exigitur, esse injustam propterea, quod sit nimis immoderata et non solum excedit octavam tertiae partis; nam quum tertia[1] octavae, si bene computetur, sit quatuor et aliquid amplius pro centenario, in illa solvuntur circiter viginti quinque et triginta pro centenario; saepe etiam, ut accepimus a viris probatae vitae, excedit valorem ipsius vini.

[1] Ms. *quae tertia.*

Digitized by Google

Quodsi quis dicat, mentes hujusmodi gabellas in hoc damnificari, respondet dictus auctor, quod hoc illis debet imputari, quia scientes illa conditione emunt. Hoc ipsum confirmat Summa Angeli de Clavasio cum aliis summistis. Cajetanus etiam in sua Summa verbo „vectigal" docet, communiter vectigalia, quae et pedagia dicuntur, esse damnata tum ratione materiae, quia limites negotiationis excedunt, tum ratione formae, quantum ad immoderatum gravamen, tum propter injustam causam. „Tot, inquit, conditiones exiguntur ad justa vectigalia, ut difficile forte sit, invenire vectigalia justa, et propterea merito damnata regulariter dicuntur utroque jure."

Praeterea Bartholomaeus Fumus in sua Summa verbo „gabella" affirmat, quod quando gabellae sunt dubiae, an sint justae, sicut communiter hodie sunt, confessores non debent cogere confitentes ad restitutionem, quia exponerent se periculo surripiendi a poenitente, quod suum est.

Navarrus etiam in sua Summa[1] credit, leges pure humanas, quae habent annexam poenam, non obligare illarum transgressores in conscientia; quales sunt leges tributorum et aliarum exactionum, donec concilium aut sedes apostolica, quibus hoc convenit definire, aliud declaraverint. Nam, inquit ipse, „viri ex omni genere, tam nobiles quam ignobiles, tam docti quam indocti credunt, hujusmodi leges non obligare in conscientia, nisi hae leges redundarent in praejudicium aliarum legum naturalium aut divinarum aut aliunde haberent vim obligandi in conscientia." Subjungit idem auctor, transgressores legum, quamvis praeceptivae sint, si non habeant poenam annexam, non obligari in conscientia (si illud factum sit ob aliquam ignorantiam, non tamen crassam et affectatam), quia credunt, intentionem legislatoris non fuisse obligare illos ad culpam. Ex quibus colligit idem, defraudantes tributa et alia vectigalia non transgredi leges, nisi pure humanas,

[1] Martini Azpilcuetae Navarri Manuale sive Summa confessariorum cap. 23. n. 55 ss. Opp. edit. Venet. 1602, tom. I. pag. 395 ss.

Digitized by Google

sive civiles aut ecclesiasticas non praeceptivas, quae cum poena aut sine illa prohibent; quae quidem leges ex sententia auctoris non obligant in conscientia.

Dominicus de Soto[1] dicit adversus Alphonsum de Castro, legem poenalem ob id, quod dicat *ipso facto* aut *ipso jure,* aut quid simile, non obligare ad poenam ante sententiam a judice latam, sic ut reus teneatur in conscientia, bona sua statim commissa culpa a se alienare; sed si quae lex taliter obligat, aliunde id venire[2] arbitrandum est. Et paulo superius sic loquitur: „Leges illae, quae humano tantum bono adversantur, licet in conscientia de se non obligent, ligant tamen quandoque ratione scandali; quae vero divino bono impie repugnant nullatenus, sed[3] aperte est illis obviandum.“[4] Idem auctor dicit, quod ubi esset patentissima injuria ipsorum vectigalium, defraudari possent; tum etiam, quando vectigalia „cum magno rigore exiguntur,“ inquit, „satis est quod quisque dum tributum petitur, solvat obedienter, maxime ubi debitum non est magni momenti.“[5]

Cajetanus etiam in sua Summa verbo „vectigal“ inquit, defraudantes justa vectigalia peccare quidem mortaliter, non ratione praecepti neque ex inobedientia neque ratione poenae annexae contra ipsos transgressores, sed solum ex natura debiti reipublicae non soluti.

Quod hae leges vectigalium sint pure poenales et non obligant[6] in conscientia, praesertim Venetiis et ut audio in toto dominio, probatur ex variis conjecturis.

Primo quia defraudantes hujusmodi tributa sunt major pars populi; ex qua defraudatione homines non redduntur infames; permittuntur a tota republica et nunquam puni-

[1] Ms. *Segobia.* Dom. de *Soto* De justitia et jure Lib. 1. qu. 6. art. 6 Edit. cit. pag. 28. ss.

[2] *Id venire* deest in Ms.

[3] Verba *nullatenus, sed* desunt in ms.

[4] Lib. 1. qu. 6. art. 4. concl. 3. pag. 23.

[5] Lib 3. qu. 6. art. 7.

[6] Ms. *obligare.*

Digitized by Google

untur, ut sint aliis exemplo, nisi deprehendantur in ipsa fraude; tunc enim coguntur ad solvendam poenam, et hoc non semper sed aliquando. Praeterea ii, qui extrahunt merces Venetiis, coguntur solvere vectigal illarum mercium. Et si eodem die aut post aliquot tempus merx illa introducenda est in aliquam urbem hujus dominii, coguntur solvere idem vectigal, quod excedit 5 vel 6 pro centenario.

Deinde Venetiis est quoddam genus vectigalium, quod appellatur messitaria, quod quidem ita solet celebrari: Omnes merces, quae Venetias ingrediuntur, solvunt 5 pro centenario; quod si eadem merx centies in urbe vendatur, centies cogitur solvere idem vectigal. Quod quam justum sit, aliis relinquo defendendum, quum saepe eveniat, ut vectigal excedat valorem mercis. Intelligo etiam, esse multos, qui hac via victum quaeritant: Solent excogitare diversa genera exactionum; postmodum conveniunt principem et alios, quibus incumbit tributa imponere et dicunt, se excogitasse novum genus tributi; et ex hoc labore quaerunt mercedem; principi placet, et ita imponitur vectigal sive gabella. Et quamvis non certo sciamus, nullam esse rationabilem causam imponendi tale tributum, tamen ex variis conjecturis facile contrarium praesumi potest.[1]

Deinde circa collectas illud est notandum, quod quum vectigalia, quae vulgo gabellae appellantur, tot laqueis subsint et de facto exigantur gabellae non solum pro mercibus, sed etiam pro rebus ad usum spectantibus, invenerunt, quod licet non possint per modum vectigalium imponi gabellae pro usu, possunt tamen per modum collectae im-

[1] In ms. sequuntur haec verba: „Hoc genus tributi frequens esse Venetiis, Romae et in aliquibus aliis urbibus Italiae, accepimus a viris fide dignis. Non solum summistae, quos saepe citavimus, sunt in ea sententia, sed etiam alii viri gravissimi, theologi et canonistae, quos brevitatis gratia omittimus."

Digitized by Google

poni communitatibus, hoc adjecto moderamine, quod imponant suis subditis tantum.[1]

Ultimo, ad legis justitiam necesse est accedant omnes ejus causae: 1. causa finalis, ut pro communi bono condatur ipsa lex; 2. ex parte agentis requiritur, ut qui illam fert, suam facultatem non transgrediatur; 3. ex parte materiae, ut quae pro tempore et loco bona sunt, prohiberi non debeant; 4. ex parte formae requiritur, ut sit recta et aequa;[2] nam quum lex regula sit, debet ea rectitudine et aequitate splendere, ut talem servet proportionem ad cives tam in honoribus quam in oneribus, qualem ipsi habent ad corpus reipublicae. Quamobrem lex illa, quae his omnibus conditionibus non fuerit absoluta, non obligabit in conscientia. Quod haec omnia difficile inveniantur in legibus vectigalium, saltem Venetiis, omnibus est perspicuum. De quo lege Dominicum de Segobia.[3]

Caput III. Nostra sententia.

Nunc[4] nostram sententiam de hac re breviter dicamus ad Dei gloriam, ut satisfaciamus petitionibus nostrorum confessariorum, qui Venetiis degunt. Haec autem, quae in medium proferemus, non solum sanctae Romanae ecclesiae censurae submittimus, sed cujuslibet verius sentientis judicio. Priusquam ad conclusionem hujus rei deveniam, praemittenda nobis sunt aliqua.

Primum est: Leges humanae et potissimum leges vectigalium et aliarum exactionum, quibus exiguntur omnia genera tributorum, non mihi videntur ex sua natura[5] in conscientia obligare (nisi legislatoris intentio contrarium expresserit), neque credo de facto obligare illas subditorum

[1] Ms. addit: „Et quia saepe ex forma solent esse injustae non servando distributivam justitiam ac proinde non obligare in conscientia subditos: et ita confundunt collectas, quas vulgus appellat tallias cum ipsis vectigalibus, ut hoc pacto omnes comprehendant."

[2] *Requiritur — aequa* deest in ms.

[3] Potius *Soto*.

[4] Ms. *Quid* (!)

[5] Videlicet necessario, ita ut leges mere poenales admitti nequeant.

Digitized by Google

conscientias. Nam quum hujusmodi leges initium habuerint ab ethnicis hominibus, apertum est, illorum intentionem fuisse obligare dumtaxat eos ad poenam temporalem et non ad aeternam, quam non noverunt; tum etiam quia ex christianis doctoribus nullus ex his, quos legimus, hanc sententiam expressit neque unquam concilium aut pontifex hoc declaravit, imo major pars hominum, non solum simplices, verum et docti et prudentes credunt, defraudantes hujusmodi leges solum obligari ad poenam temporalem, quemadmodum docte probat Navarrus loco superius citato.

Praeterea hae leges videntur pure poenales, quae habent annexam poenam sine aliqua prohibitione; et in quantum sunt tales, non obligant nisi ad poenam temporalem et nullo modo ad culpam, ut docte probat Alphonsus de Castro De lege poenali[1] et Henricus de Gandavo[2] et Angelus de Clavasio verbo „inobedientia".[3]

Et dato, quod non essent pure poenales, sed mixtae, quae prohibent cum annexa poena, non videntur obligare nisi ad poenam temporalem, ut idem Navarrus docet in sua Summa,[4] quia, ut ipse dicit, nullum fere est discrimen inter legem pure poenalem et mixtam. Hanc ipsam sententiam confirmat Cajetanus in sua Summa, ut supra retulimus.

Praeterea multae leges divinae praeceptivae non obligant, nisi ad peccatum veniale, ut referunt Alphonsus de Castro et Navarrus locis supra citatis et Cajetanus.[5] Ergo a fortiori humanae leges, et maxime vectigalium, non obligabunt ad mortalem culpam.

Deinde leges canonicae non praeceptivae, quae non denotant aliquod praeceptum, non obligant ad culpam, ut docet sanctus Thomas[6] et Navarrus loco supra citato; ergo

[1] Lib. 1. cap. 9. Edit. Paris. 1571 pag. 1612 ss.
[2] Ms. *Condavo*. [3] Vide supra 385.
[4] Cap. 23. l. c.
[5] Videlicet in qu. 1. opusculi De obligatione et observatione praeceptorum, quod in edit. Bergom. 1590 est XXV. tomi I. pag. 153.
[6] Summa theol. II. II. qu. 186. art. 9.

Digitized by Google

nec humanae et civiles, quales sunt leges exactionum. Et quamvis in hujusmodi legibus apponantur haec verba: prohibemus, teneantur, obligamus, inhibemus, praecipimus et id genus alia, quia sunt generalia ex natura sua, non explicant intentionem legislatoris, se obligare subditos in conscientia, quia ita bene possunt accommodari peccato veniali atque mortali, ut idem Navarrus refert.

Diximus autem, eas leges non obligare in conscientia,[1] in quantum hujusmodi leges ex sua natura sunt tales, id est pure humanae, et intentio legislatoris non exprimitur. Nam si transgredimur eas in neglectum legis aut si per illam alias leges divinas vel humanas transgredimur, tum non quia tales hae sint, sed quia transgredimur divinas et naturales leges, obligamur ad culpam, aut ratione alius circumstantiae, nimirum scandali, periculi etc.

His suppositis dicimus, tributa quae reipublicae vel principi debentur de propriis bonis (quae, ut docet Sotus[2] imponenda essent in facultatibus, possessionibus ac negotiationibus, et non in personis) pro gubernatione et defensione regni sive urbis, dummodo sint moderata et juste taxata, non dubito, quin justa sint et obligent subditos in conscientia ad illa solvenda et nulla ratione licet illa defraudare, et hoc non quia humanae leges ex sua natura habent talem vim, sed solum quia non solvendo[3] non solvitur id quod juste tenemur et debemus. Et ita, qui de legibus scripserunt, dicunt, leges humanas habere quidem vim obligandi in conscientia, dummodo sint justae, non autem dicunt de facto illas obligare, nisi legislator suam intentionem in illis expresserit. Vectigalia etiam, quae duanae et gabellae alio nomine appellantur, si justa sint et pro utilitate publica sint imposita, nimirum ad refectionem pontium, viarum et ut itinera reddantur tuta et ad alia id genus publica commoda, dummodo sint moderata, subditi tenentur in conscientia ea solvere ob eandem causam,

[1] Verba *autem — conscientia* desunt in ms.
[2] De justitia et jure Lib. 3. qu. 6. art. 7. Edit. cit. pag. 199.
[3] *Non solvendo* deest in ms.

Digitized by Google

ob quam justa tributa. Credimus autem cum sententia multorum gravissimorum doctorum, quos supra recensuimus, illa esse moderata vectigalia, quae non excedunt tertiam octavae partis; quae quidem si bene supputentur sunt, quoties quatuor et aliquid amplius sumitur pro centenario.

Ex quo colligimus, Venetiis gabellam vini, a quo exiguntur communiter triginta pro centenario et aliquibus annis viginti plus minus, juxta valorem vini, esse immoderatam. Quod si aliquibus annis vinum vili venditur, gabella adaequat valorem ipsius vini et aliquando excedit, ac proinde Summa Tabiena, loquendo de hac gabella in particulari, eam aperte damnat. Hoc ipsum dicimus de aliis vectigalibus et gabellis ejusdem generis.

Non dubito tamen, quin urgente aliqua necessitate, quemadmodum esset tempore belli aut in pari causa, ob publicum et commune bonum hujusmodi vectigalia possint juste imponi graviora, apposita hac conditione, ut cessante causa cesset etiam effectus.

In iis locis (quemadmodum observavimus in multis urbibus et oppidis Italiae et Hispaniae), in quibus fere communiter omnes homines illorum locorum credunt, justa esse vectigalia et non immoderata, quamvis in imponendis et exigendis hujusmodi vectigalibus non servetur ad unguem justitia distributiva et inveniatur aliquis abusus ob defectum ministrorum, haec nihilominus ex nostra sententia obligant in conscientia subditos ad ea solvenda. Nam defectus ministrorum non debet vergere in detrimentum totius reipublicae; et ideo non possunt illa tuta conscientia defraudari.

In urbibus autem et oppidis, ubi major pars populi propter immoderata et nova vectigalia, quae imponuntur sine rationabili causa, auctis etiam veteribus, defraudationem non pro peccato habet, ubi[1] etiam defraudantes tantum puniuntur a judicibus, si deprehendantur in ipsa fraude, et rex sive respublica eos tolerat, non credo hujusmodi vectigalia sive duanas obligare in conscientia, sed

[1] In ms. verba *defraudationem — ubi* desunt.

Digitized by Google

solum ad poenam exteriorem, si deprehendantur in ipso crimine sive fraude, dummodo id non fiat contra conscientiam neque se exponant alicui periculo seu scandalo.

Eos, qui vectigalia fraudantur pro rebus necessariis ad se et suam familiam alendam, credo non obligari in conscientia ad restitutionem, nec defraudando peccare, nisi ratione scandali, periculi et aliarum circumstantiarum.

Non ignoro divum Antoninum et Navarrum contrarium sentire ab aliis doctoribus supra citatis, nimirum posse vectigalia juste imponi in iis rebus, quae sunt necessariae ad victum et propriam sustentationem. Ratio potissima illorum haec est, quia consuetudo potuit introducere id, quod lex potest, praesertim quum nostris temporibus id sit in frequentissimo usu. Salvo meliori judicio, cui perpetuo me submittam, crederem hoc licere urgente aliqua magna et evidenti necessitate et multo magis licere omnibus consentientibus; alioquin non mihi videntur juste exigi hujusmodi vectigalia. Nam ille usus introductus potius abusus videtur censendus. Et si tale vectigal imponeretur, non deberet comprehendere forenses, sed dumtaxat subditos, ut recte docent multi summistae. Causae urgentes et necessariae potissime sunt hae: Quando reges et respublicae, ut nos defendant, versantur in maxima inopia et necessitate, in quo casu ratio naturalis dictat, membrum teneri aliquid sibi subtrahere, ut capiti subveniat.

Dicimus[1] de clericis, quod ab omnibus exactionibus ipso jure sunt exempti, nisi sciant consensu pontificis illa exigi. Hoc tamen esset maxime cavendum, ut pauperes clerici, qui habent redditus dumtaxat necessarios ad vitam honeste alendam, non essent opprimendi hujusmodi impositionibus et aliis decimis. Nam ob inopiam necessariae sustentationis coguntur mendicare et alia multa indebite facere, quae adversantur honestati clericorum. Si clericus contra suum officium negotietur, de his tenetur vectigalia solvere, sicut et de bonis paternis tenetur tributa dare.

[1] Verba ms. quae praecedunt: *Hoc ipsum*, lacunam aliquam indicare videntur.

Digitized by Google

Quamobrem male faciunt principes et eorum ministri, imponentes certum tributum sive impositionem in tritico, vino, carnibus et aliis rebus necessariis ad humanam vitam, a quibus exactionibus in multis locis praesertim Italiae non eximuntur clerici neque pauperes religiosi. Idem censendum est, quum volentes[1] extrahere aut introducere bona necessaria ad vitae sustentationem, coguntur injusta tributa solvere, si ad hoc non concurrat consensus summi pontificis (quod non credo ob inopiam multorum religiosorum et religiosarum), certum est, eos non teneri in conscientia, remoto scandalo et aliis circumstantiis, ea solvere. Hi vero, qui sine tali facultate exigunt hujusmodi tributa a clericis, aut faciunt[2] exigere, ipso facto sunt excommunicati, quia contraveniunt ecclesiasticae libertati, qua liberi fuerunt clerici in novo et vetere testamento.

Collectae sive talliae, quae ad tempus imponuntur ob aliquod publicum et commune bonum seu commodum, si justae et moderatae sint, non est dubium, quin obligent subditos in conscientia, praesertim si omnes consenserint aut major pars. In his vero, quae immoderatae sunt, et in quibus non est servata debita proportio nec justitia distributiva, excessum illum justitiae defraudari possent ad redimendam vexationem, remoto periculo, scandalo et aliis, quae supra recensuimus.

Ultimo, maxime mihi probatur sententia Silvestri de Prieria in sua Summa verbo „gabella" qu. 3. in fine,[3] quae consistit in tribus conclusionibus. Quarum prima ita habet: ubi certi sumus de justitia tributorum, non est dubium, quin teneamur ea solvere in conscientia; secunda: si autem sint dubia, consulit, ante factum non esse defraudandam, ne defraudantes exponant se periculo; tertia: post factum vero dicit, non esse cogendos illos ad restitutionem, tum quia in pari causa potior est conditio possidentis, tum quia exponerent se periculo surripiendi ab illo, quod suum est; tutum tamen esset, ad hoc hortari. Prae-

[1] Ms. *volunt.*
[2] Ms. *facientes.*
[3] Edit. cit. fol. CCXI.

Digitized by Google

terea ex communi sententia theologorum, quoties de aliquo contractu variae sunt sententiae gravissimorum doctorum, licet unicuique tuta conscientia accedere illi sententiae, quae magis illi placet. Ergo quum haec sententia sit multorum gravissimorum hominum, licite ac tuta conscientia illam sequi possumus.

Caput IV. Rejiciuntur aliquae objectiones.

Quod si mihi objiciant ex recentioribus scriptoribus Alphonsum de Castro lib. 1. de lege poenali cap. 10,[1] qui videtur quodammodo adversari doctoribus supra citatis, plus aliis favens istis tributis et exactionibus, est excusandus, eo quod loquatur de tributis, quae in Hispania exiguntur, quae non sunt ita immoderata neque tam multa, ut sunt in Italia et in aliis provinciis. Si enim per aliquod tempus degisset Venetiis, non est dubium, ut mihi persuadeo, quin aliter scripsisset.

Praeterea si dicant principes, se non imponere hujusmodi tributa, ut ditiores fiant, sed potius ut solvant infinita debita, quae ex bellis contraxerunt superioribus annis, tum etiam ut reddant urbes munitiores et securiores, posset huic objectioni satisfieri in hunc modum: Si bella sunt justa, et munire urbes et eas securas reddere est necessarium, crederem juste exigi haec omnia tributa. Verum contingit (quod utinam non esset), bella aliquando non esse penitus justa, et munire urbes aliquas non esse admodum necessarium. Saepe etiam principes sunt prodigi in largiendo, ministri non sunt ita fideles, ut ab omnibus desideratur, et illorum expensae saepe immoderatae sunt et videntur quodammodo magis in munitis urbibus, castris et militibus spem collocare, quam in Deo, volentes tantum abundare in cautelis. Ideo[2] . . .

Et quamvis meum non sit de hac re ferre judicium, imo principum leges reverenter recipere, tamen meum est

[1] Vide supra pag. 385.

[2] Hic in ms. textus abrumpitur.

Digitized by Google

mederi in confessionibus animabus fidelium christianorum, quos invenio quotidie illaqueatos istis exactionibus. Quodsi nolumus illis impendere beneficium absolutionis, nisi restituant, conjicimus illos in magnam desperationem, et a sacramento confessionis et communionis avocantur, et peccatum, quod per poenitentiam non diluitur, mox suo pondere in alia infinita trahit. Si autem illos absolvimus, non cogendo eos ad restitutionem, vereor onerare propriam conscientiam et ne mea exigua caritas, quae me ad audiendas confessiones movet, contra propriam conscientiam militet.

Quamobrem, quemadmodum majores causae ad sedem apostolicam referuntur, ita nos ad tuam R. P. confugimus, ut de hac re nos instruas, et quam sententiam in hac re sequi debeamus ostendas, ut alacriori animo possimus confessiones, quae frequentissimae sunt apud nos, audire et animas fidelium christianorum consolari.

Digitized by Google

IV.

De beneficiis ecclesiasticis instructio ad usum confessariorum.

Quia saepe contingit periculose abuti potestate ligandi et absolvendi, vivificando animas, quae non vivunt, et mortificando eas, quae non moriuntur,[1] quum ii ad confessionem accedunt, qui vel plura beneficia habent, vel in iis non resident, vel immoderatas obtinent pensiones, ne id nobis nostro et eorum, qui ad nos veniunt, periculo contingat, notari possunt sequentes suppositiones et regulae ex iis deductae, quas ex ipso jure et doctoribus excerpsimus.

Caput I. De pluralitate beneficiorum.

Prima ergo suppositio sit, quaestionem, an liceat uni plura beneficia habere, non esse a jure divino expresse decisam.

Quod ex eo constat, quia neque pontifices dispensare contra jus divinum possunt, neque catholici doctores diversa sentirent; quae tamen fieri videmus. Satis fuit in scriptura fundamenta fidei et morum expresse declarari, ejusmodi vero, quae ad gubernationem ecclesiae pertinent, Spiritui Sancto, qui pastores et rectores ecclesiae erat docturus, tradenda relinquere et eorundem rectorum et pasto-

[1] Ezech 13, 19.

Digitized by Google

rum prudentiae. Idcirco loca, quae ex scripturis producuntur, non convincunt aperte, hanc pluralitatem esse illicitam. Nam quod ajunt, sacerdotes vel levitas, qui in una tribu domum vel suburbana habebant, non potuisse similem in alia tribu possidere portionem,[1] non convincit; quia illa divisio ad praecepta judicialia pertinebat, quae christianos non obligant, quum abrogata jam sint. Illa etiam sententia Domini: „Nemo potest duobus dominis servire,“[2] quia de dominis duobus contrariis loquitur, quales sunt Deus et mammona, non probat, aliquem duas habere ecclesias non posse; quia illae contrariae non sunt sibi, sicut neque plures civitates, quas videmus per unum principem regi. Neque illud illicitam beneficiorum pluralitatem probat, quod apostolus ait: „Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat;“[3] quia sicut quandoque expedit ecclesiae, ut unus plura habeat beneficia, ita nihil repugnat, Deum ad munus ea regendi quemcunque vocare. Sed nec illud expresse ad hanc rem decidendam sufficit, quod ait apostolus: „Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum sumus in Christo“[4] etc.; licet enim neque omnia membra eundem actum habeant, neque unum duo vel plura munera subeat, potest tamen ob necessitatem vel utilitatem aliud munus quandoque exercere. Nam licet manuum officium sit apprehendere, nihil tamen prohibet, ob necessitatem manibus quasi pedibus uti. Quod item ait apostolus, episcopum debere esse unius uxoris virum,[5] de vera uxore est accipiendum juxta literam; quodsi mystice ecclesiam uxoris vocabulo intelligamus, tunc illud praeceptum obligat, quum necessitas vel utilitas ecclesiae non postulat, ut quis plures habeat ecclesias.

Vera est igitur prima haec suppositio, quam etiam divus Thomas[6] asserit. Secunda suppositio: Unum cleri-

[1] Num. 35. 1 ss.; Deut. 10, 9; 12. 12; 14, 27. 29; 18, 1 ss.; Jos. 21.
[2] Matth. 6, 24. [3] I. Cor. 7, 20. [4] Rom. 12, 4. 5.
[5] I. Tim. 3, 2. [6] Quodlib. IX. qu. 7. art. 15.

Digitized by Google

cum plura habere beneficia, multa rationi dissona et absurda communiter continere, si jus naturae consulatur; quibus tamen interdum carere et licitum reddi potest.

Non enim ita illicitum est, unum plura habere beneficia, ut sit per se et essentiam suam malum, et[1] reddi nullo modo possit bonum, sicut mentiri vel invidere. Sed ita est illicitum, ut quoque licere possit, sicut hominem occidere; quod quamvis communiter malum sit, in casu tamen bonum redditur, utpote quum occisio[2] potestate publica fit ob delictum, quod mortem mereatur. Hujusmodi ergo est, unum clericum plura habere beneficia.

Communiter tamen contra Dei et proximi militat charitatem, et habenti valde nocet. Nam si Deus respiciatur, quum beneficia ob officia instituta sint, quot sunt beneficia, tot esse debent ministri divinae laudis praedicta officia exercentes; et ideo, quum unus plura habeat beneficia, Deum sua laude privat. Evenit etiam, ut cura animarum per plures pastores exercenda, si per unum vel plures mercenarios exerceatur, neglecta jaceat, aedificia etiam ecclesiastica collabantur et alia templorum ornamenta pereant; hospitalitas etiam per plures exercenda et aliae eleemosynae minuuntur. Quae omnia contra Dei charitatem fieri est manifestum. Proximi etiam charitas laeditur, quia saepe digni egent, dum alii luxuriantur et ebrii sunt; et ideo aufertur iis animus vacandi literis et bonis moribus, dum praemia ab iis tolluntur; datur etiam materia vagandi et necessitas, ut mendicent, urget. Fundatores quoque sive vivi sive defuncti injuria afficiuntur, dum non mandatur executioni lex, quam de sua re tulerunt. Ex quibus constat, hunc abusum laedere proximi charitatem.

Illi etiam, qui plura beneficia male obtinent, gravius se quam alios laedunt, dum contra rationem se ad plures operas praestandas ex ambitione et avaritia praesumptuose obligant; quum tamen nec idem operarius eandem operam diversis tribuat, neque fidelis dispensator uni ministro portiones

[1] In ms. sequitur *quod*.

[2] Ms. *occasio*.

Digitized by Google

decem ministrorum tribuat, neque idem membrum in diversis sit corporibus, neque idem lapis in diversis aedificiis, vel una arbor vel planta in diversis agris. Hi vero, quum vix operam unius praestent, in diversis tamen ecclesiis volunt esse, in quos recte Bernardus ait: „Unus es in officiis, et plures[1] in beneficiis, ergo pluris eris in suppliciis.“

Tertia suppositio sit: Sicut jure naturali consulto prohibetur communiter pluralitas beneficiorum, ita etiam prohibita est de jure canonico. Quod varii canones asserunt, ut De praebendis c. Quia in tantum[2] et c. Referente,[3] c. Ad haec,[4] c. Praeterea,[5] c. Quum non ignores,[6] c. De mulcta;[7] et De clericis non residentibus c. Quia nonnulli;[8] et De praebendis libro sexto c. Licet,[9] c. Quum singula;[10] et De praebendis Clementina Si plures;[11] et De praebendis Extravag. Exsecrabilis.[12] Quibus in locis prohibetur beneficiorum pluralitas. Sed quia in secunda suppositione diximus, incommoda, quae beneficiorum pluralitatem sequuntur, tolli posse, quum vel ecclesiae utilitas eam fieri postulat vel necessitas urget, ideo et jura canonica eandem pluralitatem licitam dicunt, quoniam cum dispensatione plura beneficia obtinentur, ut patet De praebendis c. De mulcta;[13] et De praebendis libro sexto c. Hi qui,[14] c. Non potest,[15] c. Si tibi;[16] et De praebendis Clem. Si dignitatem,[17] et Clem. Si plures, Clem. Si Romanus,[18] et Clem. Si juxta,[19] et de Praebendis Extravag. Exsecrabilis.

Ex suppositis inferantur sequentes regulae a confessoribus adnotandae circa beneficiorum pluralitatem.

[1] Ms. *pluris*.
[2] C. 5. (III, 5).
[3] C. 7. ibid.
[4] C. 13. ibid.
[5] C. 14. ibid.
[6] C. 15. ibid.
[7] C. 28. ibid.
[8] C. 3. (IV, 3).
[9] C. 2. (III, 4).
[10] C. 32. ibid.
[11] C. 3. (III, 2).
[12] C. 4. (III, 2).
[13] Capitibus jam supra citatis numeri iterum non addentur.
[14] C. 12. (III, 4).
[15] C. 21. ibid.
[16] C. 26. ibid.
[17] C. 1 (III, 2).
[18] C. 4. ibid.
[19] C. 6. ibid.

Digitized by Google

Harum prima est, quod ubi jus canonicum dispensat, licite quis habet plura beneficia, etiam curata. Quod probatur ex secunda et tertia suppositione. Si enim, ubi est utilitas vel necessitas ecclesiae, tolluntur mala, quae communiter sequi solent beneficiorum pluralitatem, et ideo in iis casibus dispensari potest et cum dispensatione licite haberi, sequitur quod dispensante jure (quod nonnisi ob necessitatem vel utilitatem ecclesiae facit), licite aliquis plura habet beneficia.

Dispensat autem jus in quinque casibus.

Quorum primus est, quum beneficia ita tenuia sunt, ut unum eorum non possit ita sustentare eundem ministrum, ut ecclesiae utilitas requireret; quod additur, quia ubi beneficium posset sustentare ministrum vilioris conditionis idoneum illi ministerio,[1] non est opus multa beneficia similia tribuere alicui nobili vel pomposo, quia sufficientia haec reddituum non tam referenda est ad commodum personae quam ecclesiae. Quod autem in hoc primo casu jus dispenset, patet ex c. Unio C. 10. q. 3.[2] Debet autem censeri, quod requiratur ad convenientem sustentationem, a probo et prudenti viro, considerante varietatem temporum, locorum et personarum. Nam, ut Dionysius Carthusianus ait, anno Domini 1208 doctores Parisienses judicaverunt, sufficere ad sustentationem ministrorum beneficium habens annuos redditus 15 librarum Parisiensium, et plura beneficia hujus valoris non posse ab uno licite retineri; postea vero patres concilii Basileensis censuerunt, ad sustentationem unius doctoris sufficere ducentos florenos; nunc autem pluribus opus est.

Secundus casus est, quando rari clerici reperiuntur idonei; tunc enim praestat uni plura committere idoneo, quae vicissim curet, quam singulis singula ineptis tribuere. Hic autem casus habetur in c. Clericus C. 21. q. 1.[3]

Tertius casus est, quum una ecclesia pendet ex alia ecclesia, quia ad invicem sunt conjunctae; modo tamen unio ob necessitatem vel utilitatem ecclesiarum facta sit,

[1] Ms. *ministro.* [2] C. 3. [3] C. 1.

Digitized by Google

et non in damnum ecclesiae ob commoditatem et utilitatem privatam. Et hic casus habetur in c. Eam te De qualitate ordinandorum.[1]

Quartus casus est, quando ecclesia est annexa alicui praebendae vel dignitati, fundatae in ecclesia cathedrali, quae quidem residentiam requirit, modo tamen in beneficio annexo habet sufficientem vicarium. Hic casus constat ex c. Extirpandae De praebendis;[2] quamvis forte intelligendus esset, quando plus prodesset ecclesiae residentia in ecclesia cathedrali, quam in beneficio annexo, ut erat olim, quum canonici et alii dignitates vel praebendas habentes erant consultores episcopi vel exercebant aliquam jurisdictionem; nunc vero, quum otiosi sint et tamen occupent sedem aliquam, praestaret fortassis residere[3] in beneficio curam habente animarum, quam in ecclesia cathedrali.

Quintus casus est, quum quis habet unum beneficium in titulo et aliud in commenda. Quod tamen intelligendum est, quando commenda haec sit ex necessitate ecclesiae, quum non reperitur idoneus ad tale beneficium recipiendum in titulo, vel quando utilitas ecclesiae id poscit. Secus autem res haberet, si respiceretur tantum utilitas privata. Ea vero commenda fit ad utilitatem ecclesiae, si curam habet animarum et tale beneficium committitur idoneo, vigesimum quintum annum attingenti, et ita, ut ad sex menses illam habeat commendatam; c. Nemo De electione libro sexto.[4] Unde perpetui commendatarii in fraudem juris, prohibentis habere plura beneficia, introducti videntur.

Secunda regula sit: Extra dictos casus juris, ubi adest justa causa dispensandi et accedit summi pontificis vel alterius, ad quem pertinet, dispensatio, licite quis habet plura beneficia, etiam curata. Quod patet ex superiori regula. Nam si, ubi jus dispensat, id licet, quia adest justa causa simul cum juris dispensatione, ergo idem erit

[1] C. 4. (I, 14).
[2] C. 30 (III, 5).
[3] Ms. *praesidere*.
[4] C. 15. (I, 6)

Digitized by Google

ubi is, ad quem pertinet, dispensat, quum adest causa. Ut enim excommunicatio, quae a judice fertur, ligat, sicut illa, quae fertur a jure, ita etiam dispensatio, quae fit ab homine, relaxat, sicut illa, quae fit a jure. Est autem justa causa dispensandi vel necessitas, quando non sunt ministri idonei vel beneficia sunt parva, vel utilitas ecclesiae, quae aequalis vel major quandoque est ob nobilitatem vel literaturam vel sanctitatem unius ministri, ac si plures eo inferiores ministrarent, ut dicitur in cap. De mulcta De praebendis. Quod tamen intelligendum est, ubi jam dicta nobilitas vel literatura vel sanctitas re vera plus vel aeque prodest ecclesiae, non autem ubi solum prodesse posset. Nec enim sat est ovibus, quod quis nobilitate vel scientia possit illis plus prodesse, si adesset, ubi absens est; sed opus est, ut resideat et dictis dotibus serviat animarum saluti. Et ideo communiter loquendo, ut Dionysius Carthusianus ait, praestaret hujusmodi literatis vel nobilibus singula beneficia pinguiora concedere, quam plura in unum congerere.

Tertia regula est: Licet adsint justae causae dispensandi, si non adsit dispensatio, non licet plura habere beneficia, quorum unum sufficit alere ministrum, nisi forte ubi adest probata consuetudo in contrarium. Quod probatur, quia quamvis, ubi est causa dispensandi, pluralitas beneficiorum non repugnat juri naturae, quod in eo casu non militat, pugnat tamen[1] contra jus positivum, ut tertia suppositione citatum est, quod hujusmodi pluralitatem prohibet, nisi forte contraria consuetudine esset abrogatum. Talis enim consuetudo vicem dispensationis obtinet.

Quarta regula est: Licet adsit dispensatio, si tamen non est justa causa dispensandi, non licere in foro conscientiae habere plura beneficia etiam non curata, modo unum sufficiat ad alendum ministrum, tenerique eum, qui plura habet beneficia, uno retento, reliqua renuntiare. Quae sententia fere est omnium doctorum, quam tenent divus

[1] Ms. *autem.*

Digitized by Google

Thomas[1], Guilelmus Parisiensis libro de collatione beneficiorum, auctor libri apum[2], auctor libri de virtutibus et vitiis, Dionysius Carthusianus in libro de pluralitate beneficiorum[3], Gabriel in quarto sententiarum et alii summistae, Abbas[4] etiam et Ostiensis[5] super caput Exstirpandae De praebendis. Quae regula probatur primo, quia quum dicti doctores, qui religiosi erant et sine passione in hac re judicabant, quum plura beneficia non haberent, quum illi, inquam, ita sentiant, potius eis credendum est, quam aliis, qui paucissimi sunt, vel qui plura beneficia habent vel habere volunt. Ideo periculo se exponit, qui illis potius credit, quam aliis. Secundo quia, quum habere plura beneficia, non sit mere positivum, ut putavit Innocentius IV., sed potius contra jus naturae, ut probatum est, sequitur, quod papa dispensare non potest, quia nec potest violare jus naturae, et quia pontifex dispensator est, non dominus beneficiorum. Ideo dissipare illa non potest per se ipsum, nec cum alio dispensare, ut ea dissipet. Tertio quia, quum unum beneficium sufficiat ad alendum ministrum, ex ambitione vel avaritia quis plura accipit. Quae duo vitiosa dispensatio non potest licita reddere.

Neque militant objectiones, quae contra hanc doctrinam fieri solent.

Quarum prima est: Licite potest quis obtinere unum beneficium quantumvis pingue. Igitur poterit habere plura tantumdem reddituum habentia, quantum illud pingue habet. Respondetur, non sequi id licere; quia unicum beneficium, quantumvis pingue, unicum servitium exigit, plura vero beneficia, quantumvis tenuia, plura servitia vel officia requirunt. Ideo eis non sufficit unicus minister. —

[1] Quodl. IX. qu. 7. art. 15.

[2] Intelligi videtur Thomas Cantimpratanus, qui scripsit De bono universali sive De apibus mysticis.

[3] Opuscula Dionysii C insigniora, ed. Coloniae Agrippinae 1559, p. 1165 ss.

[4] Videlicet Panormitanus (Tudeschi † 1445).

[5] Henricus de Bartholomaeis, card. Ostiensis, † 1271.

Digitized by Google

Secunda objectio sit, quia tunc dispensatio nihil valeret, et perinde esset, ac si papa non dispensaret. Respondetur, dispensationem prodesse non quidem, ut liceat id, quod est contra jus naturae, sed ut censurae canonicae, quas incurreret is, qui plura beneficia sine dispensatione haberet, tollantur, et ut titulum in foro exteriori habeat. Ideo Gregorius pontifex requisitus a fratre Bernardo dominicano, an dispensatio redderet tutos eos, qui plura habent beneficia, fertur respondisse: Non possum nisi tantum super vexatione detinentium dispensare. Solum igitur dispensatio facit, ne vexentur a judicibus, qui plura detinent beneficia. — Tertia objectio est: Innocentius quartus super c. Quum ad monasterium De statu monachorum[1] ait, licere quidem plura habere beneficia, modo papa dispenset. Respondetur, non esse sequendum hac in re Innocentium, quod longe plures contrarium sentiant theologi et canonistae; tum etiam, quia falso nititur fundamento; putat enim, pluralitatem beneficiorum tantum esse prohibitum jure positivo, quam tamen probavimus jure naturae prohiberi, quum non adest causa dispensandi. — Quarta: Possunt bene expendi redditus in pias causas; ergo ita expendenti licebit plura habere beneficia. Respondetur, non sat esse bene expendere fructus; sed opus esse, ut praestet quis officia, ad quae exhibenda beneficia sunt instituta. Nec enim sat est, ut quis bene expendat salarium regium, sed opus est, ut exhibeatur regi servitium, propter quod salarium recipitur. — Quinta: Quia habet quis vicarium bene servientem; ergo tunc licebit habere plura beneficia. Respondetur, raro accidere, ut mercenarius tam bene serviat, ut proprius pastor. Et quando id accideret, illi potius, qui laborat, dandi essent fructus, et non pastori non servienti. Liceret etiam habere beneficia mulieribus, si sat esset per personas vicarias servire.

Quinta regula, quae aliarum epilogus est: Tunc solum habere plura beneficia licere, quando concurrunt duo; alterum est: causa dispensandi ob publicam sive utilitatem ecclesiae vel ejus necessitatem; alterum est: dispensatio

[1] C. 6. (III, 35).

Digitized by Google

pontificis vel alterius habentis auctoritatem, vel consuetudo vim dispensationis obtinens. Quando vero utrumque horum deest, vel alterum, illicita est beneficiorum pluralitas.

De qua, quae dicta sunt, sufficiant.

Caput II. De residentia.

Circa residentiam sit prima suppositio, quaestionem, an liceat non residere eum, qui curam habet animarum sive beneficium, quod servitium exigit in certo loco, non esse expresse decisam jure divino. Quod ex eo constat, quia doctores catholici de hoc dissident, et jura et pontifices saepe dispensant; quod non eveniret, si jus divinum clare et expresse non residentem damnaret.

Secunda suppositio sit ista: Episcopum sive curatum non residere, multa deformia et juri naturae adversa continere, sed quae necessitate vel utilitate tolli possint. Eadem enim absurda comitantur nonresidentiam, quae beneficiorum pluralitatem. Est enim hoc in Dei cultum, qui per mercenarios sordide et negligenter tractatur vel omnino omittitur; et aedificia corruunt ecclesiastica, et minuitur hospitalitas, crescente interim numero mercenariorum et episcoporum titularium. Est etiam hoc in proximi damnum, quia animae pereunt et dissipantur, eo quod non sit pastor, cujus exemplo et doctrina recuperentur. Defraudatur etiam fundator et collator beneficii, qui voluit serviri per virum probum et doctum, qui titulum haberet. Sibi etiam ille, qui non residet, plus nocet, quam aliis; quia contra rationem et charitatem facit, quum pastor et vigil et custos et medicus spiritualis ac nauta, qui ob officium stipendia accipit, ex socordia vel ambitione vel cupiditate a grege pascendo et custodiendo et regendo abest et sponsae suae non adhaeret, sed eam mercenario supponit, et prolem, quam ipse nutrire debuerat, more meretricum aliis nutriendam tradit. Quae tamen absurda procul dubio omnia tolluntur, quum necessitas vel utilitas ecclesiae pastoris absentiam postulat.

Digitized by Google

Tertia suppositio sit: Ecclesiasticum ministrum non residentem non solum violare jus naturae, ut dictum est, sed etiam jus positivum, licet in casu possit dispensari. Jus enim positivum et canonicum multis in locis residentiam praecipit, ut patet in c. Ex gestis,[1] c. Quia nonnulli,[2] c. Conquerente,[3] c. Relatum,[4] c. Ex parte,[5] c. Qualiter,[6] c. Inter,[7] c. Ex tuae,[8] c. Quum ad hoc,[9] c. Clericos[10] De clericis non residentibus; et C. 7. q. 1. c. Si quis[11] et c. Placuit[12] et c. Sciscitaris;[13] et C. 10. q. 1. c. Decrevimus.[14] In concilio etiam Antiocheno can. 21.[15] idem praecipitur, et in Sardicensi can. 14.,[16] et in sexta synodo can. 80.[17] et in concilio Tridentino sessione sexta de ref. cap. 1. Quibus in locis ita praecipitur residentia, ut in casu dispensari possit, ut colligitur ex c. Relatum et c. Inter quatuor,[18] et c. Ex parte De clericis non residentibus, et ex c. Consuetudinem De clerico non residente libro sexto.[19]

His suppositis sit prima regula, quod ubi concurrunt licentia sive dispensatio juris vel hominis vel consuetudo eam supplens et justa causa non residendi, licet non residere eum, qui idoneum habet vicarium loco sui residentem. Quando enim haec duo concurrunt, nec in jus divinum aut naturale est talis absentia, quia adest

[1] C. 2. (III. 4).
[2] C. 3. ibid.
[3] C. 6. ibid.
[4] C. 4. ibid.
[5] C. 8. ibid.
[6] C. 9. ibid.
[7] C. 10. ibid.
[8] C. 11. ibid.
[9] C. 16. ibid.
[10] C. 17. ibid.
[11] C. 29.
[12] C. 21. l. c
[13] C. 47. l. c.
[14] C. 10.

[15] Textus hujus canonis concilii Antiocheni (a. 341 „in encaeniis" habiti) extat apud Mansi VI, 1165.

[16] Textus apud Mansi VI, 1148. Idem canon concilii Sardicensis (a. 343) alias XI. numeratur Cf. Hefele, Conciliengeschichte 2. edit. I, 591.

[17] Potius Quinisextae vel Trullanae synodi (a. 692) can. 80. apud Mansi XI, 930 ss.

[18] C. 10. (III, 4).
[19] C. unic. (III, 3).

Digitized by Google

causa, nec in jus positivum, quia adest dispensatio ipso jure probata vel consuetudo jus positivum abrogans. Causae autem non residendi ad necessitatem vel utilitatem ecclesiae reducuntur, ut patet ex c. Consuetudinem[1] De clerico non residente libro sexto. — Harum autem causarum prima est corporalis aegritudo, quae excusat a residentia, ut patet ex c. Ad audientiam De clericis non residentibus, et c. Consuetudinem De clericis non residentibus libro sexto. Quod tamen intelligendum est, quum salus animarum non exigit ejus praesentiam. Quae ubi exigitur,[2] debet animam suam ponere pro ovibus suis. — Secunda causa non residendi est vis aliqua; ut quum aliquis extra ecclesiam suam captivus retinetur. Nec enim talem Deus ad impossibile obligat. — Tertia est, quum personae praelati imminet periculum ob privatam invidiam vel ob odium ipsius. Tunc enim potest non residere, ut patet ex c. Pastoralis C. 7. q. 1.[3] Secus autem res haberet, si tota ecclesia sua impeteretur. Hic enim deberet adesse ei usque ad mortem. — Quarta est tenuitas beneficii non potentis alere residentem. Tunc enim non obligatur suo sumptu evangelium praedicare.[4] — Quinta est, quum licita est beneficiorum pluralitas. Quo casu, modo in uno resideat beneficio, potest in alio per vicarium servire, ut patet c. Super eo,[5] c. Quum singula[6] De praebendis sexto libro. — Sexta causa est excellentia in literis vel bonitate, plus juvans in absentia, quam juvaret alius praesens. Quae quum accidunt, causa sunt, ut quis possit habere plura beneficia et consequenter excusari a residentia. — Septima est persecutio juris sui ad tempus. Quando enim quis persequitur jus suum, modo vicarium idoneum habeat, potest ab ecclesia abesse ad tempus, ut patet ex c. Ex parte tua[7] De clerico non residente. — Octava est studium theologiae, ob quod per

[1] C. 15. (III, 4).
[2] Ms. sine sensu: *qua ubi erigere.*
[3] C. 42.
[4] Ms. *sine sumptu evangelium ponere.*
[5] C. 6. (III, 4). [6] C. 32. ibid.
[7] C. 13. ibid.

Digitized by Google

quinque annos abesse potest, c. Relatum est, c. Tuae[1] De clericis non residentibus. — Nona est lectio theologiae, ob quam per totam vitam abesse potest. — Decima, peregrinatio devotionis causa ad tempus. — Undecima, utilis recreatio ad modicum tempus. — Duodecima, praedicatio ecclesiae utilior quam residentia. — Decima tertia, servitium papae, modo fiat praecipue ob utilitatem ecclesiae, et ut papae ad eam promovendam serviat, et non ob ambitionem vel avaritiam, ut patet c. Quum dilectus[2] De clericis non residentibus. — Decima quarta, servitium simile episcopi; cui duo canonici inservire possunt et abesse, c. De caetero[3] et c. Ad audientiam De clericis non residentibus. Et idem videtur de iis qui inserviunt legato. — Decima quinta, utilitas ecclesiae universalis, ut quum quis pergit ad concilium vel sit legatus ad res spirituales vel inquisitor vel cardinalis vicinum habens episcopatum. Non excusaretur autem, qui ob officia temporalia a grege abesset, maxime perpetuo, contra illud apostoli: „Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.“[4] — Decima sexta est necessitas ecclesiae suae requirens absentiam, vel major necessitas alterius ecclesiae exigens, ut ad tempus absit ab ecclesia sua. — Hae igitur et similes causae quum adsunt, et accedit licentia superiorum vel consuetudo, excusant non residentem.

Secunda regula est: Ubi est justa causa non residendi, nec tamen adest licentia aut consuetudo excusans, peccat non residens, si residere potest. Agit enim talis contra jus positivum citatum in tertia suppositione.

Tertia regula est: Ubi adest licentia non residendi vel consuetudo excusans, non tamen adsunt causae non residendi, peccat ille, qui non residet; quia licet non incurrat censuras juris positivi, violat tamen charitatem et jus naturae, ut secunda suppositione fuit ostensum.

Ultima et epilogus est, quod ubi concurrunt causae non residendi et licentia vel consuetudo, licite non residet

[1] C. 12. (III, 4).
[2] C. 14. ibid.
[3] C. 7 ibid.
[4] II. Tim. 2. 4.

Digitized by Google

quis; ubi autem utrumque horum adesset vel alterum, non excusat eum, qui abest a sua ecclesia.

Et haec de residentia dicta sufficiant.

Caput III. De pensionibus.

Circa pensiones prima sit suppositio, fructus beneficiorum collatos esse tum ad ministros divini cultus alendos, tum etiam ad expensas fabricae et ceterorum vasorum divini cultus, tum demum ad pauperes sustentandos vel alia pietatis opera; quod constat ex C. 12. q. 2. c. Vobis enim[1] et c. De redditibus,[2] et C. 12. q. 1. c. Res.[3] — Secunda suppositio sit, fructuum beneficiorum papam non esse dominum, sed principalem dispensatorem, ut inter alia colligitur ex c. Res C. 12. q. 1. — Tertia suppositio sit, pensionarium communiter loquendo non habere titulum nec officium, sed tantum jus percipiendi fructus sibi assignatos; et ideo pensio redimi potest, si non est annexa spirituali servitio; ut fit, quum datur alicui clerico pensio, ut coadjutor sit habentis titulum. Tunc enim talis pensio virtute est beneficium, et ideo redimi non potest, sicut nec beneficium.

His suppositis sit prima regula: Quum adest dispensatio sive assignatio pensionis per eum, ad quem spectat eam assignare, et adest etiam causa assignandi et modus conveniens, licite quis habet pensionem in uno vel pluribus beneficiis. Ille autem, cujus solius est assignare pensionem, est summus pontifex, ut consuetudo jam obtinuit.

Causae vero pensiones assignandi sunt variae. Prima, permutatio pinguioris beneficii cum alio tenuiorum reddituum; tunc enim, ut aequentur fructus, licet assignare pensionem in beneficio pinguiori, ut patet ex c. Ad quaestiones[4] De rerum permutatione. Cavendum tamen est, ut nihil detur ratione majoris dignitatis beneficii, quod quis permutat. Esset enim hoc simonia, quia venderetur

[1] C. 23. [2] C 28. l. c. [3] C. 26.
[4] C 6. (III, 19). *Ad quaestiones* deest in ms.

Digitized by Google

honor spiritualis. — Secunda causa est diremptio dubiae litis, quae ut tollatur, licet rem componere, assignato titulo et aliqua parte fructuum alteri litigantium, pensione concessa reliquo, ut patet ex c. Nisi essent De praebendis.[1] — Tertia est servitium spirituale, quod quis actu impendit ecclesiae; ut quum quis est coadjutor episcopi vel negotia ecclesiae gerit in concilio vel in curia. Hujusmodi enim statui potest pensio, unde quis vivat, quia „dignus est operarius cibo suo.“[2] — Quarta est servitium aliquod temporale, quod quis impendit ecclesiae. Eadem enim ratione statui potest pensio vel militi ecclesiam defendenti vel oeconomo vel ei, qui pulsat campanas, et similibus. Sic etiam regibus Hispaniae assignatur decimarum tertia pars. — Quinta est benemeritum fuisse quempiam de ecclesia ob hujusmodi temporalia vel spiritualia servitia. Talibus enim ut emeritis assignari possunt pensiones. — Sexta est, ut alatur, nutriatur et erudiatur ecclesiae futurus minister. Ad id enim potest assignari pensio pueris; sicut instituta dicuntur in Hispania praestimonia ad eum finem. — Septima est paupertas; pauperi enim clerico potest assignari pensio, ut possit sustentari juxta gradum suum. Nam ad pauperes alendos sunt instituti redditus ecclesiae.

Modus autem conveniens assignandi pensionem est, ubi servatur primo hoc, ne beneficium, super quod pensio assignatur, ita macrum reddatur, ut non possit minister convenienter sustentari. Ex hoc enim abusu cogitur habens titulum beneficii sordida quaeque committere, ut sustentetur. Fit etiam, ut aliquis habens unum beneficium cum fructibus et pensionem exhaurientem fructus alterius plus peccet, quam si haberet utrumque beneficium. Curaret enim utrumque, quum modo nihil curet, nisi fructus exigere. — Secundo cavendum est, ne coacerventur pensiones, ut excedant necessitatem ejus, cui conferuntur, nisi forte talis esset, ut ei quasi fideli dispensatori tuto possent committi; alias enim magnus est abusus, ut aliquis,

[1] C 21. (III, 5)

[2] Matth. 10, 10.

Digitized by Google

qui ecclesiae nullo modo prosit, titulo solius nobilitatis vel literaturae occupet redditus multis pauperibus dispensandos.

Ubi ergo adest papae licentia statuentis pensionem et simul causa eam statuendi et modus conveniens jam dictus, licite quis obtinet pensionem; quia nec peccat contra jus positivum, quum papa dispenset, nec contra jus naturae vel divinum, quum causa et modus conveniens adsit.

Secunda regula est, licet adsit dispensatio, si tamen non adsit causa vel modus conveniens, non est quis tutus in conscientia, licet non incurrat censuras juris. Peccat enim talis contra rationem naturalem, a quo non excusat papae dispensatio vel pensionis constitutio.

Tertia regula est, licet adesset causa et modus, si papae dispensatio non adesset vel constitutio, peccat pensionem obtinens, quia laedit auctoritatem pontificalem, cujus est jus hujusmodi pensiones statuendi; de quibus jam dicta sufficiant.

Digitized by Google

V.

De muneribus episcopalibus rite obeundis instructiones diversae.

Instructio visitationis dioecesium.

Primo loco videtur synodus dioecesana instituenda, qua synodo antiqui canones dioecesani confirmentur; et si quid pro temporis ac morum exigentia sit antiquandum vel etiam addendum, id fiat consulte. Est autem primaria ratio habenda in synodo haeresium miserae hujus aetatis, et providendum, ut ecclesia in puritate et sinceritate fidei orthodoxae conservetur et confirmetur. Nihil vero agatur de dogmatibus, quasi velit de his statuere (quod est summi pontificis et concilii generalis), sed decreta edita legitime suscipiat reverenter.

De officio inquisitionis fidei nihil dicimus, quandoquidem sunt in eo judices constituti apostolica auctoritate, qui pari jure in illo versantur. Nihilominus erit episcopi advertere, quando necessitas illud exigat, et si inquisitores in aliquo deficiant, erit ad summum pontificem referendum.

Episcopus tenetur singulis annis visitare suos dioecesanos, ut habetur C. 10. q. 1. c. Decrevimus;[1] et D. Antoninus hoc ipsum refert in sua Summa, ubi multa de hac re proponit.

[1] C. 10.

Digitized by Google

Praelatus visitaturus suam dioecesim debet excipi debita solemnitate in omnibus locis.[1] Quum primum pervenerit ipse sive visitator in urbem seu oppidum, de quo instituenda est visitatio, publico edicto praecipiatur omnibus sub poena excommunicationis deferre ad praelatum publica peccata, scandala ac reliquos abusus pertinentes ad ecclesiasticam jurisdictionem. Deinde primum omnium instituatur generalis visitatio ex sequenti formula per idoneos ministros, singulos singularum regionum sive partium urbis, quibus etiam dividatur visitatio districtus. Ex relatione visitatorum autem poterit institui reformatio; et si expedire videretur iisdem ipsis visitatoribus committi exequenda, instituantur observatores per singulas regiones sive parochias, viri probati, qui referant ad commissarios regionum sive ad ipsum episcopum, si quid ex formula reformationis non observetur; ut juxta acceptam facultatem emendetur, si quid sit emendatione dignum. Ecclesias[2] omnes redigat in parochias, si sint vel dissipatae vel exiles, et earum habeat sollicitudinem ac curam in Domino efficacem; nam proprium est episcopi unire hujusmodi ecclesias.

Pro ratione vero visitationis libet primum referre loca aliquot ex sacris canonibus, tum aliqua[3] ex ipsa consuetudine ecclesiae. Quibus peractis, ordinem et modum visitandi aggrediemur.

Innocentius tertius ait: „Porro visitationis officium exercentes, non quaerant, quae sua sunt, sed quae Jesu Christi[4], praedicationi et cohortationi, correctioni et reformationi vacando, ut fructum referant, qui non perit.“ Extra De censibus c. Procurationes.[5]

Innocentius quartus: „Statuimus, ut quilibet archiepiscopus suam volens visitare provinciam, prius ecclesiae suae capitulum ac civitatem et dioecesim propriam plene visitare procuret, nec sit solum erga majorum, sed etiam minorum ecclesiarum, nec circa clericorum tantum,

[1] De ordine visitandi libellus, in principio
[2] Ms. *Alios*.
[3] *Aliqua* deest in ms.
[4] Phil. 2, 21.
[5] C. 23. (III, 39).

Digitized by Google

sed etiam populorum visitationem intentus.“ Extra De censibus c. Romana ecclesia §. eodem, libro sexto. Et infra eodem §. Sane: „Sane hujusmodi impensurus officium proposito verbo Dei quaerat de vita et conversatione ministrantium in ecclesiis et locis aliis divino cultui deputatis, ac ceteris, quae ad officium ipsum spectant, absque coactione et exactione qualibet juramenti, ad ipsorum emendationem per salubria monita, nunc levia, nunc aspera, juxta datam sibi a Deo prudentiam diligenter intendens. Quodsi de aliquibus orta fuerit infamia, contra eos ordinariis ipsorum, ut super his solemniter inquirant, denuntiet, si viderit expedire. Notoria vero crimina, quae examinatione non egeant, quum super his merito notari possit ordinariorum negligentia eorundem, libere corrigat, poenam pro illis debitam infligendo.“ Infra, eodem, §. finali: „Hanc autem visitandi formam ab universis, etiam episcopis aliisque praelatis, ordinario jure suos subjectos visitantibus plene observari praecipimus, salvis super hoc rationabilibus et approbatis religiosorum consuetudinibus et regularibus institutis.“ Ex Pontificali.[1] „Fit visitatio parochiarum, quandoquidem sacri canones et ecclesiasticus ordo hanc fieri praecipiunt propter multa. Primo ad absolvendas animas defunctorum. Secundo, ut sciat et videat, qualiter ecclesia ipsa spiritualiter et temporaliter gubernetur, quomodo se habeat in ornamentis, qualiter ibi ecclesiastica sacramenta ministrantur et divina officia peraguntur, quale servitium ibi impenditur, qualis sit vita ministrorum et populi, ut ex officio inquisitionis suae per eum, si qua in praemissis corrigenda fuerint, corrigantur et emendentur; et praecipiat fieri libros et alia ecclesiastica ornamenta. Tertio ad adulteria, fornicationes, sacrilegia, divinationes et similia publica in publicum punienda, ad quod interdum non sufficiunt ecclesiarum rectores; ostendens diligenter populo, quam damnabilia et detestanda sunt crimina ipsa. Quarto propter casus, qui de jure vel

[1] Quae hic afferuntur, desumpta sunt ex veteri textu Pontificalis, qui in pluribus ab hodierno, a Benedicto XIV. recognito, discrepat.

Digitized by Google

consuetudine ad episcopum dumtaxat pertinere noscuntur, qui in constitutionibus synodalibus continentur, de quibus nullus alius se intromittere potest; protestans plebi, quod si quis in aliquo ipsorum casuum vel in quocunque alio consilio ejus indiguerit, paratus sit benigne audire et consilium et absolutionem impendere ac poenitentiam misericorditer injungere salutarem. Quinto ad exhibendum sacramentum confirmationis, quod nullus alius nisi solus episcopus ex divina et apostolica auctoritate dare potest.[1] Sexto inducat diligenter populum ad poenitentiam et instruat in ecclesiasticis sacramentis et articulis fidei, et qualiter debent declinare a malo et facere bonum, fugere vitia et sectari virtutes, et alteri non facere, quod sibi fieri nolunt. . .

His peractis, depositis stola et pluviali nigris seu violaceis et sumptis albis, poterit pontifex confirmare pueros praemissa monitione et aliis, prout in pontificali in principio de chrismandis in fronte dictum est; vel si placet, poterit pontifex illud pro alia hora vel die reservare et successive alia faciet, quae supra proposuit se facturum. Expedita itaque confirmatione et benedictis ornamentis, si quae benedicenda sunt, depositisque indumentis ecclesiasticis, confessiones ac deinde querelas, si quae sunt, audiet; tum de conversatione cleri et populi, et qualiter spiritualia et temporalia in ipsa ecclesia ministrantur, et de libris et ornamentis diligenter de plano inquirit."

Quam ob rem visitatio generalis versabitur primo circa clericos omnes tam simplices quam parochos et circa curam illorum, ubi de confessario et concionatore aliqua subjiciemus. Secundo versabitur circa ecclesias et res omnes ecclesiasticas. Tertio circa monasteria tam monialium quam monachorum, quae episcopo erunt subjecta; reliqua, in quae ei jus non erit, curabit visitari a suis praelatis et reformari, si reformatione egebunt; quod si alia ratione id non fiat, per summum pontificem curet diligenter faciendum. Quarto versabitur circa hospitalia. Quinto circa scholas,

[1] Pontificale Benedicti XIV. loco *quod nullus* etc. habet: *cujus solus episcopus ordinarius minister est.*

Digitized by Google

paedagogia et praeceptores, qui illis praesunt. Sexto circa oratoria et congregationes, qui ex pietate ac devotione solent institui, tum etiam circa ministros publicos; quales sunt judices, notarii et id genus alii. Ultimo aliqua annotabuntur circa populum, quibus mores civitatis ad pietatem componi possint in Christo. Haec quae hactenus recensuimus, ad jurisdictionem ecclesiasticam et curam episcopalem unice atque immediate attinent, sive crimina spectes sive eprsonas.

Circa simplicem clericum haec possunt interrogari.

Primo, cujas sit. Secundo, quibus studiis operam dederit, sub quibus praeceptoribus et quantum in illis profecerit. Tertio, quando primum sit factus sacerdos. Quarto, a quo ordinatus. Quinto, ostendat titulos suae promotionis. Sexto, cujus licentia. Septimo, ad quem titulum. Octavo, an absque impedimento.

Potissima impedimenta sunt haec: 1. Si per simoniam propriam vel alienam susceperit ordines; 2. si nothus; 3. si irregularis; 4. si extra tempora; 5. si illegitima aetate; 6. si publice poenitens; 7. si eodem die duos sacros ordines susceperit; 8. si excommunicatus; 9. si defectum habens notabilem; 10. si morbum caducum et alia id genus impedimenta, de quibus dictum est in officio examinatoris;[1] 11. si furtive, de quo dictum est c. Innotuit De eo qui furtive ordinem suscepit;[2] 12. si per saltum, de quo est argumentum totius tituli De clerico non ordinato, ministrante;[3] 13. si in ordinatione sunt omissa aliqua, quae sunt de substantia vel de praecepto. Vide Sylvestrum verbo: „Irregularitas“;[4] 14. si in peccato mortali accepit ordines aut ministraverit aliquod sacramentum, sive tetigerit res sacras, aut simile aliquid ministraverit

[1] Videtur indicari instructio. quam infra pag. 435 dabimus eo loco, quo in ms. nostro invenitur.

[2] C. 3. (V, 30). [3] V, 28.

[4] Videlicet Sylvestri Prieriae Summam supra pag. 384 citatam.

Digitized by Google

tanquam minister ecclesiae, de quo lege divum Thomam in 4. dist. tertia et 24. et 3. parte q. 64. art. 6. et Sylvestrum v. ordo 4. q. 1.; 15. si acceperit ordines ignarus et simoniace, de quo lege c. Illiteratos dist. 36.[1] et Innocentium in cap. Tanta De excessibus praelatorum[2] et Extravag. 2. De simonia.[3] Haec de impedimentis.

Debet hic prudens visitator notare, multa hic dici, quae non sunt punienda, nisi publice pateant; ut 1. an sit sanae doctrinae; 2. num sciat se[4] aliquod peccatum mortale commisisse, de quo sit infamia vel scandalum; 3. num sit in statu peccati, ut si sit apostata vel concubinarius vel aleator vel usurarius; 4. si sit blasphemus, si frequenter juret et facile; 5. si rixosus; 6. cum quibus hominibus soleat habere consuetudinem; 7. num familiaritatem habeat cum mulieribus et cum illis simul cohabitet, etiamsi nihil sinistri de eo audiatur, praeterquam cum matre et amita. De quo lege argumentum c. 3. Ecclesiastici („Qui amat periculum in illo peribit"[5]) et c. Si quis autem De poenitentia dist. 7[6] et titulum De cohabitatione clericorum et mulierum;[7] 8. si frequentet monasteria monialium sine rationabili causa, de quo vide c. Monasteria De vita et honestate clericorum;[8] 9. si incedat honesto habitu et tonsura, de quo lege c. Si quis De vita et honestate;[9] 10. si vino aut gulae indulgeat vel cauponetur vel sit lanio, de quo lege Clement. 1. de vita et honestate;[10] 11. num turpe lucrum sectetur aut mercaturam exerceat et alia saecularia negotia gerat, de quo lege tit. Ne clerici vel monachi;[11] 12. si non benedicat mensam; 13. si solet nocte armatus vel etiam inermis obambulare, de quo vide c. Clerici De vita et honestate;[12] 14. si exerceat officium

[1] C. 1.
[2] C. 18. (V, 31).
[3] V, 1.
[4] In ms. *num sit*.
[5] Eccli. 3, 27.
[6] C. 4.
[7] III, 2.
[8] C. 8. (III, 1).
[9] C. 4. ibid.
[10] III, 1.
[11] III, 20. Ms.: *Cap. Ne clerici vel monachi.*
[12] C. 2. (III, 1).

Digitized by Google

medici, de quo vide c. Sententiam Ne clerici,[1] quamvis in usum pauperum possit, ubi non sequitur deformatio alicujus membri, ut vult Sylvester verbo „medicus“ q. 2; 15. si incedat personatus aut alios indecentes actus agat; 16. si prohibitis ludis sit deditus aut interfuerit duello. Lege c. Clerici De vita et honestate[2] et c. Sententiam Ne clerici; 17. si abstinuit a celebratione missae sine aliqua rationabili causa (quamvis nullam habeat obligationem) saltem ter aut quater in anno, festis principalibus, de quo vide s. Thomam;[3] 18. si clericus moriatur retinendo domi concubinam, non debet sepeliri in loco sacro, ut notant Panormitanus et doctores theologi in 4. dist. 9.; 19. si clericus concubinarius aut fornicator celebraverit, non prius facta poenitentia, peccat mortaliter et est suspensus, de quo lege dist. 32., et si celebret, est irregularis, de quo vide c. Si qui sunt dist. 81.[4] Idem dicendum est de subdiacono et diacono, de quo vide c. Si quis, eadem dist. 81. et c. Praeter;[5] 20. si tempore interdicti audierit divina officia, peccat mortaliter, et si eo tempore celebraverit, est irregularis, ut habetur in c. Quum De sent. excommunicationis lib. sexto;[6] 21. si celebraverit extra locum sacrum sine necessitate aut facultate sui ordinarii. Lege de consecr. dist. 1. c. Missarum;[7] 22. si celebraverit sine altari portatili non consecrato aut enormiter fracto, aut in illo quamvis consecrato non tamen capaci calicis et hostiae, peccat mortaliter, de quo vide c. 1. De consecratione ecclesiae;[8] 23. si celebraverit priusquam recitaverit horas matutinas extra casum necessitatis, de quo vide Sylvestrum verbo „missa“ q. 6.; 24. si celebraverit sine vestibus benedictis, data opera aut ex ignorantia crassa; 25. si celebraverit sine aqua et lumine, de quo vide c. finale De celebratione missarum;[9] 26. si celebraverit ante diluculum; 27. si plura sacra fecerit in uno die. De quo

[1] C. 9 (III, 50.
[2] C. 15. (III, 1).
[3] III. P. q. 82. art. 10.
[4] C. 15.
[5] Dist. 22. c. 6.
[6] C. 1. (V, 11.)
[7] C. 12.
[8] III, 40.
[9] III, 41.

Digitized by Google

est c. Sufficit De consecratione dist. 1.[1] et c. Consuluisti De celebratione missarum,[2] (nisi in septem casibus, ut bene notat Petrus de Palude et divus Antoninus); 28. si celebraverit in ecclesia interdicta aut polluta sanguine vel semine, est irregularis.

Non abs re videbitur hoc loco annotare casus, quibus ecclesia dicitur polluta vel interdicta. Primus est, quum intra ecclesiam sanguis cum injuria diffunditur, sive ecclesia fuerit consecrata sive non; ubi notamus, ecclesiam consecratam debere iterum benedici solum ab episcopo cum aqua benedicta; si autem non sit consecrata, quivis clericus potest eam iterum benedicere. Secundus est, quum effunditur voluntarie semen hominis, dummodo publice illud sciatur. Tertius est, quum sepelitur aliquis excommunicatus. Quartus est, quum sepelitur infidelis, quo casu raduntur parietes ecclesiae, de quo lege Panormitanum in Decreti c. Consuluisti. Quintus est, quum ecclesia consecratur aut benedicitur per episcopum publice excommunicatum. Sextus est, quum parietes ecclesiae reficiuntur, de quo lege gloss. in c. Ligneis De consecratione ecclesiae. Ubi notamus, quod, quoties ecclesia est polluta, coemeterium illi conjunctum judicatur pollutum, de quo lege Navarrum in sua Summa.

Inquiratur, an sciat defectus, qui committi solent in administratione sacramentorum, praesertim in faciendo sacrum, de quibus sunt aliquae rubricae in missali. Nullus missam celebret ex externis sacerdotibus, nisi constet, illum esse sacerdotem et probatae vitae, quod aliquo modo ostendetur per literas dimissorias suorum ordinariorum. Haec facultas deberet dari in scriptis.

Circa parochum aut alium clericum habentem beneficium aut beneficia.[3]

1. Praeter interrogationes superius factas potest parochus in particulari interrogari aliis interrogationibus magis

[1] C. 53. [2] C. 3. (III, 41).

[3] Allegationes, praesertim ex jure canonico, quae in ms. adducuntur, abhinc plerumque tam corruptae ac mutilatae sunt, ut praestet eas omnino omittere quam dubias, ex conjectura selectas, earum loco substituere.

Digitized by Google

illi convenientibus. 2. Parochi visitatio commode fiet, si primo de illo inquiratur, citatis testibus et illis juratis primae auctoritatis viris illius parochiae, ut si quam virtutem aut si quod vitium de parocho sciant, id denuntient suo superiori. 3. An sciant aliquid dedisse in electione ad suum officium; 4. an habeat beneficium ecclesiasticum; 5. a quo officium hoc acceperit et quo pacto, quave conditione vel stipendio; 6. an aliquam habeat ecclesiam parochialem; 7. an sciat, quod sit officium parochi. Id autem versatur in hoc, ut habeat immediatam curam animarum unius ecclesiae sub suo episcopo ac archipresbytero (si sit illi subjectus) et ministrandi sacramenta ac plebem instituendi in iis, quae necessario quivis scire tenetur, in officiis ecclesiasticis celebrandis et in rebus ecclesiae conservandis; 8. interrogetur, quot beneficia habeat, et an sint incompatibilia; 9. an habeat plura beneficia sine dispensatione summi pontificis; 10. et an sit bene dispensatus.

Esset videndum 11. an habeat verum titulum; 12. an habeat expeditas bullas; 13. an resideat in suo beneficio et an habeat justam causam non residendi; 14. si clericus habens curam animarum non suscepit ordinem presbyteratus intra annum, vel si ante 25. annum obtinuerit parochialem ecclesiam sine dispensatione; 15. si baptizavit iterum, quem certo scivit esse baptizatum, est irregularis; 16. si temporibus, quibus debebat, non administraverit sacramentum confessionis et eucharistiae, etiam tempore pestis; 17. si parochianus petierit facultatem ex justa causa eligendi alium confessarium, et non illi concesserit; 18. si interfuerit alicujus matrimonio clandestino; 19. si benedixerit sponsis temporibus prohibitis ante carnalem copulam; 20. sive benedixerit sponsis, inter quos erat impedimentum affinitatis aut simile aliud; 21. si non benedixerit sponsis, quum erat opus, adhibendo diligentiam, ut sacramentum matrimonii rite celebraretur; 22. si administraverit sacramentum eucharistiae infirmo, qui patiebatur vomitum; 23. si dederit sepulturam in loco sacro ei, qui in publico peccato sit mortuus; 24. si ejus negli-

Digitized by Google

gentia aliquis parochianorum sit mortuus sine confessione et communione; 25. si permiserit, ut in sua ecclesia publicentur falsae indulgentiae lucri causa; 26. an omnibus dominicis et festis celebraverit, ut tenetur; 27. num officia ecclesiastica, ad quae tenetur, celebret, sive sint quotidiana, si ad haec teneatur, sive festis tantum diebus, sive quae sunt solemnia, ut sunt fontium consecrationes, candelarum, ramorum et cinerum; 28. num prompte ministret sacramentum baptismi, eucharistiae, poenitentiae, extremae unctionis, vocatus; 29. num rite et cum aedificatione sacramenta omnia ministret; 30. num infirmos visitet, ut sciat, qua dispositione conscientiae sint, praesertim si periclitentur; 31. num moribundos juverit; 32. an doctrinam christianam doceat; et prius interrogetur, num ipse eam sciat, hoc est articulos fidei, praecepta, peccata, virtutes, ita ut pueros ac rudes homines possit docere; 33. an populo denuntiet jejunia et festa; 34. an habuerit lumen perpetuum ante sanctissimum sacramentum; 35. an aquam benedictam; 36. an sepulturas ecclesiasticas rite administraverit; 37. num aliquid pro celebratione missae et aliorum sacramentorum vel omnino pro rerum ecclesiasticarum administratione exigat vel paciscatur quocunque pacto, quod speciem habere possit simoniae; 38. an paces inter homines suae parochiae conciliaverit; 39. an neglexerit inquirere, si sit aliquis in sua parochia, qui sit malae vitae aut suspectae doctrinae, ita ut non videatur habere curam animarum; 40. num dederit operam, ut semel in anno saltem confiteantur et communicent ii, qui sunt sub eadem parochia ipsius, et annotaverit et detulerit eos, qui non fecerunt; 41. num publica vitia reprehenderit ac dederit operam, ut emendentur in sua parochia; 42. num pauperibus verecundis et aliis, quod in se est, procuraverit eleemosynas; 43. num bene cognoscat formas et materias omnium sacramentorum; 44. num aperte cognoscat discrimen inter essentialia et ceremonialia in omnibus sacramentis.

45. Praeterea separatim est examinandus, quemadmodum interroget confitentes et quam praeparationem exi-

Digitized by Google

gat, ut rite quis confiteatur, et qualis requiratur contritio sive attritio; 46. praeterea an advertat, ut fiat integra peccatorum confessio, nec ignoret, quibus casibus confessio debet iterari; 47. an curaverit, ut non confirmati ab episcopo confirmentur. De scientia confessarii plura require in officio examinatoris.[1] 48. Interrogetur, quam formulam habeat absolutionis ab excommunicatione et a peccatis et an prius absolvat ab excommunicatione quam a peccatis et quas satisfactiones soleat injungere; 49. an soleat vota commutare et quomodo illa commutet; 50. an sciat differentiam inter peccatum mortale et veniale; 51. an sciat, quam districte servandum sit sigillum confessionis, quam frequenter ipse confiteatur, et cui; quae praeparatio sit illi necessaria, ut missam celebret vel ecclesiastica sacramenta ministret; (requiritur enim ad missae celebrationem et ad susceptionem sacrae communionis sacramentalis confessio, si conscius quis sit peccati mortalis et non desit copia confessoris; in administratione ac etiam susceptione aliorum sacramentorum necessaria est contritio); 52. quod officium ecclesiasticum privatim recitet, et quomodo in eo recitando sit instructus et qua animi devotione illud dicat; 53. an sciat cantare et officia ecclesiastica publice celebrare.

54. an habeat libros et quos habeat, est inspiciendum. Profani ac inutiles libri essent comburendi, si apud illum invenirentur, et efficiendum,[2] ut praecipuos libros ad parochum pertinentes apud se habeat, Manipulum curatorum aut Summam divi Antonini aut Summam angelicam sacerdotalem, Fumum et alios id genus. Debet quoque habere apud se libros spirituales, in quibus esset occupatus, quum vacat; 55. interrogandus est, quomodo sit occupatus, hoc est, quemadmodum tempus quotidianum transigat, si litem forensem prosequatur vel causam agat pro se vel pro aliis. Si inveniatur aliquis clericus alterius dioecesis, oportet videre literas dimissionis sui episcopi. 56. Interroge-

[1] Infra pag. 435 s.

[2] In ms. deest *efficiendum*.

Digitized by Google

tur, an habeat canones poenitentiales, sine quibus ex jure non debet censeri sacerdos; 57. si sciat festa mobilia; 58. si sciat rite omnes ceremonias ipsius missae. Curabit, ut omnes clerici praesertim curati ter aut quater in hebdomada audiant lectionem de casibus conscientiae, si id commode fieri possit; 59. num sciat casus reservatos episcopo et pontifici.

De casibus reservatis

licet compendio dicere. Nomine igitur casus reservati nihil pontifici reservatur nisi excommunicatio ecclesiastica. Itaque casum reservari papae et excommunicationem reservari, idem est; censurae autem papae reservatae recensentur in bulla *In coena Domini* et in jure communi, et si quas praeterea summi pontifices sibi reservant. Episcopo aliud est reservari excommunicationes, aliud casus.

Excommunicationes reservatae episcopo sunt quinque. 1ª est, in quam incurritur per levem clerici percussionem; 2ª quam fert episcopus et sibi reservat; 3ª quae est reservata papae, a qua in articulo mortis non potest absolvere inferior episcopo, si tamen episcopi sit copia; 4ª in quam incurritur propter communicationem in crimine; 5ª ea, qua est quidem absolutus in articulo mortis ab inferiori, debet tamen se praesentare episcopo, si convalescat.

Casus vero episcopo reservati sunt tres ex communi sententia doctorum. 1us est peccatum, propter quod incurritur irregularitas; 2us incendium domorum segetumve; 3us peccatum, propter quod imponitur publica poenitentia. Casus vero reservati episcopo ex generali fere consuetudine sunt tres. 1us homicidium voluntarium vel membri mutilatio; 2us falsarii crimen vel ejus, qui falso testificatur; 3us libertatis vel immunitatis ecclesiae violatio. Alios casus solent episcopi sibi reservare vel ex consuetudine vel ex speciali constitutione. De his oportet ab ipsis episcopis intelligere.

Digitized by Google

De irregularitate.

Ut autem de irregularitate breviter quasi in genere quaedam dicantur hoc loco, incurritur irregularitas *e crimine* quadrupliciter: 1. e simonia in ordine; 2. e furto in ordine, ubi quis se furtive ingerit; 3. e ministerio in ordine non suscepto; 4. non servando poenas ecclesiasticas. *Non e crimine,* tripliciter: 1. si servus; 2. si nothus; 3. si turpiter mutilatus vel infirmus. E duobus, quae *cum crimine et sine crimine* esse possunt: homicidium, sub quo mutilatio enormis et bigamia.

De concionatoribus.

1. Concionatores non concionentur, nisi sint prius examinati, neque sine licentia, nisi talem habeant virtute suorum privilegiorum. 2. Concionatores debent esse catholici et pii viri, quorum vita magis moveat, quam eloquentia et doctrina. 3. Ne falsa praedicent nec res inutiles, sed juxta praeceptum evangelicum: „Praedicate evangelium.“[1] Et si multum in his excederent corrigantur. 4. Ne in concionibus admisceant res fabulosas et jocosas. 5. Non multum reprehendant viros ecclesiasticos coram laicis, qui plus justo hac re delectantur. 6. Falsas prophetias et incerta miracula ne proponant populo, ut constat ex prohibitione Leonis X. in concilio Lateranensi V. sess. 11.

Circa ecclesiam.

1. Debet invisere templa, si minentur ruinam aut indigeant aliqua reparatione; tam in capellis quam in altaribus, scamnis et januis curet diligenter, ut omnia reficiantur. 2. Si ecclesia habeat decens coemeterium, praeterea an sit distinctum ac separatum ab omnibus rebus profanis, ne inde nascatur aliqua immunitas ecclesiastica. 3. Invisendum quoque est campanile. 4. Interrogetur parochus, an sciat fundationem ecclesiae et obligationem, si quam habet tota ecclesia vel capella aliqua illius ecclesiae

[1] Marc. 16, 15.

Digitized by Google

praeter eam, quae est omnium parochiarum; 5. quis sit patronus ecclesiae; 6. an ecclesia sit consecrata vel benedicta; 7. an consecrata altaria, vestes et vasa. Haec omnia interrogentur, ut inde sciatur, quid desideretur in his, et provideatur. 8. Invisendum est sacrosanctum eucharistiae sacramentum, num decenter ac devote sit collocatum. Locus accommodatus esset in majori altari intra tabernaculum, ut introeuntes ecclesiam ob oculos habeant sanctissimum sacramentum. 9. Sacramentum debet esse super altare consecratum cum suis corporalibus; per altare intelligimus aram; 10. debet renovari decimo quoque die aut ad summum tertia quaque hebdomada, ne species corrumpantur; et si in aliquo sit erratum, corrigatur. 11. Videat vasa, in quibus est repositum triplex oleum, oleum catechumenorum, chrisma et oleum infirmorum, ut sint bene cooperta, et tempore, quo oleum renovatur, ut vasa purificentur cum aqua calida super pilam, ubi baptizantur infantes. 12. Inquiratur, an sacra olea sint quotannis renovata, praesertim chrisma, quod est omnino singulis annis innovandum, nec vetere utendum. 13. Praeterea fons baptismatis est visitandus; deinde sunt altaria visitanda, calices, corporalia, vestes omnes ecclesiasticae, ornamenta ecclesiae, crucis reliquiae, libri, thuribula et quaecunque in sacristia servari solent. Haec omnia ex indice inventarii exhiberi debent et visitari. 14. Praeterea interrogetur, an habeat librum, in quo notatur annus, dies et mensis eorum omnium, qui baptizantur, et separatim nomina eorum, qui sunt confirmati; 15. num etiam habeat alium libellum, in quo continentur statuta aliarum visitationum. 16. Videat, num reliquiae sint in decenti loco, nullam admittendo levitatem. 17. Visitet vestimenta et si aliquid desit, curet, ut de novo fiat; si sit aliquid contritum, quod nulli rei serviat, comburat et cineres sepeliantur in ecclesia. 18. Postremo interrogandus est de redditibus ecclesiae, quot habeat et a quo exigantur; 19. quae sint praeterea emolumenta, quae ex ministerio plebani colligi solent; tum reditus, bona et emolumenta ecclesiae, an aliquis aliqua avertat, occupet, aut male alienet. 20. Inquiratur denique

Digitized by Google

si quid habeat fabrica redditus vel eleemosynae, et quomodo fideliter erogentur. 21. Invisenda sunt etiam praedia, domus, villae et alia bona omnium ecclesiarum, ne quod damni illis inferatur a suis emphyteutis aut aliis, qui curam habent talium bonorum. 22. Inquiratur, an habeat inventarium omnium rerum suae ecclesiae.

Circa monasteria monialium.

1. Per duos idoneos viros, alterum religiosum, alterum saecularem sacerdotem, utrumque pium et doctum, visitentur ac reformentur, juxta rationem suae regulae atque ordinis institutum. 2. Ut ea, quae fuerint statuta, diligenter observentur et hoc modo proficiatur in veritate ac perfectione religionis. 3. Praeficiantur providae ac eximiae superiores suae religionis legitima electione. 4 Adhibeantur praeterea idoneae ministrae et prudentes ac pii confessarii, quibus adjungantur concionatores docti. 5. Ministri externi sint boni ac probati viri. 6. Colloquia monacharum ad rotam prohibeantur, praeterquam cum parentibus, fratribus ac ministris monasterii; et cum his prohibeantur superflua et otiosa. 7. Ne saeculares puellae vel mulieres cum monialibus habitent, nisi separata habitatione, ubi cum illis probatissimae monachae colloqui poterunt.

Haec reformatio deberet conservari per annuos visitatores. Quod autem episcopus teneatur visitare hujusmodi monasteria, constat ex jure.

Hoc ipsum monemus in visitatione religiosorum, qui sunt sub episcopi jurisdictione.

Circa hospitalia.

1. Hospitalia visitentur, et si quid est dignum reformatione, id ordinetur. 2. Gubernentur vero per praepositos, quoad ejus fieri poterit, qui non pendent a temporali stipendio. 3. Ministri item, si fieri possit, amore Dei serviant, aut sint saltem juvenes honesti et pii. 4. Con-

Digitized by Google

fessarius item sit vir pius ac probatae vitae, qui non tantum audiat infirmorum confessiones ac illis ministret sacramenta et juvet moribundos sepeliatque mortuos, sed et spiritualibus exhortationibus et documentis in doctrina christiana eos curet juvare in Domino.

Circa scholas, congregationes et populum.

1. Qui docent juventutem, sint non solum probatae doctrinae, sed vitae etiam incorruptae, et illud occulte est in iis advertendum, ne quid hauserint doctrinae, quae suspecta sit de haeresi ullo pacto; 2. doceant suos discipulos doctrinam christianam ac bonos mores, aut sint alii loco eorum, qui observent ea omnia, quae constituuntur in concilio Lateranensi sub Leone X.

Circa oratoria et alias congregationes, quae saecularium devotione sunt instituta. Episcopus visitabit oratoria ac reliquas ecclesias. Haec visitatio facienda est juxta aliquas regulas superius traditas. 2. Congregationes saecularium invisendae sunt propter ea, quae dicunt doctores de haereticis, qui sub colore pietatis convertuntur in conventicula multorum malorum; quae omnia essent diligenter inquirenda et tollenda, si talia inveniantur.

Circa ministros. Ministri sint viri docti, pii et non lucri amatores, sed zelo justitiae moveantur.

Circa populum 1. inquiret diligenter publica peccata; nimirum ne sint concubinarii nec blasphemi, nullus usurarius, nullus adulter publicus, nullus sodomita; 2. ne aleae sint.

Circa meretrices.

1. Meretrices malae ne passim inter matronas bonas habitent, sed in unum locum sive plura concludantur; 2. ne puellas habeant pro famulis, quas postea haud dubie prostituent. 3. Nulla mulier habens proprium virum meretricari permittatur. 4. Mulieres, qui a viris suis discesserunt et adulteris adhaerent, si tuto viris possunt re-

Digitized by Google

conciliari, id fiat; sin minus, in monasterium concludantur, damnatis adulteris, ut illas in monasterio alant. 5. Ne sint lenones vel lenae. 6. Ut meretrices solae inambulent per urbem et non absque suo habitu. 7. Nulli meretrici concedatur rheda, nulli equus vel mula; ad stationes ire ne permittantur; 8. cogantur, ut vel singulis mensibus audiant in uno templo ad id statuto concionem ad earum conversionem accomodatam, vel saltem tertio quoque mense; 9. praeterea cogantur audire missam diebus dominicis et festis. 10. Praecipiatur, ut confiteantur semel aut saepius in anno, si forte Dominus moveat illarum animas in confessione, ut possint absolvi; alioquin ne absolvantur, nisi sufficiens habeant propositum vitandi omnia peccata et publice prius mutent suum statum. 11. Si aliquae convertuntur, harum cura geratur. Quae sunt e congregatione conversarum, sive velint religiose sive honeste extra religionem vivere, in aliquo honesto loco collocentur.

De praeceptis ecclesiae.[1]

12. Habeatur cura eorum, qui in carcere detinentur, ut missam audiant ac reliqua sacramenta percipiant et doctrinam christianam audiant, tum ut illorum causae breviter expediantur et eorum necessitatibus subveniatur. 13. In hospitiis non recipiantur, qui cauponandi gratia ad ea accedunt. In illis aleae non permittantur nec choreae; ibi meretrices nec habitent nec recipiantur. 14. Nullo pacto cibos prohibitos parent vel vendant nec coenam diebus jejuniorum his, quos sciunt ad jejunia servanda esse obligatos. 15. Lanii, fartores, pastillarii carnes ne vendant vel cibos ex carne confectos his diebus, quibus est prohibitus carnium usus; ova item ne vendantur in Quadragesima et aliis jejuniis nisi infirmis. 16. Licentiis medicorum ne credatur, nisi jusjurandum adhibeatur in chirographo; vel saltem districte iis praecipiatur, ut bona fide

[1] Hunc titulum, qui deest in ms., perspicuitatis gratia addidimus, servata serie numerorum in ms. a 12. ulterius procedentium.

Digitized by Google

testimonium praebeant. 17. Tabernae ne apertae sint vel ex eis quodcunque vendatur diebus festis, nisi iter agentibus, aut sine maxima necessitate. 18. Onera ne permittantur portari diebus festis. 19. Deambulationes in templis interdicantur. 20. Poenae pecuniariae ad pia opera applicentur. 21. Permixtio virorum ac mulierum, quoad ejus fieri possit, in templis vitetur; haec item in processionibus ecclesiasticis interdicatur. 22. Mendicare non permittantur, qui corpore sunt robusti et servire vel operari manibus possunt. 23. Ficti pauperes castigentur et ex urbe ejiciantur, tum etiam otiosi homines et vagabundi, qui honestam rationem reddere non possunt, cur tota die inambulent otiosi. 24. Exulcerosi vel paralytici et similes mendici in hospitalibus recipiantur, quodquot poterunt in eis, alii qui non poterunt, permittantur mendicare, sed diligenter examinati. 25. Pro pauperibus verecundis instituatur ratio, quae in multis civitatibus primariis observari solet, ut in singulis parochiis deligantur primarii viri, qui curent ex parochialibus colligi eleemosynas, quae semel in hebdomade pauperibus ejus parochiae distribuantur, vel omnino hoc fiet in singulis regionibus urbis.

Circa Hebraeos, infideles, zingaros etc.

1. Hebraeorum habeatur ratio accurata, et detur opera, ut quemadmodum synagogas majores facere non possunt, ita eorum error et obstinatio ne augeatur. 2. Videntur nostrae illis doctrinae, scholae, conciones ac lectiones interdicendae; sed cogendi sunt, ut vel in singulis mensibus vel tertio quoque mense audiant concionem christianam ecclesiasticam ad eorum conversionem appositam. 3. Libri item illis prohibeantur praeter sacra biblia. 4. Observetur, num majores usuras exigant, quam illis concessum est; num pileum suum croceum abjiciant viri, mulieres velum. 5. Et illud imprimis observetur, ne blasphement Christum vel sanctissimam Trinitatem vel etiam sanctos clanculum. 6. Saracenorum atque aliorum infidelium ratio habeatur, et detur opera, ut convertantur; id

Digitized by Google

fiet, si cogantur aliquando ad audiendam concionem christianam. 7. Congregatio ad continendos in fide et officio christianae vitae neophytos tum ex hebraeis tum ex saracenis instituatur; quae congregatio curabit, ut ad ecclesiam conveniant certam, ubi missam et divina officia audiant, sacramenta percipiant et doctrinam christianam doceantur. 8. Juventur etiam, qui sunt pauperes, eleemosynis a congregatione conquisitis sive propriis. 9. His consuetudo cum Judaeis interdicatur. 10. Qui dicuntur zingari, ratio etiam aliqua habeatur, ut examinentur primum an catholici sint, deinde cogantur christiane vivere, audire missam, confiteri singulis annis et eucharistiam sumere et alia ecclesiastica sacramenta. 11. Circulatores, praestigiatores, astrologi et deceptores, qui se futura praedicere profitentur, in dioecesim ne admittantur, ac in illis ii, qui ex sancti Pauli genealogia originem se ducere affirmant ejusque divi Pauli gratiam se adversus venena conferre dicunt eaque vulgo vendunt, 12. venefici, magi, incantatores ac Judaei, qui se familiares spiritus habere simulant, ac furta et perditas res illorum ministerio invenire, inquirantur et acriter, ut par est, puniantur. 13. Bacchanalia, larvae, spectacula ferarum aliaque hujusmodi multa ne permittantur. 14. Turpes repraesentationes comoediarum et alia, quae alioquin bonos mores corrumpunt, interdicantur.

15. Postremo illud advertatur, quod in omnibus locis et rebus est primum: Ut efficacia executionis adhibeatur vivaciter in Christo, haec constanti sollicitudine vicarii ac ministri idonei riteque subordinati ac saepius incitati ad suum munus diligenter praestandum exequantur.

De officio examinatoris.

Officium examinatoris dividitur in tres partes. In prima agitur de titulo, aetate et tempore examinandorum; in secunda de illorum impedimentis; in tertia de scientia eorumdem.

Digitized by Google

De titulo ordinandorum.

1. Debet interrogari is, qui cupit sacris initiari, ad quem titulum velit ordines suscipere; quandoquidem praecipiunt sacri canones, neminem esse admittendum ad sacros ordines, nisi prius constet, eum habere sufficiens beneficium aut patrimonium ad debitam sustentationem ministri; nam turpe est clericum mendicare. Ad titulum patrimonii nullus aut pauci admittuntur hoc tempore Romae ex speciali prohibitione pontificis Pii papae IV. 2. Religiosi ad titulum paupertatis admittantur, dummodo agant in religione approbata, post emissam professionem aut post tria vota emissa in religionibus, in quibus post aliquot annos non emittitur professio, ut fit in societate Jesu. 3. Ex praxi quotidiana ipsius curiae Romanae et extra videmus, eremitas atque alios viros probatae vitae et doctrinae ad sacros ordines admitti sine titulo, vel quia hoc redundat in majorem utilitatem proximi vel propter alias rationabiles causas, quas ordinarius loci mature considerabit, quia raro solet id fieri. 4 Ordinarius non potest admittere de jure ad sacros ordines nisi suos dioecesanos, religiosos autem ratione suorum privilegiorum, reliquos vero de licentia suorum ordinariorum vel sedis apostolicae. 5. Si vero inveniantur aliqui in propria dioecesi, qui habentur tanquam cives illius loci, quia fuerint commorati in eo per multum temporis, sic etiam admitti possunt; et hoc constat ex usu quotidiano.

De aetate et tempore ordinandorum.

1. Ad recipiendam primam tonsuram et consequentes tres ordines minores, nimirum ostiariatus, lectoratus et exorcistatus, requiritur completa aetas septem annorum. 2. Nulli conferenda est prima tonsura, nisi illi, de quo certo constat, eo animo illam petere, ut fiat ecclesiasticus, et non propter solum privilegium. 3. Ad ordinem acolytatus opus est, ut compleverit annum duodecimum. 4. Ad ordinem subdiaconatus opus est attingere decimum octavum; 5. ad ordinem diaconatus vigesimum; 6. ad ordinem

Digitized by Google

presbyteratus vigesimum quintum. 7. Ut aliquis consecretur in episcopum opus est, ut compleverit annum trigesimum. 8. Si quis autem ante legitimam aetatem receperit sacros ordines, v. g. si puer septem annorum reciperet ordinem presbyteratus, quamvis reciperet characterem, non tamen illorum ordinum executionem neque privilegia, quae tali executioni conveniunt; quamvis talis frui possit privilegiis, quae illi competunt ratione characteris, qualia sunt privilegia canonis. Potest etiam frui aliis privilegiis in foro et judicio exteriori. 9. Episcopus potest conferre quotidie primam tonsuram, quattuor ordines minores diebus dominicis et festis, ex concilio, quamvis consuetudo extet in contrarium. 10. Sacros ordines non potest conferre, nisi statutis temporibus; et nota, illis temporibus non posse conferri nisi unicum ordinem, et illum die sabbati, de qua re lege in pontificali; hoc intelligitur de jure, nam obtenta dispensatione licebit quotidie ad ordines promovere.

De impedimentis ordinandorum.

1. Interrogetur an sit bigamus. Bigamia enim impedimentum est, quod contrahitur ex eo, quod quis habuerit duas uxores, ob quam rem non videtur significare apposite unionem illam insolubilem Christi et ecclesiae, quae est unica sponsa. Triplex est genus bigamiae, vera, interpretativa et similitudinaria. Prima est, quum aliquis cognovit duas uxores; secunda, quum ducit viduam aut corruptam; tertia est, quum aliquis habet sacrum ordinem aut emisit professionem et postea duxit uxorem. 2. Quaecunque deformitas alicujus membri principalis impedit a susceptione ordinum, etiamsi membrum sit occultum, praesertim si culpa nostra fuerit contracta. Si tamen deformitas non sit contracta culpa nostra, dummodo non impediat, quominus possit celebrare, non efficitur irregularis; quod v. g. valet de eo, qui ex consilio medicorum sibi membrum genitale abscidit aut efficitur eunuchus aut natus est sine illo aut claudicat aliquantulum,

Digitized by Google

ita tamen ut non indigeat sustentaculo; qualis etiam esset aliqua macula in oculo, quae non tollit visum, aut si esset gibbosus; haec impedimenta, si non inducunt notabilem deformitatem, non excludunt a sacris ordinibus; si autem orbatus esset aliquo oculorum, esset irregularis. Idem dicimus de eo, qui habet superfluum aliquod membrum. Si corporis vitium hujusmodi esset, ut induceret scandalum, horrorem aut notabilem deformitatem, esset aperte irregularis, sive illa esset contracta sua culpa sive alterius. Qualis vero sit talis deformitas, episcopus determinabit; 3. si non sit natus ex legitimo matrimonio, sive hoc sit publicum sive occultum. Cum religiosis jus commune dispensat; 4. si emiserit professionem in aliqua religione approbata et extra eam versatur. 5. Si susceperit ordines ante tempus a jure praescriptum, ipso jure est suspensus, ut supra dictum est. 6. Si sit leprosus, impeditur a susceptione et executione. 7. Quaevis infirmitas, quae induceret notabile scandalum; 8. si laboraverit morbo caduco; 9. si sit energumenus, qualis est is, qui a daemone arripitur; 10. si sit insanus, lunaticus, aut furiosus, ut acute notat divus Antoninus; 11. si sit mancipium, de quo lege Navarrum; 12. si sit infamis. 13. Is qui non potest bibere vinum sine commotione stomachi. 14. Filii haereticorum, quorum parentes mortui sunt pertinaces, idque usque ad secundam generationem et in linea feminea usque ad primam. Hoc statutum pontificum non videtur servari nostris temporibus in tanta multitudine haereticorum, dummodo sint vere catholici hi, qui cupiunt promoveri; tamen hoc sine aliqua dispensatione fieri non deberet. 15. Idem sentiendum est de neophytis, sive ex hebraeo sive ex gentili, quamvis consuetudo sit in contrarium. 16. Is qui aliquem deformat, quamvis licite et juste. 17. Is qui est causa propria alicuius deformationis sive mortis, qualis est judex, accusator, testis. Notarius, qui pronuntiat vel qui scribit sententiam, advocatus, procurator et alii hujus generis omnes sunt irregulares. Hoc probat multis argumentis Navarrus in sua Summa, ubi agit de irregularitate. 18. Si deformatio esset in uno digito non necessario ad

Digitized by Google

celebrationem, non est irregularis, ut probat idem Navarrus. Diximus debere esse causam proximam [deformationis vel mortis]; nam si sit remota, non esset irregularis. 19. Si deformatio aut mors non sequeretur, nulla contraheretur irregularitas. 20. Si quis alium deformaret, se ipsum inevitabiliter defendendo, non esset irregularis, ut habetur ex novo jure in Clementinis, quamvis contrarium prius senserit s. Thomas; vel potius illa Clementina non continet novum jus, sed vetus declarat; quamvis Cajetanus aliter sentiat. Irregularitas mentalis nulla est, ut acute docet Navarrus in sua Summa in variis locis. Quare indulgentiae apostolicae concedentes facultates absolvendi ab illis sunt sano sensu intelligendae. Neque is, qui aliquem armat, aut commodat sive emit arma in re justa, si ex hoc nascatur aliqua deformitas, est irregularis 21. Hermaphroditus, qui utrumque sexum habet, non est capax ordinum ex sententia divi Antonini. 22. Si sit excommunicatus et postea susceperit ordines, esset irregularis, ut docet Panormitanus et est communis sententia; 23. si fuerit publicus peccator et ante obtentam dispensationem susceperit ordines, etiam peracta poenitentia; qualis est publicus concubinarius; 24. si quis susceperit ordines ab episcopo simoniaco aut non habente episcopatum aut facultatem conferendi ordines.

Est aliud genus irregularitatis, quod contrahitur post susceptos ordines, illis abutendo; ut si quis exequeretur actus alicujus ordinis sacri illaqueatus aliqua censura, aut violaret interdictum, aut committeret aliquod magnum peccatum notum omnibus. De quibus hoc tempore non disputamus, quum non faciat ad praesens institutum; sed de his breviter agetur in tractatu de visitatione ecclesiae.[1]

Ultimo interrogetur, an recitet horas canonicas, quas tenetur persolvere ratione beneficii, si habeat, aut ratione ordinum, postquam illos susceperit, aut ratione professionis, si sit religiosus. De quo lege Navarrum. Moneatur,

[1] Supra p. 417 ss. In ms. nostro instructio allegata praecedit observationes hasce de irregularitate.

Digitized by Google

si non recitaverit horas canonicas, teneri eum ad restitutionem fructuum perceptorum post sex menses ab obtento beneficio, ut aperte constat ex concilio Lateranensi habito sub Leone X. sess. 9. §. Statuimus.

De scientia examinandorum.

Simplex sacerdos deputatus dumtaxat ad celebrandum et divina officia peragenda, tenetur ad hoc, ut sciat legere, construere et cantare, ut habetur apud canonistas. Si sacerdos sit minister sacramentorum, debet scire, quae sit materia et quae forma singulorum sacramentorum, praeterea modum debitum administrandi hujusmodi sacramenta, de quo lege Navarrum in sua Summa. In quantum est futurus confessarius 1. debet habere potestatem, ut habetur can. 1. in principio De poenitentia dist. 6.; 2. bonitatem, ut acute notat Navarrus; 3. scientiam, ut idem Navarrus docet. Ut sit perfectus et bonus confessarius et ex se possit casus omnes decidere, opus est, ut in sua scientia includat theologiam, utrumque jus civile et canonicum et leges ac synodales constitutiones illius loci, ubi audit confessiones. Verum, quia non omnes possunt esse tales, ut sit sufficiens confessarius sat est, si latine intelligat aut quovis alio idiomate auctores, qui hanc rem tractant, ut idem acute monet Navarrus in sua Summa; praeterea debet scire discrimen inter peccatum mortale et veniale et cognoscere circumstantias eorum et potissimum eas, quae mutant speciem peccati, et quae peccata habeant annexam excommunicationem ac reliquas censuras ecclesiasticas, et qui sint casus pontifici reservati, qui episcopo, et qui habeant annexam restitutionem; aut saltem sciat in iis dubitare, ut possit eos convenire, qui haec melius intelligunt. Et si audiat clericos, opus est, ut sciat casus, ex quibus contrahitur irregularitas, aut sciat in ea re dubitare. Haec quae modo dicta sunt, colliguntur partim ex s. Thoma, partim ex aliis, ut ex Cajetano in sua Summa verbo „Confessori necessaria.“ Hoc etiam videtur consonum legi

Digitized by Google

naturali, nimirum unumquemque teneri scire necessaria ad bene exequendum suum officium juxta illud:

„Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat veritas, inscitiae debilis actus."

Non requiritur necessario exquisita scientia in ipso sacerdote, ut multi sibi persuadent, sed sufficiens, ut bene notat Innocentius in cap. Quum in cunctis De elect. Hoc probatur etiam exemplo clericorum nascentis ecclesiae, qui tales erant; et haec consuetudo servata est a mille retro annis. Est etiam habenda ratio religiosorum, a quibus non est exigenda tanta scientia, sed id dumtaxat, quod sufficit ad bene obeundum illorum officium, ut acute notat Innocentius in c. citatum. Praeterea est advertendum, aliquem clericum posse esse idoneum, qui curam habeat animarum in aliquo oppido, et non idoneum in urbe.

Romae has regulas diligenter servamus ad tollendas contentiones clericorum: 1. Is qui suscipit quatuor minores ordines, opus est, ut sciat saltem legere. 2. Subdiaconus expedite legat quemcunque auctorem ecclesiasticum, qui illi proponitur, et aliqua intelligat eorum, quae legit. 3. Diaconus expedite legat et plura et melius intelligat quam subdiaconus eorum quae legit. 4. Presbyter expedite legat et expedite intelligat ea quae legit; id autem intelligimus juxta canones grammaticorum. 5. Non debet esse ignarus earum rerum, quae pertinent ad rationem sacramentorum, habita ratione personae, beneficii et aliarum circumstantiarum, quas prudens examinator expendat.

Digitized by Google

VI.

Institutionis scholaris christiani lineamenta.[1]

Finis immediatus scholaris est studium sapientiae, discere scilicet sapientiam. Quod magnum quid est; si enim in brutis animalibus, quae discunt seu docibilia sunt, ut equus, elephas, psittacus, pluris habentur aliis ut homini similiora, quid dicemus de anima potentiae nobilioris ac nobilioris animalis, id est hominis, imo et angeli et beati et Christi humanitatis. Legitur de ipso (Christo), quod anno duodecimo in templo in medio omnium doctorum veluti addiscens interrogabat et usque ad trigesimum in silentio manens quodammodo addiscebat. Imo et verbum generatum[2] est audiens sapientiam a patre.

Nobilitas etiam hujus finis seu studii sapientiae videtur ex objecto, scilicet sapientia omnia continente. Unde sapiens: „Hoc quod continet omnia“ etc.[3] „Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.“[4] Ea quae desiderari possunt, vel corporalia vel spiritualia sunt, atque[5] utraque continet. Corporalia sunt divitiae, sanitas, honores, fortitudo.

[1] Haec institutio in ms. ita incipit: „Acturi de vocatione scholaris christiani primo de necessariis scitu scholari, deinde de christiano dicemus. Et quoad primum videbimus, quis finis ejus sit, deinde quae media ad illum consequendum.“ Vide praefationem.

[2] Ms. *generationis.*

[3] Sap. 1, 7.

[4] Sap. 7, 11.

[5] Ms. *atqui.*

Digitized by Google

Et haec omnia continet. Primo divitias et honores, „Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiae et gloria.“[1] Docet enim negotiationes, artes belli et pacis, quibus acquiruntur. Unde Thales philosophus volens ostendere, in sua potestate esse divitem fieri, quum praevideret sua sapientia sequenti anno futuram penuriam olei, emit multum, quoniam erat abundantia; quem ideo omnes deridebant; postea sequenti anno care vendidit suum oleum, unde potuisset ditescere, si voluisset. Fuere etiam multi sapientes divites: Abraham, Jacob, Joseph, Salomon, Plato, Seneca. Omnes hi et quam plurimi alii ditati sunt sapientia, sicut e contrario in paupertatem redacti sunt multi propter insipientiam. — Continet etiam honores. „Flores mei fructus honoris.“[2] „Per me reges regnant.“[3] — Continet delicias. „Non habet amaritudinem conversatio illius.“[4] „Meliora sunt ubera tua vino.“[5] „Jucunditatem et exultationem thesaurizabit super illum.“[6] „Et si divitiae appetuntur in vita, quid sapientia locupletius?“[7] „Vir sapiens fortis est, et vir doctus robustus.“[8] „Erit salus, ubi multa consilia.“[9]

Quoad spiritualia continet animae sanitatem a peccato. „Lignum vitae est his“[10] etc., quia sanat universa. A caecitate liberat. „Proposui pro luce habere illam, quoniam inexstinguibile est lumen illius“[11] sapientiae. Laetitiam confert secundum nomen ejus. „Quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.“[12] Custodiam et successum confert sapientia, scilicet „hos qui se observant a doloribus liberavit,“[13] ut Joseph et Job. „Custodivit illum ab inimicis et a seductoribns tutavit illum . . . descenditque cum illo in foveam.“[14] „Per sapientiam sanati sunt omnes, quicunque placuerunt tibi Domine.“[15] Confert ju-

[1] Prov. 3, 16.
[2] Eclus. 24, 23.
[3] Prov. 8, 15.
[4] Sap. 8, 16.
[5] Cant. 1, 1.
[6] Eclus. 15, 6.
[7] Sap. 8, 5.
[8] Prov. 24, 5.
[9] Prov. 24, 6.
[10] Prov. 3, 18.
[11] Sap. 7, 10.
[12] Sap. 7, 14.
[13] Sap. 10, 9.
[14] Sap. 10, 12. 13.
[15] Sap. 9, 19.

Digitized by Google

stitiam. „Et si justitiam quis diligit“ etc.[1] Confert etiam gloriam. „Lignum est his“ etc. „Beatus vir, qui in sapientia morabitur.“[2] „Concupiscentia itaque sapientiae deducit ad regnum perpetuum.“[3] Haec insuper est thesaurus. „Si sicut thesauros effoderis illam.“[4] „Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.“[5]

Est igitur thesaurus omnia continens, ut dictum est. Hic thesaurus, quae dicta sunt continens, in infinitum superior est pretiositate cunctis opibus.[6] Omnia sine diminutione, imo cum augmento, omnibus communicat. „Quam sine fictione didici, et sine invidia communico.“[7] „Ego quasi trames aquae immensae.“[8] „Detur mihi sermo in apertione oris mei.“[9]

Media vero sunt veluti duae claves ad istum aperiendum. Quarum quaevis plures habet dentes in vocabulis contentos: Scholares et studentes christiani. Student, id est dant operam, scilicet sapientiae studio. Studium, ut ait Cicero, est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicatio sive magna cum voluptate occupatio. Et hoc vocabulum includit finem, scilicet sapientiam, et unam clavem, scilicet vacare mediis. Dicitur deinde scholaris a schola, scilicet a vacatione, includitque vacationem ab impedimentis sapientiae, quae est ultima clavis. Prima autem clavis habet veluti dentem unum bonum, scilicet intentionem rectam. Non enim addiscenda est sapientia propter se ipsam, quia nec quietat, sed et laboriosa est et idolatria et fornicatio a Deo. Et ut vult Origenes, ita fornicatus est Salomon cum multis mulieribus, id est scientiis, quae fecerunt illum idolatrare. „Proposui in animo meo, quaerere et investigare sapienter de omnibus, quae fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus

[1] Sap. 8, 7.
[2] Sap. 6, 21.
[3] Sap. 7, 14.
[4] Prov. 2, 4.
[5] Sap. 7, 14.
[6] Ms. *operibus*.
[7] Sap. 7, 13.
[8] Eclus 24, 41.
[9] Ephes. 6, 19.

Digitized by Google

filiis hominum, ut occuparentur in ea."[1] Quum ergo scientia non sit finis ultimus, si non ulterius dirigitur vel si in eo sistitur, erit idolatria laboriosa; vel si non sistitur et amittimus directionem, casu et non sapienter et sine ratione laboramus; ideo ad alium finem est dirigenda. Esset etiam curiositas, sistere in scientia vel ob affectionem nimiam vel neglectum ordinandi; magnaque esset jactura, pro tam parva sapientia aeternam sapientiam perdere.

Quum ergo discere alium ultimum finem habeat, is non sunt divitiae, exercitio scientiae habendae, quia finis nobilior est medio, et scientia, ut animae perfectio, praestantior bono est exteriori. Bonum est inauferibile, ob quod sapientes divitias contempserunt. Nobilior, inquam, est scientia divitiis externis, fluxis, communibus, insipientibus. „Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi et purissimi fructus ejus; pretiosior est cunctis opibus, et omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari."[2] „Veritatem eme et noli vendere sapientiam."[3] „Praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius . . quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua et tanquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius."[4] Ideo Pythagoras et Plato non dignabantur pro re tam pretiosa temporalia sumere. Hypocratis discipuli gratis mederi jurabant. Gorgias autem et Protagoras sua scripta venditantes maxime vituperabantur. Licet tamen non habentem ab habente pretium pro labore exigere. Sapientia quidem, Dei donum, pretio aestimari non potest. Labor tamen, qui in tradendo insumitur, potest remunerari. — Finis sapientiae non est honor, quoniam exterior est et fluxus. „Praeposui illam regnis et sedibus." „Habebo propter hanc claritatem ad turbas et honorem apud seniores."[5] Unde vituperantur gentiles sophistae, malentes sapientes

[1] Eccles. 1, 13.
[2] Prov. 3, 14. 15.
[3] Prov. 23, 23.
[4] Prov. 7, 8. 9.
[5] Prov. 8, 10.

Digitized by Google

videri quam esse (dicentes:) Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. — Non est finis sapientiae in corporis sanitate aut voluptate aut specie. „Super salutem et speciem dilexi eam.“[1] Estque contraria voluptati. „Abstrahere a vino“[2] etc. „Qui amat vinum et pinguia, non ditabitur.“[3] Plato plus olei quam vini consumpsit. Diogenes egit in dolio. Parmenides mansit duodecim annis in rupe Aegypti, ut studeret sapientiae. — Finis non sunt omnia dicta simul. Praeposui illam regnis, longitudo in dextera ejus. — Non est horum aliquod neque omnia ultimus finis cum Deo ut ultimo. „Usquequo claudicatis?“ etc.[4] — Est ergo finis adeptio Dei in sui et proximi aedificationem. „Qui custodit legem, filius sapiens est.“[5] „Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.“[6] In omni scientia non prohibita potes proximum aedificare et consequi omnia bona dicta, sed non ut finem ultimum. De his omnibus vero finibus Bernardus: „Sunt,“ inquit, „qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est; et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est . . . et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus, et turpis quaestus est; sed sunt quoque, qui scire volunt, ut aedificent, et charitas est.“[7]

Finis igitur immediatus scholastici est discere sapientiam. Media vero sunt duae claves, scilicet vacare mediis et resistere oppositis. Dens primae clavis est intentio bona, non propter scientiam solam, non ob divitias, honores, delicias, vel ista omnia, vel omnia cum Deo, sed Dei cognoscendi causa, ut eum diligamus et ei serviamus, utque nos aedificemus et proximum.

Quia igitur sapientia thesaurus est, per claves est aperiendus.

Prima clavis habet quatuor dentes scilicet I. gratiam,

[1] Sap. 7, 10. [2] Eccles. 2, 3.
[3] Prov. 21, 17. [4] III. Reg. 18, 1.
[5] Prov. 28, 7. [6] Sap. 13, 1.
[7] Serm 36 in Cant. n. 3; Migne P. L. 183, 968.

Digitized by Google

II. naturam, III. exercitium et IV. externum juvamen. Secunda totidem, id est carentiam oppositorum.

I. Ad gratiam pertinent omnia spectantia ad religionem, quorum primum est simplex intentio, de qua jam dictum. Primum etiam in alia clavi correspondens est carentia duplicitatis seu fictae intentionis. „Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet fictum.“[1] „Stulti non videbunt eam (sapientiam); longe enim abest a superbia et dolo.“[2] „Quam sine fictione didici.“[3]

Secundo, in religione seu gratia contenta est oratio. „Si quis autem vestrum indiget sapientia“ etc.[4] „Unctio ejus docet vos de omnibus;[5] ut Salomonem, Danielem, apostolos. „Invocavi, et venit in me spiritus sapientiae.“[6] Oratio autem sit sacrificium matutinum; recolendo sacrificium Christi per se Deo gratissimum et simul cum eo se offerendo audiatur missa cum magna reverentia et devotione, quia in ea fit memoria seu repraesentatio charitatis Christi erga nos efficacissima. In qua lectiones de novo vel veteri testamento leguntur maxime salutiferae, multaque mysteria recoluntur. Deberet scholaris dicere officium beatae Virginis aut aeternae Sapientiae; et se examinare vesperi; quod faciat secundum Basilium interrogando; saepe enim pueros causa melioris educationis parentes petunt, quid cogitent; quod quia simplices facile dicunt, tunc de malis et otiosis admonendi et reprehendendi sunt, ut discant bona cogitare et in malis cogitationibus esse peccata. Cavenda sunt opposita vitia, quae habent scholares, qui saepe nec festis audiunt missam aut Dei verbum, nec recordantur Dei nec sui, sed amittunt in studio, si quid devotionis in domo paterna habebant. Petenda autem scientia salutis absolute, scilicet cognoscere Deum et se, peccata et vias, quibus ad Deum tenditur, humana vero sub conditione.

[1] Sap. 1, 5.
[2] Sap 7, 13.
[3] I. Joh. 2, 27.
[4] Eclus. 15, 7.
[5] Jac. 1, 5.
[6] Sap. 7, 7.

Digitized by Google

Tertium est puritas conscientiae a peccato, tollente lumen divinum et advocante tenebras daemonis. Peccando enim homo se avertit a Deo, lumine animae, et convertit se ad principem tenebrarum, unde ingenium, si non tollitur, certe obscuratur, sicut in passionibus, vel inclinatur ad peccandum, quia anima, quae peccat, non potest sapientiae vacare. „In animam malevolam non introibit sapientia,“[1] sed in eam, quae munda est. In vase mundo recipienda est, idcirco carendum impuritate, quam multi habent, omnibus fere vitiis et passionibus immersi. Qui vere non sapiunt, quia alioquin non se perderent, et si forte acquirunt terrenam sapientiam, illa est velut gladius in manu furiosi.

Quartum est confessio crebra vel menstrua et capaciorum quintodecimo vel octavo quoque die.[2] Experientia docet, hoc sacramentum maxime juvare ad pietatem et puritatem conscientiae, ad consolationem et ad minori labori relinquenda peccata, ita ut hac via juvenes, qui pro impossibili habent relinquere peccata carnalia, frequentatione hujus sacramenti et communionis inveniant id facillimum. Gratia enim, quae confertur, mitigat fomitem et fortificat mentem. Ideo cavenda mala consuetudo eorum, qui vix in fine hebdomadae sanctae ad confessionem accedunt. Qui licet satisfaciant praecepto ecclesiae, vix tamen et minime puritati consulunt.

Quintum est verbum Dei audire, quod illuminat, purgat, fortificat, nutrit et impinguat animam. Ideo anima, quae non pascitur illo cibo, macra est et minima tentatione pulsante ruit; secus vero de illa, quae nutritur hoc cibo. Hinc praeceptores in suis thematibus diebus festis et veneris et ad praelectiones ex libello Gersonis[3] vel ex

[1] Sap. 1, 4.

[2] Quae in ms. sequuntur adeo corrupte transscripta sunt, ut nullum sensum fundant. Ita videlicet pergitur: Ultra nunquam parti gratiae, quo se obligavit dans confitendi illa rationem curae, quam homo habet reddendi rationem et verecundiae, et exhortationem et consilii.

[3] Scilicet ex libris De imitatione Christi, quae Gersoni cancellario erronee adscribebantur.

Digitized by Google

similibus inculcare debent verbum Dei. Per haec enim illuminat et confert vires Deus. Et evitanda est opposita consuetudo vix audientium verbum Dei, nisi quibusdam diebus quadragesimae; quorum proinde animus proclivior ad malum est, et ad bonum aeger et ineptus.

Sextum obedientia est exequens bona, quae in oratione, in experientia purae vitae, in confessione, verbo Dei et alioquin in studio discimus. „Ostendentes mansuetudinem" etc.[1] „Non auditor obliviosus" etc.[2]; ne contingat, quod cuidam (ut refert beata Brigitta), qui quum multa a Domino quaesivisset, cur hoc et illud fecisset, quaesitus est rursum a Domino, quare non impleret opere id quod sciret; unde et ipse confusus abscessit. Beatus Franciscus consuevit dicere, quod tantum scimus quantum operamur. Et ita revera est; quia tunc virtutes bene intelligis et de ipsis loqui poteris, quando eas adeptus fueris; et ita de oppositis, si illa fugeris.

Septimum est fides, primo in Deum, a quo „omnis sapientia."[3] „Invenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum."[4] „Postulet in fide."[5] „Credidi propter quod locutus sum;"[6] ideo stultos fecit Deus sapientes hujus saeculi, contraque stulta mundi assumpsit.[7] — Secundo habenda est fides in praeceptorem. Oportet discentem credere, ut Elisaeus credebat Eliae, filii prophetarum Samueli, Pythagorici Pythagorae, quibus suffecit dicere: Ipse dixit; et Pythagoras per quinque annos volebat, ne disputarent sed solum audirent sui discipuli. Alias non discimus, quia incapaces sumus et principio sicut pueri lacte nutriendi, postea solido cibo. Sic enim primo credere oportet, deinde intelligere. Ita videmus in unaquaque scientia. Principia enim faciunt ad intelligentiam eorum, quae sunt in medio, et illis intellectis melius intelliguntur principia, et rursus faciunt ea, quae sunt in

[1] Tit. 3, 2.
[2] Jacob. 1, 25.
[3] Eclus. 1, 1.
[4] Sap. 1, 2.
[5] Jacob. 1, 6.
[6] II. Cor. 4, 13.
[7] I. Cor. 1, 20 ss.

Digitized by Google

medio, ad intelligentiam finis doctrinae; intellectis vero his, quae sunt in fine, melius intelliguntur ea, quae sunt in medio, ita ut ex sequentibus declarentur ea, quae sunt praecedentia et e contra, sitque fluxus atque refluxus a principio ad finem. Credendum igitur est ei, qui totam novit scientiam, et cavendum ab infidelitate et protervia quorundam sibi tantum credentium et corde tardorum ad credendum aliis.

Octavum est spes. „Dirige me in veritate tua et doce, quia tu es Deus salvator meus et te sustinui tota die.“[1] Concipitur autem spes ex divina potentia. „Si Dominus magnus voluerit“ etc.[2] Labor requiritur in omnibus principiis; sed quo omnia vincantur, necessaria est spes; quia radices sapientiae amarae primo sunt devorandae, si fructus dulcedinem velit quis gustare; ideo non desistendum. „Qui vigilat ad fores meas“ etc.[3] „Excelsa stulto sapientia.“[4] „Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, et non permanebit in illa excors,“[5] id est ignavus. „Quasi lapidis virtus probatio erit in illis;“ id est veluti in lapide quodam probatur aurum, sic studio sapientiae stultus et sensatus.

Nonum est dilectio, primum ipsius sapientiae et veritatis. „Initium sapientiae verissima est disciplinae concupiscentia.“[6] „Praeoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.“ „Qui diligit me . ., manifestabo ei me ipsum.“[8] Amans autem sapientiam, veritatem amat non secus. „Viri mendaces non erunt illius memores, et viri veraces inveniuntur in ea.“[9] — Secunda dilectio est praeceptorum. „Ipse enim pater amat vos,“ ac per hoc se manifestat, „quia vos me amastis.“[10] Ideo Joannes specialiter diligens dilectus specialiter. Didicit sic Dionysius a Paulo et Hierotheo, et ut habet Quintilianus, discipuli

[1] Ps. 24, 5.
[2] Eclus. 39, 8.
[3] Prov. 8, 34.
[4] Prov. 24, 7.
[5] Eclus. 6, 21.
[6] Sap. 6, 18.
[7] Sap. 6, 14.
[8] Joh. 14, 21.
[9] Eclus. 15, 8.
[10] Joh. 16, 27.

Digitized by Google

praeceptores non minus quam ipsa studia ament, alioqui non credent, nec studia delectabunt. — Tertia dilectio est condiscipuli, quia frater spiritualis. „Quam sine fictione didici et sine invidia communico.“[1] Probitate autem, non invidia certandum, et Deus auget sapientiam illi, cui invidetur; invido tollit, quum alias uterque eam possit habere.

Decimum est delectatio in sapientia, quae sequitur ipsum amorem. „Vinum et musica laetificant cor, et super utraque dilectio sapientiae.“[2] „Jugum meum,“ scilicet sapientiae, „suave;“[3] violentum enim non est perpetuum. Dilectio enim est condimentum omnium operationum; quam consuetudo et gratia et inclinatio comparant.

Undecimum est timor, primum Dei. „Initium sapientiae timor Domini.“[4] „Timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia“;[5] quae nobis ostendit fugere malum, quasi dicat, omnia scire praeter hoc est nescire et scientia vulpina. Per timorem enim homo cavet Deum offendere, fontem sapientiae et lucis, et se purgat, ut ei se accommodet. — Timor etiam esse debet erga praeceptores; reverentiam auget et virga praeceptoris recolligit vires, nec vagari sinit, modo non sit immoderatus. Hinc Basilius: Nobiscum detur agere ut cum pueris solemus; Dominus enim saepe alloquitur nos et non attendimus, verberat et tunc intelligimus Dominum.

Duodecimum est humilitas, primo ad Deum. „Abscondisti haec a sapientibus“ etc.[6] „Longe enim abest a superbia et dolo.“[7] „Melior est homo, qui minuitur sapientia et deficiens sensu in timore Dei, quam qui abundat sensu et transgreditur legem altissimi.“[8] — Secundo ad praeceptorem, qui superbum minus diligenter docebit, contra vero libenter humilem; et ad condiscipulum, qui cum humili se exercebit fugietque superbum, ne confundatur, et ad

[1] Sap. 7, 13.
[2] Eclus. 40, 20.
[3] Mat. 11, 30.
[4] Eclus. 1, 16.
[5] Job. 28, 28.
[6] Mat. 11, 25.
[7] Eclus. 15, 7.
[8] Eclus. 19, 21.

Digitized by Google

sapientiam, ne vilem putet. Fugienda ergo sunt vitia his contraria, ut sapientiae recte vacemus.

Decimum tertium est temperantia, primo ab alimentis, quae quantitate vel qualitate dum organa indisponunt, animam impediunt a sapientia. Deinde anima inclinata per corpus ad haec minus vacat spiritualibus. „Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam.“[1] Cibi enim oleum spirituum purum impurum reddunt. Neque ergo est frequenter edendum, neque multum, neque delicata sunt quaerenda, sed edendum est, ut vivamus, non autem e contra. Danieli cum sociis suis comedenti legumina data est species et sapientia,[2] et jejunio obtinebat a Deo revelationes.[3] — Secundo a venereis temperandum, in quorum usu nulla sapientia inhabitat, nulla potest esse; quia fugit „corpus subditum peccatis“ et „malevolam animam.“[4] Sed per nullum aliud peccatum corpus ita subjicitur peccato sicut per fornicationem. „Qui fornicatur, in corpus suum peccat.“[5] „Vecordi locuta est“ etc.[6] Insumitur enim in amoribus tempus, pecunia, victus; plenus curis est animus et vigiliis. Unde Theophrastus dicebat, non posse vacari uxori et philosophiae, et alius sapiens dixit, philosophiae esse necessariam castitatem. Exemplum in Joseph, Daniele, Joanne evangelista, Paulo. De Salomone vero legitur: „Inclinasti femora tua mulieribus, potestatem habuisti in corpore tuo; dedisti maculam in gloria tua, et profanasti semen tuum.“[7] Luxuria comparatur igni infernali, quia obscurat mentem, foetida est et comburit seu consumit humorem vitalem; et maxime habet istas conditiones ignis infernalis sodomia et mollities. Debemus ergo adhibere remedium, quod solemus incendio, primo auferendo ligna, hoc est cibum fugiendo atque occasiones, et aquam gratiae humili oratione poscendo a Deo optimo et confessione et lectione et operatione eam impetrare. — Tertio temperandum est ab otio, luxuriae, gulae omnisque malitiae nutri-

[1] Eccles. 2, 3.
[2] Dan. 1, 16.
[3] Dan. 9, 3.
[4] Sap. 1, 4.
[5] I Cor. 6, 18.
[6] Prov. 9, 16.
[7] Eclus. 47, 21.

Digitized by Google

mento et causa speciali ignorantiae. Piger enim sibi videtur sapiens, ideo non discit. — Quarto temperandum a ludo habente in se jacturam temporis et pecuniarum, avaritiam, furta, blasphemiam, infamiam, mortem. Licet tamen post cibum aliquid ludi et otii accipere sine pecunia. Quod requiratur temperantia nomen monet Minervae; nam Minerva dicitur a minuendis nervis; quae a se abjicit cornicem, vagam et garrulam avem, et assumpsit noctuam paucas carnes habentem et multas plumas et cogitationes multas et silentem in nido manentem. Fugiendae etiam pueris pecuniae, unde gula, jocus et avaritia, radix omnium malorum; maxime quum parentes curant habere necessaria. Mala inclinatio a coelo, a mala complexione, a consuetudine; sed haec omnia gratia et sapientia, quae dominatur astris, superat.

Decimum quartum est fortitudo. Studium enim sapientiae venatio dicitur, vadens post illam quasi investigator; vel dicitur lucta (ut Jacob cum Deo)[1] et etiam desponsatio (Tenui eum, nec dimittam)[2] vel effossio thesauri; fortitudine enim opus est, ut vincamus carnem cupientem dormire, otiari, vel in aliis occupari et tollentem ingenium Ingenium rude ut ferrum acuendum est assiduo exercitio et memoria. Similiter impedimenta externa amovenda et fugienda, et ipsa sapientia difficilis tenenda, „donec benedicat“[3] nobis.[4]

[1] Gen. 32, 24 ss. [2] Cant. 3, 4.

[3] Cf. Gen. 32, 26.

[4] Sequitur in ms. longior textus, quem hic sine correctione exhibemus. Is sane exemplum est oscitantiae, cum qua tota haec pars manuscripti exarata est, ac ne ad hunc quidem locum nostrae institutionis pertinere videtur: „Cupido et amor, filius Martis et Veneris, est calidus planeta, et delectationis extra matrimonium, cum Vulcano et igne intra matrimonium, quia ejus maritus parit amorem luxuriosus secundum astronomos natus e Marte in domo Veneris et Tauro vel Libra existente. Is depingitur caecus, quia amor caecat, habetque sagittam auream, quia ut vulnus profundum et angustum nexat et est incurabile. Hei mihi quod nullis amor est medicabilis herbis; aurea quia ex calore plumbeo est sagitta odii et melancholiae, amorque ut aurum altus, quia elevat ad laetitiam, ad liberalitatem mundanamque conver-

Digitized by Google

Decimum quintum est justitia. „Fili, concupisce sapientiam, conserva justitiam et Deus praebebit illam tibi.“[1] „Qui continens est justitiae, apprehendet illam.“[2] Debet esse primum justitia in praeceptorem, reddendo ei, primo amorem; secundo honorem in corde et verbis, quia est pater spiritualis; tertio obedientiam et imitationem in bonis, ut in missa, concione, diligentia veniendi ad scholam et laborem in literis, ut proficiat; denique solvendo salarium illi, si quod debet. — Secundo ad suos, non pariendo eis confusionem („Filius sapiens laetificat patrem; filius vero stultus moestitia est matris suae,“[3]) nec bona consumendo non discendo et ludendo, quae illi labore suo parant. — Tertio debet esse justitia ad condiscipulos, ideo non habendae contentiones, non rixae, deinde non tollendo eis bona nec percutiendo sed adjuvando. — Quarto erga cives solvendo eis debita (quod exteris magis convenit) et non laedendo eos in honore, non sollicitando eorum mulieres aut filias. — Quinto erga Deum observando et bene expendendo dies festos, non pejerando, et qui habet beneficia, incedendo in habitu honesto, dicendo officium, idemque de aliis, qui sunt in sacris.

Decimum sextum est prudentia, cujus sale omnia sunt condienda, praesertim studia. „In corde prudentis requiescit sapientia.“[4] „Ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextero.“[5] Exigitur autem prudentia, ne homo saltet vel ad medium vel ad finem sine principio et medio. — Secundo, ne plura quam oportet

sationem licet ad oppositum sit complexio aurea etiam ex igne, quia urit, et a calore excitatus desicante teneras humiditates et vultus altus et ruber fit. Pedes habet griphis, quia fortiter apprehendit amor corda in singula pendentia, quia extra se in objecto cor ponit et suspendit inter pericula ut quaevis vehemens passio stimulus carnis, quia pungit amor prodiens a causa intrinseca et inclinatione aetate calida extrinseca. otio, cibo, laetitia; cupido quoad naturam desiderium carnalium, venus delectatio quoad idolatras, erunt daemonia.“

[1] Eclus. 1, 33.
[2] Eclus. 15, 1.
[3] Prov. 29, 15.
[4] Prov. 14, 33.
[5] Eclus. 21. 24.

Digitized by Google

degustet, quae non concoquat. Ut enim sumus capaces videndi simul omnia in Deo, si non temperabimus nos, dum volumus omnia delibare, nihil sciemus erimusque ardeliones. Tamen uni facultati dediti delibare debent et alia ea, quae connexa sunt, ut se mutuo juvent. — Tertio, ne incomprehensibilia et credenda tantum comprehendere velit. „O altitudo divitiarum“ etc.[1] Quaelibet scientia suas habet positiones seu posita, nec omnia ostendit. — Quarto, ne inutilia sectetur. „Ego Dominus docens te utilia.“[2] Cavendae igitur sunt scientiae prohibitae. — Quinto, ne dimissis antiquis auctoribus novos quaerat, quia sumus in fine aetatum et jam scientiae sunt in decremento et in praecedentibus temporibus venerunt usque ad summum. — Sexto, ne nimis se applicet illis, ita ut meliora bona negligat vel instrumenta sciendi perdat. — Septimo, ne nimis se implicet et turbetur erga plurima.[3] — Octavo consideret occasionem et tempus aptum ad discendum et poenitentiam futuram de contrario. „Quae in juventute tua non congregasti“ etc.[4] „Ne gemas in novissimis, quando consumpseris carnes tuas, et dicas: Cur detestatus sum disciplinam et increpationibus non acquievit cor meum?“[5]

II. Secundus dens clavis ad sapientiam est natura apta; quia ut Deus est naturae et sapientiae auctor et supponit naturam, cui gratiam porrigat, ita utriusque perfectionem et gradus curat secundum sapientiam suam. Ideo ad magnas gratias magna vasa naturae accipit communiter; et in angelis id omnino servavit, quia ut dedit illis naturam variam, ita eam gratia implevit, et secundum excellentiam naturae dedit excellentiam gratiae. In hominibus non ita; quamvis etiam saepe vas electionis, id est aptum organum, ad gratiam, quam vult, eligit, ne frustret et despiciat naturam, quam dedit. Et maxime id servat in operibus naturae proportionatis, ut scire. Raro enim

[1] Rom. 11, 33.
[2] Is. 48, 17.
[3] Luc. 10, 41.
[4] Eclus. 25, 5.
[5] Prov. 5, 11.

Digitized by Google

natura inepti sunt, qui sciunt multa; quia sine causa non fiunt miracula. Ideo Salomon, David, Paulus, Moyses naturam bonam habuere ad sciendum.

Est autem prima naturae aptae ad studendum pars ingenium acutum ad inveniendum et penetrandum occulta vera et involuta sub falsis similitudinibus; id etiam debet esse forte et solidum ad judicandum inventa. Est autem ingenium intellectus agens. Non enim dedit Deus animae humanae actualem intelligentiam, ut angelo, sed abscondita est illi veritas et circumdata est tenebris. Ideo parvulus ut parvulus loquitur, sapit et intelligit.[1] Sed ex alia parte Deus non omnino hominem destituit, dando ei intellectum potentem omnia fieri et depingibilem omni figura ab intrinseco. Si haberet enim tantum lucida intervalla et intelligeret tantum tactus ab extrinseco, hoc est a Deo vel angelo, esset homo ut brutum et non esset bonum nec meritum nec retributio. Ideo dedit Deus ei intellectum agentem, qui se actuare potest et ex ignorantia reducere se ad aliquam scientiam et artem ex primis principiis speculativis et practicis seu factivis a Deo et angelis adjutus et maxime ad initia, quae sunt diffimcillia. Ex hoc ergo pendet libertas et meritum et inventio scientiarum et artium, et sine hoc tota rationalis natura brutalis esset, et acta potius, quam agens. Quum ergo hic intellectus agens, qui se actuat (ut aqua calida se reducit ad frigiditatem), sit perfectus ex se ipso, et quum lumen sit substantiale et spirituale, penetrat intelligibilia ut ignis ignibilia, et firmus est ad judicandum de inventis. Tunc autem est ingenium bonum vel ad mechanicas artes, si veritates factivas apprehendet, vel ad philosophiam moralem et leges, si activas, vel ad theologiam seu metaphysicam, mathesim, physicam, vel medicinam, si ad veritates speculativas est aptus vel ad omnes, quod rarum est.

Hoc ergo ingenium esse necessarium, docet experientia. Ut enim cum malo instrumento malum fit opus, ita cum inepto ingenio non evadet quis doctus. Ideo Salomon

[1] I. Cor. 13, 11.

Digitized by Google

„erat puer ingeniosus.“[1] Idem videtur de David, qui tam apte canebat, pulsabat et regebat, et de Moyse similiter, qui non ob imperitiam, sed ob impeditam linguam se excusat.[2]

Si obtigit alicui ingenium aptum sed mediocre, id debet augeri primo gratitudine. „Sortitus sum,“ videlicet gratiose obtinui, „animam bonam.“[3] Ait enim Augustinus, quod in scripturis, ubi dicitur „sortitus“ vel „sortiri“, intelligitur „gratiose“. „Quis posuit in visceribus hominum sapientiam, et quis dedit gallo sapientiam?“[4] Est enim magnum donum, ex quo omnes artes et scientiae inventae et conservatae sunt et earum utilitas derivatur in bello et pace. „Intelligens gubernacula possidebit.“[5] Ingeniosus est communiter bonae indolis et ad virtutes bene dispositus. — Adjuvatur secundo cautela vitiorum, scilicet superbiae, invidiae, audaciae, acediae et conjunctorum. Illa enim magis concordant cum intellectu, quam cum memoria et voluntate, quae magis sunt variabiles. — Tertio orando Dominum. — Quarto temperantia ciborum. — Quinto moderato exercitio, praesertim interrogatione, meditatione, auditione, lectione.

Si autem contigit obtusum, juvandum est primo laude Dei, qui „dividit singulis prout vult,“[6] et compensat aliunde in melioribus saepe. Ideo non debet invidere, neque superbire in aliquem ingeniosum, quemadmodum superbiret in ingeniosum indoctus dicens illi: Quid valet superba scientia? Interrogandum: Quid valet superbia cum ignorantia? Non minus, imo magis peccat superbus ignarus quam litteratus. Augustinus: Felix cor acutum ad veritatem, infelix contra veritatem, quia plus errat velocior extra viam quam tardus. — Secundo oratione. „Da mihi intellectum.“[7] — Tertio temperantia et in quantitate et in qualitate ciborum impedientium. — Quarto exercitio et diligente labore acuitur. — Quinto praeceptore

[1] Sap. 8, 19.
[2] Exod. 4, 10.
[3] Sap. 8, 19.
[4] Job. 38, 36.
[5] Prov. 1, 5.
[6] I. Cor. 12, 11.
[7] Ps. 118, 34. 73. 125. 144. 169.

Digitized by Google

commode docente, ita ut lumen parvum possit actuari; ut faciens prudenter ignem applicat fomentando donec ignis sit validus ad viridia et crassa ligna urendum. — Sexto animo mansueto a magistro, si quieti sunt, si inquieti, dure sunt increpandi, et si non corriguntur, pellendi. Nam si haec non prosunt, debent desistere a scientia et alteri arti se applicare, ne occupent frustra magistrum.

Secunda pars naturae est memoria, hoc est potentia reservans et reddens species intellectui et voluntati; in quorum est medio et velut thesauraria, quae conservat bona dominae suae et ea ei reddit, quum illi est opus. Et haec lubentius intellectas quam creditas, et amatas quam odio habitas recipit et conservat tanquam sibi magis proportionatas et convenientes. Sed ut intellectus habet sensum, quo utitur, et voluntas appetitum sensitivum, ita haec memoria sensitivum habet organum in occipite, hoc est ventriculum, in quo species sunt earum rerum, quae sunt retro transactae; et quia illa pars est siccior, est magis apta ad retinendum species; reliquae propter humiditatem, qua abundant, non possunt ita recipere impressiones et retinere illas. Et quia formae complexio est juxta qualitatem et capacitatem materiae, et agens pro qualitate instrumenti agit, ideo secundum quod illa pars organi est disposita, apta est vel inepta memoria. Est igitur duplex memoria, quaedam apta, quaedam inepta; apta quidem, quae habet quatuor conditiones, nempe quam facile capiat ea, quae ab intellectu et voluntate porriguntur, quam illa bene et firmiter retineat et conservet, deinde quam capax sit multarum specierum, et quam prompte et cito eas reddat, quando opus erit uti eisdem speciebus. Inepta, quando aliquod horum deest vel omnia, quod in senectute communiter accidit. Ideo in pueris caeteris paribus est aptior, quia pauciores sunt species et melius perfunduntur in tenera parte. In magnis, quia multa vident, unae species alias expellunt et sunt veluti undae fluminum. Est sane mirabile donum, ut in tam parvo ventriculo contineantur tam multae species, et ut creet velut Deus res quoad similitudines; sine quibus nec animalia viverent,

Digitized by Google

quia non recordarentur nidi, filiorum et commodorum; nec essent scientiae nec artes, quia oportet retinere habitus. Doctrina etiam divina memoria solum fuit conservata usque ad Moysen.

Juvatur memoria meditatione frequenti, repetitione, etiam vocali, intellectione, ordine, delectatione propter intellectum vel amorem concentuum, ut sunt versus. Illa enim, quae delectant, facile recipit et retinet memoria. Deinde juvatur tempore, ut mane et sub somno, oratione, cibi temperantia et quandoque medicina, si abundat caput humoribus; denique arte locorum vel imaginum, praefigendo illa, quae magis nota sunt, et in illis collocando, quae reminisci volumus, ut si in platea mihi nota affigam singulis januis unum versum. Necessaria vero est memoria omnino ad discendum. „Cor stulti quasi vas confractum, omnem scientiam non retinebit.“[1] „Describe in tabulis cordis tui etc.“[2] „Nunc igitur scribite vobis canticum istud, et docete filios Israel, ut memoriter teneant et omnes decantent.“[3] „Memorare novissima tua.“[4] Ideo et in vestigatione proponendus est intellectus, post voluntas, in medio memoria, praesentans objectum cuivis virtuti et potentiae. Si memoria praesentet objectum vitii ut amabile et delectabile, erit causa vitii; si vero praesentet idem ut odibile, erit causa virtutis. „Erit quasi signum in manu tua et quasi appensum ob recordationem inter oculos tuos.“[5] Memoria itaque est potentia duplex, scilicet intellectualis et sensualis. Ejus finis est Deum colere, ut eum intelligamus et amemus; et ob id juvat ad virtutes omnes habendas et ad fugienda vitia et ad artes et scientias amplectendas.[6]

[1] Eclus. 21, 7.
[2] Prov. 3, 3.
[3] Deut. 31, 19.
[4] Eclus. 7, 40.
[5] Exod. 13, 16.
[6] Sicuti ea, quae hoc loco leguntur de memoria duplici et de memoriae fine, probabiliter praecedere deberent enumerationem mediorum ad eam juvandam, ita etiam sequentia verba, quae in ms. post *scientias amplectendas* habentur, inepto certe loco posita fuerunt, imo cum praecedentibus comparata superflua esse videntur. Ea prout in

Digitized by Google

Tertia pars naturae est inclinatio naturalis sequens naturalem instinctum, ut voluntas rationem et appetitus animalis sensum. Haec enim inclinatio arguit convenientiam cum exercitio. Ideo in ea est delectatio et penetratio et perseverantia, quia penetramus et perseveramus in amatis ob delectationem; et ex opposito, ubi non est inclinatio, ibi non est convenientia nec delectatio, sed moeror, violentia, obtusitas et pauca duratio, quia ars vix potest contra naturam. Ideo aves post gabiam volant ad silvam, et virga ad suam rectitudinem redit, et simia semper est simia; ut est in Apologo de sorice et de mula rogante asinam, ne diceret se ejus matrem, quae respondit: Aures tuae te manifestant. Verumtamen homo, quum sit liber, potest agere contra appetitum naturalem, ut in sese interficientibus patet et in coactis remigare. Unde possunt habitus comparari contrarii naturali inclinationi. Ex quibus, quoniam consuetudo est altera natura, delectantur et periti evadunt. Gratia etiam naturam vincit. „Continuo non acquievi carni et sanguini.“[1] Unctio docet de omnibus, etiam rudes.[2] Unde in electione vitae praecipue consideranda est inspiratio, qua cognita ei etiam contra inclinationem parendum, quia ei plus placebit in re inspirata; alias sequenda inclinatio vel habitus vel prudentia, quae de praesenti potest judicare. „Cor hominis disponit viam suam,“ scilicet desiderando melius, „sed Domini est dirigere gressus ejus.“[3] Ideo ipse est orandus, ut dirigat vias,[4] scilicet ut bona fiat electio, quando prudentia non sufficit. Deus non deest, vel extra per consilium bonum vel intus faciens acceptare. Inclinatio itaque habet suas partes in juvando ad sapientiam. „Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam.“[5]

ms. inveniuntur absque emendatione hic sistimus. „Haec juvatur rursus cibo, medicina, ordine, meditatione, repetitione, suavitate cantus, re cognita, seu loco noto, ridicula arte locorum notorum vel fictorum, bono intellectu et amore, ut simile simili intelligimus, ita recordamur, si peccator dum peccat recordaretur Dei et eorum, quae sequuntur peccata, nunquam peccaret.“

[1] Gal. 1, 16. [2] I. Joh. 2, 27. [3] Prov. 16, 9.
[4] Tob. 4. 20. [5] Eclus. 6, 34.

Digitized by Google

„Initium ejus verissima est disciplinae concupiscentia.“[1] „Inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam; si enim sapientiam invocaveris et inclinaveris cor tuum prudentiae, si quaesieris eam quasi pecuniam“ etc.[2] Est autem inclinatio appetitus sequens instinctum naturalem, quae est sapientia metaphorica, et Deus dedit illam, ut homines vestigium suae sapientiae et amoris haberent et suaviter vacarent tam multis rebus et artibus. Dividitur in elementalem, vegetativam, sensitivam, rationalem, et invenitur in tota natura rerum, et in homine quoad necessitates et utilitates omnes.[3] Unde mira Dei sapientia lucet. Necessaria est, quia sine ea non est convenientia nec delectatio, ideo nec penetratio nec perseverantia. Igitur eam scriptura exigit. Quae tunc juvat, quum non frigide scire desideramus, sed quum tam fortiter inclinamur ad media et ad studium diversarum scientiarum, ut desiderans sanitatem amplectitur medicinam.

Quarta pars naturae est corpus, quod est organum juvans vel impediens animam in omni opere suo naturali pro hoc statu, quia est pars, et non totum ut angelus. Ideo ebrius et furiosus delirant, et Salomon queritur de corpore suo coinquinato. Formae dantur secundum capacitatem materiae et non majores, quia non caperentur, nec minores, quia ipsa esset vacua secundum ejus majorem capacitatem. Debet itaque corpus esse sanum, ut serviat formae, id est animae; non summa valetudine, quia tunc lascivit; ideo Plato in loco insalubri dicebat esse studium Athenis institutum, ut scholares cito se expedirent et ne deliciis vacarent. Conservatur sanitas sobrio victu et sano, exercitio, recreatione, ordine in studio, non studendo mox a pastu. Bonae complexionis homines sunt saepe molles carne, licet talis ob studium et ruminationem evadit saepe melancholicus; communiter evadunt sapientes

[1] Sap. 6, 18.

[2] Prov. 2, 2—4.

[3] Etiam in hac expositione ordo, ut videtur culpa scribentis codicem nostrum, non Lainii, desideratur.

Digitized by Google

melancholici, quia remanent ut cineres. Praesertim opus est bonis organis capitis, et organum memoriae quidem ad omnes scientias juvat.

III. Tertius dens sapientiae est exercitium vel naturae et gratiae usus. Est enim natura et gratia talentum, de quo negotiandum, ut habenti detur.[1] Prima pars hujus exercitationis est auditio, non solum a caelesti magistro Deo, sed etiam ab homine. Ideo prophetae Dominum audiverunt. „Dominus mihi dedit linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo.“[2] „Fides ex auditu.“[3] Debet auditor esse attentus et benevolus et pacificus. „In mansuetudine suscipite“ etc.[4] — Secunda pars est lectio. „Dum venio attende lectioni,“[5] quia non semper adest viva vox. Plus homo discit et magis habet praesentem auctorem legendo opera ejus, quam si possit subinde habere copiam ejus in conferentiis, quia raro id conceditur. Unde philosophi et doctores usque ad mortem vacabant lectioni, ut Origenes, qui sine lectione cibum non sumpsit unquam neque somnum. Sed fastidientis stomachi est multa sine ordine degustare. Debet igitur lectio esse 1. certa et non vagans; 2. attenta, ut fructus inde trahatur; 3. nonnunquam sonora, ut imprimatur res etiam per auditum; 4. moderata, cui finem consilium, non lassitudo imponit. — Tertia pars est meditatio ad penetrandum res et ordinate memoriae infigendum. Scriptura etiam plurimum conducet, ut summa rei colligatur. — Quarta pars est collatio, vel dicendo vel quaerendo vel amice disputando et humiliter. Nec pudeat vinci. Nunquam vincitur, cum humilitate petens doceri, qui eo ipso praestantior est docente ipso, neque etiam docens veritatem vincit, sed doctrina vincit. Urbane loquendum et ira turbans abesse debet. Brevis responsio, brevis item propositio debet esse. Finis enim est invenire veritatem per disputationem, quae est contrarietas quaedam rationalis explicans conceptus contrarios. — Quintum

[1] Mat. 25, 28.
[2] Is. 50, 4.
[3] Rom. 10, 17.
[4] Jac. 1, 21.
[5] I. Tim. 4, 13.

Digitized by Google

est perseverantia in coeptis, quia nemo repente fit summus. Majora animalia diutius in ventre manent tanquam perfectiora, ut elephas duos annos, homo octo vel novem menses, dum musca, quum sit vile animal, cito producitur.

IV. Quartus dens clavis ad sapientiam est adminiculum externum. Omnia enim externa fecit Deus, ut sciatur. Primum adminiculum est praeceptor. „In multitudine presbyterorum prudentium sta et sapientiae illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbia laudis non effugiant a te. Et si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus.“[1] Praeceptor debet esse praeditus bonis moribus, humilis, non nimis severus, non prolixus, nec multas legens lectiones, nec nimis brevis; debet recte intelligere, quae docet, ea confirmare sua auctoritate et ratione, desiderare, ut omnes capiant, non ad ostentationem docere. Christus dicebat: „Intellexistis haec omnia?“[2] — Secundo sunt libri, qui praeceptores sunt, et debent variorum esse temporum et auctorum. Praeferuntur autem veteres neotericis. — Tertium adminiculum sunt socii studiosi. „Beatus vir, qui non abiit in consilio etc.“[3] „Timentes autem Dominum glorificat.“[4] — Quarto disciplina. „Virga disciplinae etc.“[5] Qui enim non habet amorem, timore recolligitur. — Quinto facultates, non multae, quae solent ad lasciviam provocare, nec nimia egestas, sed mediocritas sufficiens quieti et literis. „Intrans in domum meam conquiescam cum illa.“[6] — Sexto aliena patria, vel propria tanquam aliena. — Septimo temperies regionis. Nimius enim calor et nimium frigus impediunt. — Octavo quies ab aliis negotiis. „Sapientia scribae in tempore vacuitatis,“ scilicet a negotiis, „et qui minoratur actu, sapientiam percipiet.“[7] „Turbaris erga plurima.“[8] — Nonum est tempus. „Dies diei eructat verbum.“[9] Ideo doctores multum temporis impenderunt studio et gentiles vocabant tempus sapientissimum-

[1] Eclus. 6, 35. 36. [2] Mat. 13, 51. [3] Ps. 1, 1.
[4] Ps. 14, 4. [5] Prov. 22. 15. [6] Sap. 8, 16.
[7] Eclus. 28, 25. [8] Luc. 10, 41. [9] Ps. 18, 3

Digitized by Google

VII.

De fuco et ornatu mulierum.

1. De fuco et ornatu tractaturi, primo, quid vox fuci et ornatus sit, declarabimus. Deinde quantum ad rem attinet, divisionem fuci et ornatus apponemus. Tertio ostendemus, ornatum et fucum licite et cum merito quandoque, licet raro, fieri posse; quarto, saepe fieri cum peccato veniali; quinto, saepe etiam peccata mortalia in eo committi. Sexto diluemus rationes, quibus fucus vel ornatus superfluus defendi solet. Septimo et ultimo subjiciemus remedia, quibus vel tolli vel moderari possit hic abusus.

Caput I. Quo sensu a nobis vox fuci et ornatus sumatur.

2. Quoad primum igitur per fucum hic intelligimus cultum illum pulchritudinis, qui mulierum praesertim arte fieri solet vel ad cutis mollitiem et splendorem, vel ad colorem rubrum vel album mentiendum, vel ad oculorum pulchritudinem augendam, sive quum aquis acrioribus et abstergentibus vel aliis unguentis maculas faciei et pellis duritiem tollentibus et ei nitorem comparantibus utuntur, sive quum cerussa et purpurisso faciem liniunt et incrustant et stibio oculos suffundunt, sive quum pilos e ciliis et fronte evellunt, sive quum crines torquent vel alienis capillis utuntur.

Digitized by Google

Per ornatum vero intelligimus, quidquid gemmarum et auri et vestium adhibetur sive corpori, sive etiam lectis et parietibus et jumentis, quibus insidunt. Sic etiam accepto fuco et ornatu duobus libellis tractat Tertullianus hanc rem, quorum priorem de cultu mulierum, posteriorem vero de ornatu earundem inscripsit.[1]

Caput II. De ornatu moderato et excessivo.

3. Quoad secundum notandum, quantum ad rem praesentem attinet, duplicem esse hujusmodi sive fucum sive ornatum, alterum excessivum et superfluum, alterum vero moderatum. Excessivus autem est ille, qui judicio bonorum et prudentium virorum metas rationis excedit; moderatus vero est, qui eorundem judicio intra rationis metas continetur; et judex est modestia et pudicitia et verecundia illo utens; qui quidem procul dubio varius est pro varietate et conditione utentium et tempore. Alius enim decet christianum, alius decebat olim Judaeum, alius decet religiosum, alius saecularem, alius nobilem, alius ignobilem, alius divitem, alius pauperem, alius principem, alius subditum, alius juvenem, alius senem, alius denique virum, alius feminam; et in quovis horum habet aliqualem latitudinem, nec in puncto et indivisibili consistit.

Caput III. Quando ornatus et fucus licite adhiberi possit.

4. His suppositis jam patet tertium, posse scilicet licet raro licite et cum merito adhiberi hujusmodi fucum vel ornatum, qui moderatus et non excessivus sit. Quod quidem et scriptura et ratione constat.

Ait enim scriptura de probatissima illa vidua Judith loquens: „Vocavitque abram suam, et descendens in domum suam abstulit a se cilicium et exuit se vestimentis

[1] Ambo inveniuntur in tomo I. Patrol. Lat. Mignianae col. 1303 ss. cum inscriptione accuratiori: De cultu feminarum lib. I. et lib. II. Tertullianum adhuc catholicum auctorem habent.

Digitized by Google

viduitatis suae et lavit corpus suum et unxit se myro optimo et discriminavit crinem capitis sui et imposuit mitram super caput suum et induit se vestimentis jucunditatis suae induitque sandalia pedibus suis assumpsitque dextraliola et lilia et inaures et annulos, et omnibus ornamentis suis ornavit se. Cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat. Et ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret."[1] Ex hoc loco non solum constat, sanctam Judith usam fuisse ornatu et fuco in hoc opus decipiendi Holofernis, sed olim vivente marito similiter indutam fuisse, dicente scriptura: „Induit se vestimentis jucunditatis suae," et rursus: „Et omnibus ornamentis suis ornavit se."

De Esther quoque sancta regina ait scriptura: „Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui et circumdata est gloria sua. Quumque regio fulgeret habitu et invocasset omnium rectorem et salvatorem Deum, assumpsit duas famulas et super unam quidem innitebatur, quasi prae deliciis et nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens; altera autem famularum sequebatur dominam defluentia in humum indumenta sustentans. Ipsa autem roseo colore vultum perfusa et gratis ac nitentibus oculis tristem celabat animum et nimio timore contractum."[2] — In Ezechiele quoque Dominus alloquitur Judaeam exprobrans beneficia ei collata sub typo ornamentorum, quae honeste uxori dari solent, dicens: „Et lavi te aqua et emundavi sanguinem tuum ex te et unxi te oleo. Et vestivi te discoloribus et calceavi te janthino et cinxi te bysso et indui te subtilibus. Et ornavi te ornamento et dedi armillas in manibus tuis et torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum et circulos auribus tuis et coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro et argento et vestita es bysso et polymito et multicoloribus; similam et mel et oleum comedisti, et decora

[1] Judith. 10, 2. 3. 4. [2] Esth. 15 4—8.

Digitized by Google

facta es vehementer nimis et profecisti in regnum. Et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam, quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te."[1]

David etiam sub typo sanctae reginae ecclesiam describens ait: „Astitit regina a dexteris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate."[2] Salomon quoque sub eodem typo in persona Christi ait ecclesiae quasi reginae: „Pulchrae sunt genae tuae sicut turturis, collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento;"[3] quae alii sic vertunt: Venustae sunt genae tuae convenientibus ornamentis et collum tuum torquibus; ornamenta enim convenientia ex auro faciemus tibi, cum notis argenteis. De muliere quoque forti ait Salomon: „Stragulatam vestem fecit sibi. Byssus et purpura indumentum ejus."[4] Sancta quoque femina Susanna, licet natura pulchra, balneo tamen et unguento utebatur; ait enim ancillis suis: „Afferte mihi oleum et smigmata et ostia pomarii claudite, ut laver."[5] Sed haec ut antiqua putentur, quia revera multa licebant in veteri testamento, quae jam non licent.

Est etiam sententia Pauli dicentis ad Timotheum: „Similiter et mulieres in habitu ornato cum verecundia et sobrietate ornantes se,"[6] ubi Paulus vult habitum ornatum, hoc est decentem et mundum, vult etiam mulieres ornare se, modo sobrie et cum verecundia id faciant.

5. Quod etiam ratio ipsa suadet. Quae enim viro conjuncta est mulier, et sobrie se ornat sine aliqua intentione prava, sed potius ea mente, ut placeat viro suo, judicans probabiliter id necessarium, ut alliciat ad amorem virum suum et usum conjugalem et ut ipsum ab alienis arceat, non solum non peccat, sed si in charitate sit, meretur sic modeste se fucans et ornans, modo maritus non prohibeat, sed potius (ut communiter fit) gaudeat. Ut

[1] Ezech. 16, 9—14.
[2] Ps. 44, 10.
[3] Cant. 1, 9. 10.
[4] Prov. 31, 22.
[5] Dan. 13. 17.
[6] I. Tim 2, 9.

Digitized by Google

enim gaudet bonus agricola de recte culto agro, ita etiam maritus probus gaudere solet de honeste culta uxore sua. Quod quidem verum est non solum de vestium ornatu, sed etiam de aliquali fuco.

Idem etiam licere probatur, si fucus vel ornamentum adhibeatur ad tegendam aliquam notabilem foeditatem, praesertim si maritum a se avertere possit, ut D. Thomas ait.[1] Quod Abulensis[2] etiam limitat: ubi fucus non sit contra consuetudinem regionis. Alius etiam limitat ad turpitudinem causatam ex aliquo accidenti; nam si naturalis esset, deberet quis contentari divina distributione et nolle corrigere opus ejus. Tertio limitandum est, modo fucus non excedat necessitatem tegendae foeditatis, sed sit tantus, quantum tectio ipsa exigit.

Caput IV. Quando venialiter per fucum et ornatum peccetur.

6. Quartum ex propositis etiam probatur, nempe ornatum et fucum quandoque cum solo peccato veniali adhiberi. Nam si intentio ornantis se et fucantis non sit alios allicere ad peccatum mortale, nec excessus sit tantus, ut sit contra Dei vel sui vel proximi charitatem, nec affectio sit tanta, ut in eo ornatu vel fuco constituatur ultimus finis, et cum his omnibus sit aliqualis excessus in ornatu vel fuco vel in ipsa affectione ad ipsum, ut illis accidit, qui ob gloriolam venialem aliquantulum excedunt in his modum: committitur tunc quidem peccatum veniale ob dictum excessum in intentione vel affectu vel ornatu ipso, sed non peccatum mortale, quia error, ut supponitur, non est tantus, ut charitatem tollat, sine quo non committitur peccatum mortale.

[1] II. II. qu. 169. art. 2.

[2] Ms. I. mendose *Albulensis*, quoties hoc nomen occurrit. Significatur Alphonsus Tostatus, episcopus Abulensis (Avila), qui in suis commentariis in Matthaeum (ad cap. 11.) de ornatu mulierum agit. Edit. Venet. 1728 T. 21. p. 455.

Digitized by Google

Caput V. Saepe peccata mortalia per fucum et ornatum committi.

7. Quinto probandum erat, saepe in hoc committi peccatum mortale. Quod ut ostendatur, primo afferemus casus, in quibus fere sine controversia est peccatum mortale; deinde in genere ostendemus, accidere solere multa peccata mortalia in hoc fuci et ornatus abusu.

Primus igitur casus est, quum quis se fucat in contemptum creatoris, ut quum mulier deliberato animo despiciens formam sibi a Deo datam, quasi sibi non bene provisum fuerit, querula de divina providentia vult aliam quasi meliorem pulchritudinem superinducere, quod plane mortale est, ut D. Thomas[1] ait, quia contra charitatem Dei est, eum contemnere, vilipendendo ejus fabricam.

Secundus casus est, quum uxor fucat vel ornat se, etiam modeste, intentione tamen prava alliciendi ad sui mortalem concupiscentiam vel virum suum vel alios a viro suo; hoc enim est contra proximi charitatem, quem inducere vult in mortale peccatum, licet ipsa nolit aliis a viro suo copiam sui facere, quia[2] satis est velle, quod in sola concupiscentia mortaliter peccent. Tunc autem intendit, ut vir suus se mortaliter concupiscat, quando intendit, ut ita ad se accedat, ut paratus esset accedere, licet non esset sua. Quod tamen rarissime putandum est accidere, quia communiter non hoc intendunt uxores, sed potius refugiunt, et solae volunt frui maritis.

Tertius casus est, quum uxor se fucat, ut inducat maritum ad honestum amorem et alios ad inhonestum; ex hac enim secunda parte mortale est.

8. Quartus casus est, quum quis ea intentione se ornat vel fucat, ut in ornatu vel fuco etiam honesto ponat ultimum finem. Id enim est contra charitatem Dei, qui plus omnibus creaturis est amandus. Judicia autem, quod in his ponatur ultimus finis, sunt duo; 1^um^ quum major cura et diligentia et affectio ponitur in ornatu corporis, quam in animae salute; 2^um^ quando paratus est quis propter

[1] L. c.

[2] Ms. I. *at quia.*

Digitized by Google

fucum vel ornatum violare praeceptum Dei vel ecclesiae obligans ad mortale, ut quum mallet quis violare festum, missam non audiendo, quam ornatum omittere, seu quum non audit missam, ut se ornet.

Quintus casus est, quando quis propter gloriam vel jactantiam se ornat, in eis ut in ultimo fine sistendo, quod eodem modo, quo supra, probatur mortale.

Sextus casus est, quando uxor contra praeceptum viri sui expressum vel praesumptum utitur fuco vel superfluo ornatu. Tunc enim est mortale, ut ait cardinalis de Turrecremata;[1] est enim hoc superbia et inobedientia mortalis, quia est de re seria et habente mali speciem et dante viro zelotypo occasionem suspicandi lasciviam et jurgia et mala magna excitandi.

9. Septimus casus est, quando citra dictum praeceptum uxor sciens, se satis sine fuco a marito diligi et tractari affectu maritali, adhuc tamen fucare se vult; quo[2] si non semper, certe saepe potest peccare mortaliter, quia quum cesset omnis causa fuci et ornatus superflui, ex se praebet occasionem marito sinistrae suspicionis et injuriam ei facit. Quia talis probus maritus, ut etiam Aristoteles ait, sicut in moribus non amat fictionem in uxore, ita etiam in ornatu; ita enim se fucare marito[3] est fictam cum eo personam agere, ut in tragoediis fit (ut philosophus dicit), et ipsum decipere.

Octavus casus est, quando religiosa vel professa castitatem se fucat; tunc enim mortaliter peccat, quia est contra Dei charitatem, cui soli vovit placere, ut ait Turrecremata.

Nonus casus est: Vidua vel virgo volens servare perpetuam castitatem, licet eam non voverit vel professa fuerit, fucans se peccat mortaliter, ut ait Abulensis super c. 11. Matthaei.[4] Talis enim, si non contra votum, facit tamen contra propositum suum et videntes fallit et se et illos in

[1] De consideratione d. 5. c. Fucare.
[2] Ms. I. et II. *quae*.
[3] Ms. II. *merito*.
[4] Vide supra p. 468 not. 2.

Digitized by Google

periculo amittendae castitatis ponit, quia fucatam videns putat eam, quae carnis sunt, diligere, et ideo crescit concupiscentia ejus et spes ea potiendi et animus eam sollicitandi, quae omnia cessarent, si tali fuco et superfluo ornatu careret.

Decimus casus est, quando mulier vetula et quae ob aetatem nubere non potest, se fucat. Talis enim tamquam insanam se infamat et lascivam, et pessimum exemplum praebet adolescentioribus, et ideo mortaliter peccat, ut ait Abulensis ubi supra.

Undecimus casus est: Vidua vel virgo nuptura se fucans, ut placeat ei, cui nubere vult, difficilius excusatur a mortali, quam jam nupta; quia haec habet virum, cui placeat, quem illa non habet. Ea etiam, quae nubere vult, dum uni vult placere, potest alios in sui concupiscentiam allicere et illum unum in re valde gravi, utpote uxore ducenda, ob pulchritudinem vel gratiam, quam mentitur, decipere, quod est mortale, juxta eundem Abulensem ubi supra.

10. Duodecimus casus est, in quo plus insistendum: Quando licet cesset intentio mortalis praedicta, qua aliqua se fucat et ornat vel in contumeliam creatoris vel ut ad sui concupiscentiam mortalem provocet[1] vel ob inanem gloriam et fuci amorem, in quibus ut in ultimo fine sistit, licet cesset etiam praeceptum[2] viri et votum vel professio vel propositum castitatis vel aetas impotens ad prolem procreandam, adhuc tamen his omnibus cessantibus, quis utitur notabiliter excessivo fuco et ornatu, ut communiter fit in hoc corrupto saeculo et praesertim in quibusdam corruptioribus civitatibus, ad mortale etiam peccatum id accedere, ex scriptura et doctorum sententiis et ratione est probandum.

11. Inprimis itaque est Isaias dicens: „Et dicit Dominus: Pro eo, quod elevatae sunt filiae Sion et ambula-

[1] *Provocet* deest in ms. I.
[2] Ms. II. *peccatum*.

Digitized by Google

verunt extento collo et nutibus oculorum ibant et plaudebant, ambulabant pedibus suis et composito gradu incedebant: decalvabit Dominus verticem filiarum Sion et Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum et lunulas et torques et monilia et armillas et mitras et discriminalia et periscelidas et murenulas et olfactoriola et inaures et annulos et gemmas in fronte pendentes et mutatoria et palliola et linteamina et acus et specula et sindones et vittas et theristra. Et erit pro suavi odore foetor, et pro zona funiculus, et pro crispante crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent et fortes tui in proelio. Et moerebunt atque lugebunt portae ejus, et desolata in terra sedebit."[1] Haec Isaias, ex cujus verbis intelligimus, ob has mulierum vanitates immissum a Domino flagellum, quo viri fortes in proelio occisi sunt et uxores viduatae et afflictae, quae plane Dominus non mittebat ob levia et venialia peccata, sed ob crimina mortalia. Peccatis enim, quibus in veteri testamento infligebatur mors corporis et gravis desolatio in novo imminet infernus. Considerandum etiam est, quod si in veteri testamento, ubi carnalia promittebantur, hic abusus erat mortalis, in novo erit horrendum crimen, ubi spiritualia bona promittuntur et via ad illa est crux, et ejus luctus statuitur, qui non solum mente sed corpore et ornatu profitendus est. Ideo Esther regina et Judith[2], licet pro necessitate et charitate, regio uterentur ornatu, mente tamen illum detestabantur nec domi manentes ferre volebant. Quocirca dicebat Domino Esther: „Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiae et gloriae meae, quod est super caput meum in diebus ostentationis meae, et detester illud quasi pannum menstruatae, et non portem in diebus silentii mei."[3]

12. In evangelio etiam, sicut proponitur ut pars et

[1] Is. 3, 16—26.
[2] In ms. I. et II. verba *et Judith* sequuntur post *charitate*.
[3] Esther 14, 16.

Digitized by Google

signum justitiae Joannis Baptistae indumentum e pilis camelorum et zona pellicea, ita etiam suggillatur ut injustitiae pars in epulone byssus et purpura, in qua etiam Dominus irrisus est. Unde et meretrix in Apocal. describitur, quum dicitur: „Et mulier erat circumdata purpura et coccino et inaurata auro et lapide pretioso et margaritis, habens poculum aureum (nempe vanitatis) in manu sua plenum abominatione et immunditia fornicationis ejus; et in fronte ejus nomen scriptum: Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terrae.“[1] Hujusmodi ergo excessus sive in meretrice sive in epulone putare solum veniale, alienum plane a ratione est.

Paulus etiam ad Corinthios charitatem describens ait inter alia: „Charitas non aemulatur, non agit perperam.“[2] Quod Clemens Alexandrinus refert ad cultum superfluum et ambitiosum; ideo sequitur „non inflatur, non est ambitiosa.“ Qui ergo perperam agit cultu superfluo abutens, sine charitate est. Si enim Dominus praecepto prohibet sollicitudinem etiam necessarii ornatus, dicens: „Nolite solliciti esse animae vestrae, quid manducetis, neque corpori, quid induamini,“[3] quanto magis intelligitur prohibere superfluum ornatum, quem Paulus describens ait: „Similiter et mulieres in habitu ornato cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus aut auro aut margaritis vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.“[4] Cui consonat Petrus dicens: „Similiter et mulieres subditae sint viris suis, ut et, si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore sanctam (alii vertunt castam) conversationem vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando et sanctae mulieres, sperantes in Deo, ornabant

[1] Apoc. 17, 4. 5.
[2] I. Cor. 13, 4.
[3] Luc. 12, 22; Mat. 6, 25.
[4] I. Tim. 2, 9. 10.

Digitized by Google

se, subjectae propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahae, dominum eum vocans, cujus estis filiae benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem."[1]

13. Male autem eluduntur[2] hae apostolicae sententiae a quibusdam, inprimis dicendo, eas consulere, non autem praecipere ea, quae ad ornatum pertinent; deinde, si praecipiunt, vetare potius peccatum veniale quam mortale, vel si mortale vetant, potius id facere pro tempore primitivae ecclesiae quam pro nostro.

Sed quod hi decipiantur, liquet primo, quia quum Isaias Judaeis feminis sub praecepto et gravi comminatione superfluitatem ornatus prohibeat,[3] apostoli christianis feminis tanto plus prohibebunt, quod ex adjunctis verbis manifeste convincitur. Nam sobrietas et verecundia et protestatio pietatis per bona opera et sancta, sive casta conversatio et modestia et quies spiritus, de quibus apostoli ante et post loquuntur, praecepta sunt et non consilia. Ergo etiam sententia de ornatu, quae in horum medio ponitur, praecepti erit et non consilii; et quia praeceptum proprie mortale vetat, et apostoli et sancti doctores non solent ita exaggerare levia peccata, quia esset animas illaqueare, quae sine his peccatis vivere nequeunt,[4] fit ut peccatum mortale hic prohibeatur; et non solum feminis illis primitivae ecclesiae, quae ornatu ob fervorem spiritus minus abutebantur; et fortassis ob conjunctionem infidelium illis licebat eo uti, ne se vel suos periculo ante tempus exponerent, ut de Esther, uxore infidelis Assueri, vidimus. Sed multo magis prohibetur feminis christianis succedentis ecclesiae, quae illo magis abutuntur et absque causa, quum non sint sub principibus vel maritis infidelibus.

14. Quod si prohibetur feminis, quae minus pollent rationis judicio et molliores sunt et ideo molliori veste uti licite possunt, ut ait Clemens Alexandrinus,[5] multo magis

[1] I. Pet. 3, 1 - 6.
[2] Supra pag. 472.
[3] Ms. II. *intelliguntur.*
[4] Ms. II. *nequirent.*
[5] Paedag. lib. 3 c. 11; Migne P. G. 8, 630.

Digitized by Google

prohibetur viris, qui magis pollent ratione et natura sunt robustiores.

Ideo deplorandum nostrum saeculum, in quo et viri et feminae communiter aquis odoriferis et chirothecis abutuntur[1] et auro et gemmis et sericis et purpureis et mollibus vestibus, Christum denuo purpura induunt et divitem epulonem et meretricem illam a Joanne visam imitantur. Ideo quod supra dictum est de mulierum fuco et ornatu, multo magis est in hos intorquendum.

In quos etiam sicut et in mulieres militant rationes sequentes.

15. Quarum prima est, quia fucus et ornatus excessivus est contra charitatem Dei. Dat enim occasionem violandi tria praecepta prioris tabulae. Illae enim mulieres, quae tanto studio se superflue ornant, Deum alienum sui corporis adorare videntur et illi ingenium, memoriam, voluntatem et linguam et labores et substantias offerre dum nil aliud ita cogitant, memorantur, loquuntur, amant et laborant, sicut corpus ornare, quod etiam idolum aliis adorandum ostentant, dum composito gradu et pompatice incedunt per vicos et plateas et templa. Est etiam occasio pejerandi nomen Dei; in his enim, quae ad fucum et ornatum pertinent, vel vendendis vel emendis vel faciendis, mille perjuria interveniunt, dum artifices, ut care vendant, et ut expectentur, dum haec vana conficiant, millies pejerant, sicut et ementes, ut vilius emant vel empta apud maritos et parentes vel dominos excusent. Violantur etiam festa et loca sacra, dum vel quia non sunt ornatae, ut earum superbia vellet, vel quia dum diu in hujusmodi ornatu remorantur, sacra omittunt; et dum eunt, saepius pejus Deum offendunt, dum vident et videntur et videri volunt, dum de his naeniis[2] in die festo et sacro tempore et loco[3] colloquuntur, sacra saepe verba vel missae

[1] Ms. I. et II. *abutentes* et postea *induentes* (I. *irridentes*) atque *imitantes*.

[2] *Naeniis* deest in ms. II.

[3] Ms. I. *in sacro templo*.

Digitized by Google

vel concionis interpellando et alios impediendo, quae omnia profecto amori Dei repugnant.

16. Secunda ratio est, quia fucus jam dictus et ornatus repugnant charitati, quam sibi homo debet. Laedit enim se homo 1. in divitiis, qua in re magis nocet superfluus ornatus, quam fucus, quia in gemmis et catenis et annulis et armillis et vestibus lineis et laneis et sericis et pelliceis et in tapetibus et stragulis, in ornamentis equorum et mularum, in vasibus aureis et argenteis et aereis, in aedificiis domorum et fontium et hortorum infinita expenduntur, ut merito dixerit Clemens Alexandrinus,[1] curiositatem ornatus pejorem[2] esse gula et ebrietate, quod huic sufficiant, quae in una mensa apponuntur, illi non sufficiat totus orbis.

2. Nocet sibi in honore, quia habitus judex est ejus, qui illo ornatur, et ita sicut miles et nauta et monachus et philosophus et senator et doctor et rex et pontifex ex habitu dignoscitur, ita etiam honesta vel inhonesta mulier. Inhonestae autem mulieris habitus fucus est et ornatus superfluus. Talem enim, ut vidimus, descripsit Joannes in Apocalypsi, de qua et Salomon ait: „Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, praeparata ad decipiendas animas.“[3] Idcirco Judas, quum videret Thamar, quae „depositis viduitatis vestibus assumpsit theristrum, et mutato habitu, sedebat in bivio. . . suspicatus est, esse meretricem.“[4] Idcirco teste Clemente Alexandrino Lacedaemones solis meretricibus vestes fucatas coloribus et auri usum concedebant. Quum igitur fucus et ornatus superfluus meretricem indicet, quae illo utitur, se quasi impudicam infamat; neque se purgat, si lingua testetur, se esse pudicam, quia est protestatio contraria facto; ac si quis aliquem pugno percutiens protestetur, se nolle eum percutere, cui protestationi non est adhibenda fides; ita etiam quum facies, oculi, pectus, manus, pedes, incessus et

[1] Paedag. lib. 3. c. 2; Migne P. G. 8. 570.
[2] Ms. I. *priorem*.
[3] Prov. 7, 10.
[4] Gen. 38, 14 15.

Digitized by Google

omnia membra fuco et ornatu suo testentur impudicitiam, plus illis mentiri nesciis credet homo, qui cor non intuetur, quam linguae soli mentiri assuetae. Infamat etiam se talis tamquam stultam, utpote quae se viliorem auro et gemmis et serico putat,[1] quibus existimat, se ornari, quia viliora pretiosis ornari solent. Est etiam stultum et contra naturam velle tegumenta esse pretiosiora rebus, quae teguntur, quum contra natura[2] habeat. Praefertur enim medulla cortici, spiritus et anima carni, substantia accidentibus, aurum terrae, gemma conchae, fructus foliis. Hae vero stultae, ut Clemens Alexandrinus ait, multa plura expendunt in corpore tegendo, quam ipsae, si in servas vendantur, valeant. Produnt se etiam in hoc stultas, quia putant alios adeo stultos, ut earum pulchritudinem ex adventitio ornatu dijudicent, quum tamen rei pulchritudo ex ea nuda sit judicanda. Nec enim equum bonum vel pulchrum judicamus ex pulchro ephippio vel freno, sed ex quantitate vel proportione membrorum et nativo colore. Unde fit, ut quae se fucant, potius foedas se ostendant. Ut enim qui ostiatim mendicant, se pauperes produnt, ita hae mendicantes ruborem a purpurisso, albedinem a cerussa, splendorem a variis aquis, odorem ab aromatibus variis et venustatem a variis vestibus et gemmis, se foedas ostendunt, et eo foediores quo pulchriora sibi circumponunt, quia opposita juxta se posita magis elucescunt. Ideo ut solent cavere, ne quum foedae ipsae sint, pedissequas secum pulchras ducunt, ne earum comparatione foediores videantur, ita deberent cavere pulchriora ornamenta, prae quibus ipsae foedae videntur, pulchritudine ornamentorum interim adscripta vel naturae vel artifici, non ipsi gestanti. Neque enim quia pulchrae sunt gemmae vel flores, ideo pulchra erit eos gestans, alioquin bajuli auro et gemmis onusti pulcherrimi essent. Ideo acute cuidam juveni pingenti Helenam foedam et auro onustam dixit Apelles: Quum non posses depingere pulchram, fe-

[1] Ms. I. *neque se . . putet.*
[2] Ms. II. *naturam.*

Digitized by Google

cisti divitem.[1] Laedit igitur se in honore, dum impudicam et stultam et foedam se ostendit. Quae etiam in hoc se viliorem ostendit aliis animantibus, quae naturalibus ornamentis contentae sunt, ut gallus crista quasi galea, ut equus juba et leo mento. Ita igitur homo contentari debet ornamento naturae suae, id est rationi conformi et statui, quem profitetur.

17. Laedit 3. corpus hujusmodi fucus et ornatus, quia cerussa, ut fertur, maxillis applicata valde dentibus nocet, crebra etiam humectatio capillorum, crebra quoque exsiccatio valde capiti nocet. Et si Clementi Alexandrino credimus, ex capitis siccitate deficiente humore, quo capilli nutriuntur, ipsi velut arescentes albescunt et cani cito fiunt. Nocent etiam corpori in hoc quam plurimae, quia tam vanae sunt, ut cibo parcant et necessaria victui subtrahant sibi et suis, ut in his vanitatibus insumantur. Nocent etiam, dum vel nimis strictae[2] incedunt vel quadam vana amplitudine et vestium concavitate locum frigori vel vento porrigunt.

Laedunt etiam se 4. in pretiosissimi temporis jactura, quam miserae faciunt in videndo et cogitando et conficiendo et aptando sibi vana haec et de illis loquendo et audiendo.

18. Demum nocent sibi in anima, primo eam corpori injustissime postponendo; si enim ipsae merito injustum putant, si viri sui sibi praeponant ancillas, injustissime ipsae carnem animae praeferunt; de quibus merito Salomon dicit: „Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius.“[3] Sapiens enim est, qui cor habet in dextera, animam carni praeferendo; stultus autem, qui id habet in sinistra, carnem ei praeferendo. De quo merito idem Salomon ait: „Est malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis: positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum. Vidi

[1] Clem. Alexandr. Paedag. lib. 2. c. 12; Migne P. G. 8, 550.
[2] Ms. I. et II. *stricte*. [3] Eccles. 10, 2.

Digitized by Google

servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos."[1] Et alibi: „Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere; per servum, quum regnaverit, per stultum, quum saturatus fuerit cibo, per odiosam mulierem, quum in matrimonio fuerit assumpta, et per ancillam, quum fuerit heres dominae suae."[2] Quae plane mala facit, quae neglecto spiritu carnem superflue ornat. Caro enim est ille stultus positus in sublimi, sensus etiam carnis sunt illi servi in equis ambulantes; est et ipsa caro ancilla[3] heres dominae, quia cura[4] animae impendenda in ea collocatur. Ideo praestaret sequi Abraham ejiciendo ancillam cum filio ejus, carnali desiderio, in desertum poenitentiae cum pane et aqua,[5] ut interim domina, id est anima, ornetur divitiis illis, quae ab intus sunt, et quiescat.

Laeditur etiam anima, quia dum ipsa foris egreditur ad ornandum se, daemon ut fur intrat domum ejus cum septem spiritibus nequioribus se,[6] imo cum septem capitibus et cornibus decem visis a Joanne,[7] id est cum septem peccatis mortalibus et transgressione decem praeceptorum.

Peccat enim talis anima superbia et contemptu aliorum, si prae illis ornata est. Peccat etiam inani gloria, dum sua expendit et dilapidat, ut alienos oculos satiet, in quo duplex stultitia est: altera, quia rem impossibilem aggreditur, quia „non saturatur oculus visu"[8] et mundus, ut dicitur, est animal habens oculos majores ventre, quod insatiabiliores sint; altera est, quia si maxime satiabiles essent alieni oculi, deberent propriis expensis[9] satiari. Nunc autem hae misere dilapidant patrimonium, ut vestes et jocalia emant, ut alienos oculos satient, interim ventri proprio, imo pauperum Christi parcentes. Peccat etiam invidia, ira et avaritia, si quae videt, et aliae habent, et ipsa non obtinet; ob quod peccat etiam acedia, quia prae

[1] Eccles. 10, 5—7.
[2] Prov. 30, 21—23.
[3] Verba *sunt* usque ad *ancilla* desunt in ms. II.
[4] Ms. I. *caro*.
[5] Gen. 21, 10 ss.
[6] Mat. 12, 45.
[7] Apoc. 12, 3.
[8] Eccles. 1, 8.
[9] Ms. I. *exemplis*.

Digitized by Google

tristitia et sacra et orationes omittit. Peccat in gula, quia quum pompose ornata est, adit alienas domos et frequentat convivia, ut videatur. Peccat in luxuria, quandoque eam committens, ut turpem mercedem ad se ornandam accipiat, quandoque etiam, quia quum ornata est, vagatur et occasiones immunditiae habens polluitur. Ideo consulit Clemens Alexandrinus maritis, ut extrahant ab eis ornamenta, ne vagentur, sicut avibus extrahi solent pennae, ne fugiant.[1] Uxor enim juxta David sententiam, „sicut vitis abundans" manere debet „in lateribus domus"[2] et non extra vagari; et ut id faciat est putanda, ablatis superfluis ornamentis.

19. Violat quoque decem praecepta; quod jam de tribus prioribus vidimus, quorum trium observationem praesertim in baptismo profitemur, in quo renuntiamus diabolo et omnibus pompis ejus et profitemur, nos natura filios esse Adae et irae,[3] et promittimus crucifixi sequelam. Fucus autem et ornatus superfluus directe contrarius est huic professioni, quia pars est operum et pomparum daemonis, et qui illo utitur, negat statum sibi convenientem, et quia filius est Adae secundum carnem, et quia frater et miles est Christi secundum spiritum. Qui ergo se cognoscit filium Adae, hoc est se esse in exilio et circumferre carnem mortalem rebellem spiritui, debet illam veste aspera et lugubri domare.[4] Idcirco Adam et Eva primo asperis foliis ficus se texerunt et a Deo tecti sunt vestibus pelliceis, quibus (si Sexto Pompejo Festo credimus) veteres utebantur tempore luctus. Ideo sancti, qui continuum luctum intelligebant hanc vitam, circumierunt juxta Paulum „in melotis et pellibus caprinis."[5] Quia vero postea vestibus pelliceis homines in luctu coeperunt

[1] „Ea ergo, quae a feminis ad luxum comparantur, ab eis tanquam pennae detrahenda sunt, ut quae instabilem insolentiam inanesque voluptates procreent, quibus excitatae et quodammodo alatae, saepe a matrimoniis avolant." Paedag. lib. 3. c. 11; Migne P. G. 8, 631.

[2] Ps. 127, 3. [3] Eph. 2, 3.

[4] Ms. II. *veste aspersa et lugubri domare.*

[5] Hebr. 11, 37.

Digitized by Google

uti, ideo monachi initio[1] his usi sunt, et quia se cognoscebant filios Adae, ut diximus, et quia fratres erant Christi; qui postquam in luctu et passione degit vitam, irridetur ab iis, qui pretiosis et mollibus vestiuntur, sicut florum coronae juxta Clementem Alexandrinum irrident coronam spineam Christi.[2]

Reliqua etiam septem praecepta de proximi charitate violantur[3], quia parentes et maritos vexant, extorquendo pecuniam[4] pro hujusmodi pompis; pro quibus interdum committitur adulterium et aliena concupiscuntur et furta et homicidia fiunt.

20. Quum igitur anima tam foeda sit in corpore tam ornato, merito a Clemente Alexandrino comparatur idolis gentium, quae quum rudia et foedissima saxa et ligna essent, templis ornatissimis continebantur; ita animae foedissimae istarum corporibus ornatissimis continentur.[5] Ideo daemon merito irridet illas, per aureas catenas vel cingulum eas ridentes ad infernum trahens quasi saccos vermium. Merito etiam idem daemon in animam ut foediorem expuit; sicut de quodam dicitur, qui expuit in faciem tyranni foedissimi habentis pulcherrimam domum et familiam, quaesitusque cur id fecisset, quia nihil, ait, foedius facie tua in domo tua vidi; ita daemon respondere his potest, qui corpus ornantes non fecerunt semen in Israel, id est non curaverunt obtinere sedem in coelo animae paratam. Ideo merito in infernum ducuntur. Ut enim Tertullianus ait, quamdiu Eva vixit, non se ornavit.[6] Ideo sicut loculus cadaveris, et quamdiu habet cadaver ornatum, etiam pallium est cadaveris signum, ita superfluus ornatus corporis signum est intus foetentis et mortuae animae. Unde Habacuc ait: „Ecce iste coopertus est auro et argento et omnis spiritus non est in visceribus ejus.“[7] Ideo

[1] Deest in ms. II.
[2] Paedag. lib. 2. c. 8; Migne l. c. 480.
[3] Deest in utroque ms. [4] Item deest in utroque.
[5] Iste locus classicus exstat apud Clementem Alex. in Paedag. lib. III. c. 2; Migne P. G. 8, 559.
[6] De cultu foeminarum l. 1. c. 1; Migne P. L. 1, 1305.
[7] Hab. 2, 19.

Digitized by Google

sicut Christum indutum purpura mali irridebant, boni vero ei compatiebantur, ita superflue ornatum daemones irrident, Deus autem et angeli et boniviri ei, ut cadaveri, compatiuntur.

21. Tertia ratio est, quia superfluus ornatus et fucus est contrarius charitati proximi; et ornatus quidem plus laedit charitatem proximi,[1] quia vexat eum et dat occasionem vel avaritiae vel ambitionis et vitiorum his conjunctorum. Fucus vero, in quo non ita expenditur, laedit proximum in hoc, quod dat occasionem luxuriae et vitiis eis conjunctis.

Quae ut videantur, discurrendum est per eos, qui ex dictis laeduntur.

Laeduntur igitur in primis parentes, quia quum filiae nimis in pompis expendant, vexantur parentes, dum cogitant et angustiantur pro dote quaerenda, sive per usuras et fraudes sive per rapinas et bella et malas artes. Vexantur et fratres, quibus saepe incumbit onus maritandi sorores et eadem faciendi, quae de parentibus diximus; vel si parentes eas maritarunt, quia ipsis nihil relinqueretur, coguntur vel vacare injustis negotiis vel ire ad bella et omnia militum peccata addiscere, vel quia non audent ita pomposas ducere uxores ob graves expensas, manent interdum cum concubinis vel his foediora peccata committunt. Vexantur sorores,[2] quia, una vel altera dotata, reliquae manent sine dote et vel coguntur invitae intrare monasteria vel prae invidia sororum et desperatione inhonesta committunt. Vexantur etiam servi, qui vel in victu vel in verbis vel in verberibus vel mercede laeduntur occasione harum pomparum. Vexantur mariti fictis suspiriis et lacrimis, unde coguntur male lucrari, ut uxor eorum expendat; quos quandoque mulier prodit, ut habeat, unde ornetur, ut Eriphile meretrix facta, „auri quae pretium sumpsit pro conjuge charo.“ Vexantur consanguinei et alii similis nobilitatis, dignitatis et gradus, sed pauperes, qui non possunt ita dotare filias suas, quae vel re-

[1] Verba *et ornatus . . proximi* desunt in ms. II.
[2] Ms. II. *parentes.*

Digitized by Google

manent innuptae vel nubunt vilioribus, unde nobilitas perditur et jam dicta mala sequuntur.

Laeduntur etiam artifices, qui in his faciendis vel vendendis occupantur et horum pararii; quia sicut prohibita piscatione non solum piscantes, sed etiam retia illis dantes incidunt in poenam, ita etiam isti artifices, qui non utuntur superfluo ornatu, peccant juvando eo abutentes.[1] Alii etiam pauperes laeduntur, quia superflua divitum pauperibus debent erogari; in hoc enim eis data sunt. Alii etiam proximi laeduntur, qui hujusmodi ornatum vident; praebetur enim eis occasio contentionis, invidiae, aemulationis, murmurationis, irrisionis et frequentis lasciviae, praesertim ex fuco. Ornamenta enim pretiosiora licet laedant rempublicam in abusu divitiarum, quae sunt nervi ipsius, plusquam fucus, in provocatione tamen ad luxuriam et mala, quae ex ea nascuntur, plus nocet fucus; quia experientia monstrat, quod vestis licet pretiosa, modo sit honesta, non provocat ita ad lasciviam, imo quo honorabiliorem ostendit habentem,[2] eo minus sperant et audent carnales eam provocare; fucans autem se, ostendit se curiosam et vanam et quae carnis sunt quaerentem et quasi se prostituentem, ideo aditum facit concupiscentiae et audaciae eam tentandi. Ideo volebat Paulus, ut velato capite in ecclesia mulieres orarent propter angelos,[3] qui offenduntur, dum in tortis crinibus, quasi rete et daemonum nido, piscantur animas, quas ipsi custodiunt. Ideo etiam Tertullianus laudat feminas Arabes, quae dimidia[4] luce se privabant, altero tantum oculo videntes, ne ab hominibus aspicerentur;[5] reprehendit etiam reginam illam Romanam, quae illas miseras dicebat, quod ita velatae[6] amare possent et non amari. Hoc inprimis reprehendit Tertullianus, quia raro accidit, quod ipsae ament, sed fre-

[1] Ms. I. *eo abutente.* Ms. II. *se abutentes.*
[2] Ms. I. *habitum.*
[3] I. Cor. 11, 10.
[4] Ms. I. et II. *media.*
[5] De velandis virginibus (liber a Tertulliano montanista conscriptus) c. 17. Migne P. L. 2, 912.
[6] Ms. I. *natae.*

Digitized by Google

quenter quod amentur, si non velentur.[1] Unde etiam Clemens Alexandrinus non commendat illam, quae quum audisset: pulcher cubitus, respondit, at non publicus, et dicenti: pulchra facies, respondit, at solius mariti mei. Consultius enim fuisset tegere membra, quam occasionem dare hujusmodi laudatoribus, qui ab his scandalizantur. „Melius est enim labi pedibus quam oculis," teste Clemente Alexandrino.[2]

22. Laeduntur etiam non parum honestae et modestae personae, quae inter hujusmodi ambitiosas vivunt, dum irridetur earum justitia et simplicitas, quod modeste et sobrie se ornent; interdum quoque, quia infirmae sunt, timore hujus opprobrii excessive etiam se ornant. Absentibus etiam obsunt, et quia hujusmodi pomposae vanitates de gente in gentem facile transeunt, et quia subdoli et injusti negotiatores et crudeles milites alienas regiones diripiunt et mare et terras inquietant, quo male conquirant aurum, gemmas et ornamenta, quibus natale solum inficiant. Nocent etiam futuris hominibus, qui malam hujusmodi invenientes consuetudinem vel servant vel in pejus augent, in quo frequenter peccare solent matres, filias docendo hujusmodi fucum et ornatum. Offendunt et prioris saeculi homines, quorum et exemplum modestiae imitari dedignantur et doctrinas spernunt; non solum enim auctores scripturae, quos attulimus, sed innumeri sancti et doctores et antiqui patres hujusmodi abusum taxant et igne aeterno dignum existimant. Qui tam multi sunt, ut ob prolixitatem vitandam eorum sententias non retulerimus. Legat qui volet Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum, Augustinum et Chrysostomum,[3] Boetium et omnes fere alios; inter modernos legat Abulensem super Matthaeum c. 11., Joannem de Turrecremata.[4] Ut merito crudelissimae habendae sint,[5]

[1] Ibid.
[2] Paedag. lib. 3. c. 11. Migne l. c. 646.
[3] Deest in ms. I.
[4] Vide supra pag. 468 not. 2.
[5] Ms. I. *Et . . sunt.*

Digitized by Google

quae cum tot proximorum damnis superflue ornari volunt, longe dissimiles mansueto Davidi, qui aquam periculis emptam bibere noluit, sed eam Domino libavit.[1] Offendunt denique angelos ipsos et beatas animas sibi caras a Deo separando. Ideo legitur, angelum quendam corpore assumpto nares obturasse, dum juveni pulchro et ornato appropinquasset, quas coram bruto[2] cadavere patulas habuit. Et tandem solis daemonibus in hoc obsequium faciunt. Illi enim teste Tertulliano, qui se in angelos lucis transfigurant, inventores fuerunt hujusmodi artis perversae se fucandi et lascive ornandi.[3]

Quum igitur ita fucus et ornatus superfluus Deum offendat et eum, qui se superflue ornat, et alios proximos omnes, mortale peccatum procul dubio saepissime erit et aeterno igne dignum, idcirco totis viribus vitandus et dissuadendus.

Quod tamen de universo abusu vel aliqua magna ejus parte intelligendum censeo. Talis enim contra charitatem fere militat. Quod non ita auderem asserere[4] de quavis hujus abusus parte; nec enim semper peccatum mortale putarem abuti alienis capillis vel annellis[5] vel chirothecis excedentis pretii et similibus. Quodvis enim horum seorsim non semper erit contrarium charitati, quia expensas charitati contrarias non inducet, neque utentem impudicam ostendet, neque alium mortaliter scandalizabit, quod facere monstravimus[6] totum abusum hunc vel magnam ejus partem.

Caput VI. Rationes pro fuco vel ornatu superfluo considerantur.

23. Neque rationes, quibus superfluus fucus vel ornatus defendi solet vel approbari, alicujus sunt momenti,

[1] II. Reg. 23, 16. [2] Ms. II. *bruti*.
[3] Cf. Tertull. De cultu fem. l. 1. c. 2. (Migne P. L. 1, 1305) et 2. c. 5. 10 (Migne l. c. 1321. 1328).
[4] Ms. I. *disserrere*. [5] Ms. II. addit *vel pilos evellere*.
[6] Ms. I. et II. *monstrabimus*.

Digitized by Google

quarum solutionem, ut sextum[1] ex propositis absolvamus, submittimus.

1. Afferri possunt scripturae superius[2] allatae ad probandum, quandoque licitum esse fucum et ornatum. Sed qui illas adducunt, advertant in primis, quod illae sententiae, quae ex novo testamento adducuntur, tantum admittunt sobrium et verecundum et honestum ornatum. Paulus enim ait: „cum verecundia et sobrietate ornantes se." Petrus etiam vult, ex habitu ostendi sanctam conversationem et modestiam et quietem spiritus. Aliae vero sententiae ex veteri testamento adductae, licet ostendant, ornatum per se non esse malum et modestum ornatum esse licitum, non tamen id de superfluo et excessivo ostendunt. Ornatus enim ibi descriptus honestus erat illis personis, quae eo utebantur eo tempore. Et hic animadvertere oportet duo: Alterum, varietatem temporum; tunc enim licebat uti auro et gemmis et veste pretiosa, quia mundus erat parvulus et condonandum erat ejus pueritiae. Nunc autem post Christi exemplum et doctrinam et apostolorum et patrum prohibitiones id non licet, Paulo dicente, „non in tortis crinibus aut auro aut margaritis aut veste pretiosa" etc.[3] Alterum advertendum est, quod personae, quae in illis sententiis ornatae inducuntur, magnae erant. Nam ecclesia a Davide et Salomone, et synagoga ab Ezechiele ut regina introducitur. David enim ait: „Adstitit regina a dexteris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate."[4] Salomon: „Sexaginta sunt reginae . . et una est columba mea,"[5] ubi etiam reginis eam praefert. Ezechiel etiam de regina loquitur, ait enim: „Et profecisti in regnum."[6] Esther quoque regina erat; et nondum regnum adepta, quum introducenda esset ad Assuerum, „non curavit, ut aliae juvenculae, muliebrem cultum, sed quaecunque voluit Egeus eunuchus custos virginum, haec ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa

[1] Ms. I. *textum*, ms. II. *sestum*.
[2] Pag. 465 ss. 473.
[3] Supra pag. 473.
[4] Ps. 44, 10.
[5] Cant. 6, 7. 8.
[6] Ezech. 16, 13.

Digitized by Google

valde et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur."[1] Mulier quoque fortis Salomonis quasi senatoris et principis uxor describitur; dicitur enim: „Nobilis in portis vir ejus, quum sederit cum senatoribus terrae."[2] Judith etiam et Susanna primariae feminae erant, quibus etiam tunc[3] cultiori habitu uti licuit. Idcirco Isaias non reginas, sed alias communes[4] filias Sion reprehendit. Paulus fortassis[5] quoque non de reginis et magnis principibus est intelligendus, quia in signum magistratus et principatus, et ut a plebe in ejus bonum debite honorentur, licebit eis auro et veste pretiosa uti, nec illis erit excessivus ornatus, quamvis melius facerent, si moderato habitu uterentur.

24. 2. Adduci possunt aliqui doctores moderni, ut Cajetanus et alii eum sequentes, qui hanc rem communiter putant venialem. Divus Thomas quoque solum tunc existimat mortalem, quando vel fit in contumeliam creatoris vel propter lasciviam.[6] Sed quod ad Cajetanum et similes spectat, non est, quod nos multum moveant, quia illis, ut paucis et modernis et non fulgentibus sanctitate possumus opponere quam plurimos sanctissimos et antiquos patres doctissimos. Illis etiam adversantur alii moderni plures et non minoris doctrinae. Ad dictum vero divi Thomae dici potest, quod ad illa duo capita reduci possunt duodecim casus a nobis narrati, quia undecim posteriores lasciviam habent admixtam vel intentione vel occasione, si bene respiciantur.

3. Ajunt divitias suas esse, ideo posse de illis disponere, ut volunt, vel in fucis vel ornamentis. Sed his respondemus, quandoque quidem non esse suas illas divitias, quia saepe injusto negotio vel bello vel tyrannide eas multi extorquent, ut male consumant. Et de vestimento talibus divitiis empto potest dici illud Isaiae: „Quia omnis

[1] Esth. 2, 15.
[2] Prov. 31, 23.
[3] Ms. I. *nunc.*
[4] Verba *cultiori . . communes* desunt in ms. I.
[5] Deest in ms. II.
[6] II. II. q. 169. art. 2.

Digitized by Google

violenta praedatio cum tumultu et vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem et cibus ignis."[1] Et illud Jeremiae: „Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quaerendam dilectionem, quae insuper et malitias tuas docuisti vias tuas, et in alis tuis (alii vertunt, in ore vestimentorum tuorum) inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum?"[2] Licet istorum etiam essent divitiae, quia justae, non tamen sunt suae ad abusum,[3] sed ad usum. Nemini enim dat Deus vel obolum,[4] ut eo abutatur. Abusus autem et peccatum est non uti re in eum finem, ad quem a Deo creata est, sed in oppositum. Et si abusus ille magnus est, utpote de re magna, vel in malum finem notabiliter, abusus ille mortalis est, quod accidit in excessivo cultu et ornatu; ut recte dixerit Clemens Alexandrinus, hujusmodi non recte argumentari.[5] Sic enim fere argumentantur: Possideo, ergo solus frui debeo. Quod argumentum plane innaturale[6] est. Sed ita arguendum: Habeo et possideo, ergo aliis debeo communicare; quia divitiae ut fumus spargendae sunt et aliis communicandae, et non sibi soli, hoc est suae lasciviae et pompis.

25. 4. Ajunt, divitias sibi a Deo datas, gemmas item, aurum et sericum a Deo concessa, ut illis utantur; ideo contra rationem esse, habentem illis non uti. Quibus respondemus, praedicta quidem a Deo esse, quia creaturae Dei bonae, abusum autem horum non esse a Deo, sed hominis vel daemonis malitia inventum esse. Quo abusu cessante melius praedictis uteremur, primo non ea cum damno proximi quaerendo, sed sinendo illa esse, ubi Deus illa reposuit; praestaret enim aurum in terrae visceribus relinquere et gemmas in conchis et sericum in arboribus, quam illa tam anxio affectu et tanto animae et corporis

[1] Is. 9. 5.
[2] Jer. 2, 33. 34.
[3] Ms II. *luxum.*
[4] Ms. I. *abusum.*
[5] Late de hoc argumento disserit Paedag. lib. 2. c. 12; Migne l. c. 542. 543.
[6] Ms. I. *naturale.*

Digitized by Google

damno quaerentium invenire. Ajunt enim fide digni, nostris temporibus apud occidentales Indos ob auri et argenti et gemmarum famem plures quam quindecim vel viginti milliones [sic] occisos bello vel misera servitute detentos.[1] Nec dicat hic aliquis, praedicta relinquendo nullus eorum esset usus; quia homo non solum utitur re, quando eam possidet et corpori beneficium praestat, sed quando ex illa consurgit ad Deum laudandum et amandum. Sic enim angeli utuntur corporeis,[2] quibus ipsi non indigent, sic homines in innocentia et ante diluvium usi sunt animalibus, sic etiam nunc viri boni utuntur multis, quae non possident, et sic possumus laudare Deum vel praedicta tantum juste quaerendo vel in suo loco potius omittendo, quam injustum quid committere. Est etiam praedictorum alius usus, quia possent vestes et vasa sacra et ornamenta reliquiarum fieri et ex auro et argento monetae cudi, unde divites et pauperes alerentur. Magni etiam principes possent praedictis sobrie uti, ut dictum est. Falluntur igitur isti, quum putant, ideo quia a Deo res creatae sunt et sibi concessae, licere ipsis abuti ad superfluum ornatum; sic enim uti liceret incenso et animalibus ad sacrificandum idolis et lingua ad blasphemandum Deum etc.

5. Ajunt, se vel divites vel nobiles vel juvenes vel altioris alicujus dignitatis esse, et ideo licite se ornare, ne confusa sint membra reipublicae.[3] Respondemus, hanc distinctionem servari posse et debere, sed ita, ne apostolorum praecepta transgrediamur. Potest enim haec haberi distinctio, non utendo auro vel margaritis vel veste pretiosa. Semper enim apud majores nostros haec distinctio servata est, qui tamen his superfluis non utebantur. Ferunt enim fide digni, ante centum annos principes et nobiles in Hispania burello panno indui solitos. Rex etiam Joannes, atavus Caroli caesaris, relegavit a curia sua duos filios cujusdam principis, quia in lusu arundinum integris manicis sericis usi fuerint, quum ipse rex medias tantum

[1] Deest in ms. I.
[2] Ms. I. *Dei.*
[3] Ms. II. *corporibus.*

Digitized by Google

manicas et collare sericum ferret. Hodie quoque rex Lusitaniae et totum ejus regnum non fert integram vestem sericam.

26. 6. Ajunt, periclitari etiam honorem, quod his pompis omissis patebunt irrisioni, quasi vel avarae[1] vel hypocritae vel leves sint habitum modestiorem assumentes. Sed tales scire debent inprimis, non se posse simul placere Deo et mundo; ideo si salvari volunt, opus est, ut paratae sint non solum verba, sed etiam verbera potius pati quam Deum offendere. Deinde videant, quod qui ita irrident, tales sunt, ut potius sapienti decus sit illis displicere, qui non placent Deo. Demum videant, quod non solum apud Deum, sed apud homines prudentes, quorum judicium pluris faciendum est, honor verus potius ex modestia et timore Dei, quam ex ornatu comparatur. Recte enim dixit Salomon: „Fallax gratia et vana est pulchritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur."[2] Alibi quoque ait: „Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra et fatua;"[3] ut enim porcus auream armillam foedaret, ita vana mulier corporis pulchritudinem peccato foedat. Idcirco Aristoteles ait, uxorem debere ornare se minus etiam quam leges permittant, sciens se plus ex honestate quam ex forma vel veste laudari, quia animi ornatus praestat usque ad mortem, quin etiam post mortem ornat filios, ille vero corporis nec transit ad filios nec usque ad mortem comitatur, quum vel senectute vel aegritudine deficiat. Ideo curare debet juxta Tertullianum,[4] ut pro candore simplicitatem sumat, pro rubore pudicitiam, pro stibio verecundiam, pro inauribus verbum Dei, pro torque jugum Christi, pro capitis ornamento obedientiam mariti, pro chirotecis lanam et opus manuum, pro sandaliis mansionem in domo; sic enim ornata etiam garrulas et vanas confundit, et saltem ad Dominum conversae laudabunt Deum. Sic enim mater non curat judicium filiae frenetri-

[1] Ms. II. *avari*, et postea *parati*.
[2] Prov. 31, 30. [3] Prov. 11, 22.
[4] Cf. De cultu fem. lib. 2. c. 13; Migne P. L. 1, 1333.

Digitized by Google

cae, dum frenesis durat, sed sanae. Probe ergo, ait Tertullianus, ipse habitus sonat: Sic denique auditur philosophus, dum videtur, de occursu meo vitia suffundo. Ideo juxta eundem vitium quidem est, ob superstitionem vel lasciviam vel pompam vel levitatem mutare vestem, ut recte in Alexandrum sarabara utentem dictum sit: Vicerat indicam gentem et victus est modica veste. Recte tamen mutatur vestis ob simplicitatem et expeditiorem usum, ut christiani Carthaginienses, relicta toga, quam in gratiam Romanorum sumpserant, redierunt ad antiquum pallium. Rectius autem Tertullianus ait: „Gaude pallium et exulta; melior jam te philosophia dignata est, ex quo christianum vestire coepisti."[2]

7. Ajunt, consuetudinem hanc esse licitam, quae jam diu viguit, et adeo dilatatam esse, ut, quavis pompa proposita, alia major in aliis reperiatur. Sed respondemus hanc consuetudinem ista comparatione minime excusari; nam comparatio gravioris peccatoris non excusat. Ideo David ait: „Lavabo inter innocentes manus meas."[3] Qui enim se his, qui nocentiores sunt, comparant, vane excusant peccatum et non se lavant juxta illud Sapientis: „Peccator homo vitabit correptionem et secundum voluntatem suam inveniet comparationem."[4] Consuetudo quoque non excusat in iis, quae per se mala sunt vel mali occasio; alioquin liceret blasphemare et fornicari, quia similia peccata nimis crebro fiunt. Superfluus autem ornatus et malus est de se et mali occasio et contra jus naturae et charitatis, cui consuetudo non potest derogare, ultra hoc, quod est prohibitus praeceptis apostolicis.

27. 8. Ajunt, hoc licere, quia de se non est peccatum, quum quandoque liceat; nec etiam aliis est causa[5] peccati, quia quantumvis aliquis vel fucet vel ornet se, alius si non vult, non peccat; nec etiam est occasio pec-

[1] Cf. De cultu fem. lib. 2. c. 9; Migne l. c. 1326.
[2] De pallio c. 6. Migne P. L. 2, 1050.
[3] Ps. 25, 6.
[4] Eclus. 32, 21.
[5] Ms. II. *occasio.*

Digitized by Google

cati prohibita, quia pulchritudo naturalis saepe multo major est ea quarundam etiam fuco et ornatu adjuncta, et tamen quae pulchra est naturaliter nemini de se occasio est peccandi, sed qui eam concupiscit, malitia sua peccat; igitur nec fucata pulchritudo erit occasio peccandi, sed sibi debet imputari, qui eam habere[1] concupiscit. Respondemus, ornatum quidem et fucum per se non esse peccatum, sed excessivus ornatus peccatum est. Fatemur etiam excessivum ornatum non esse causam[2] peccandi sufficientem, quia nec daemon nec caro nec quaelibet alia creatura est causa peccati, sed propria voluntas. Ut autem quis peccet alium scandalizando, non requiritur, ut sit causa peccati illius; sic enim nemo posset alium scandalizare; sed sat est, quod per actum aliquem vel malum vel mali speciem habentem det ei occasionem peccati. Quam plane dat, quae[3] excessive se fucat vel ornat, quia hoc ipso ostendit se curiosam et levem et carnalia amantem et sui copiam facile facturam. Unde et concupiscentiam in infirmis excitat et spem sui potiendi et animum se sollicitandi. Quae omnia minime reperiuntur in non fucata pulchritudine; ultra hoc quod, quae se fucat et superflue ornet, tenetur de damno inde secuto, licet quantum in se est, nolit et caveat; secus autem is, qui rei licitae[4] vacat. Reus enim est homicidii, qui vacat rei illicitae, quamvis adhibita diligentia, hominem occidit, quod non contingit, si rei licitae vacat.

9. Addunt, aliquam nulla mala intentione aliquem in sui amorem illicitum alliciendi se fucare vel ornare, sed potius bona, utpote ut placeat marito vel cui vult nubere; ideo licite id videtur facere. Sed respondemus, quod licet quis expresse non intendat inducere aliquem ad peccatum, tamen quum[5] ita excedit, ut det occasionem sui[6] illicitae concupiscentiae, perinde est ac si intendisset; quia

[1] Verba *malitia . . habere* desunt in ms. I.
[2] Ms. II. *occasionem.*
[3] Ms. I. et II. *qui,* et tamen postea *curiosam, facturam.*
[4] Ms. I. *qui licite.* [5] Deest in ms. I.
[6] Ms. I. *suae.*

Digitized by Google

actus redit in suam formam ob damnum notabile, quod irrogat et vitare tenebatur. Licet enim quis non intendat aliquem singulariter percutere, non tamen excusatur a peccato, si tormentum aliquod bellicum in multitudinem aliquam exploderet.[1] Quod illae faciunt, quae se quasi prostituunt toti populo, dum se fucant et ornant. Ideo non est admittenda protestatio, quod non intendant quemquam laedere, quia est contraria facto; sicut intentio placendi marito excusat quidem eas, si honeste se ornent, non autem si excessive (quum praesertim mariti saepe contradicant et foris plus quam domi), vel absente marito non minus quam eo praesente se ornent. Et non est necesse eum decipere, quia jam scit, quam foeda et pulchra sit, et eam talem qualis est duxerit; cui magis placebit, teste Tertulliano, ostendens se nulli alii velle placere;[2] quod facit, dum se non fucat.

28. 10. Ajunt, aliquas se ornantes nihilominus devotas esse et spiritus dulcedinem gustare, quod non fieret, si esset peccatum mortale. Respondemus talem devotionem posse quandoque esse naturalem, quandoque a daemone immissam, quandoque a Deo inspiratam, sed eo fine, ut homo a peccato exeat, ut propriam voluntatem mortificet pompis et lasciviis renuntiando. Vera enim devotio quasi jentaculum debet esse, quod datur operariis, ut magis laborent. Altare enim incensi vicinum debet esse illi holocaustorum, id est devotio spiritus sensuum mortificationi. Ideo recte ait sponsa: „Vadam ad montem myrrhae et ad collem thuris.“[3] Ut enim collis via est, qua conscendimus montem, ita devotione debet mortificatio curari. Ideo ea abutitur, qui ea contentus concupiscentias suas et pompas tuetur.

11. Dicunt, multos pauperes artifices ali, dum ea, quae ad fucum et ornatum pertinent, faciunt; ideo fere esse eleemosynam, quae eis tribuitur. Respondetur, iniquitatem

[1] Ms. I. et II. *exponeret.*
[2] De cultu fem. l. 2. c. 4; Migne P. L. 1, 1320.
[3] Cant. 4, 6.

Digitized by Google

sibi mentiri.[1] Nec enim eleemosynam facere intendunt, nec revera est eleemosyna, sed merces laborum, frequenter etiam parca; nec si maxime esset eleemosyna, liceret excessivis pompis uti, id est peccare, ut ea fieret. Sed tunc tantum[2] viderentur amore pauperum artificum sincere moveri, si eis gratis daretur quod loco mercedis erat eis dandum; in quo dantes etiam lucrarentur, quia non facerent jacturam pretiosae materiae, quam tradunt artificibus, eam insuper et operis pretium perdentes; possent etiam[3] artifices ali honesta opera facientes, ut olim alebantur.

12. Ultimo dicunt, se consuluisse et confessores et alios peritos, qui hujusmodi abusum levem dicunt. Respondemus, nec hujusmodi viros ita bonos vel peritos esse, ut non possint decipi, quia contrarii videntur esse scripturis et patribus et rationi; neque consulentes ita consulere, ut decipi non mereantur. Deberet enim consulens primum praemittere orationem, deinde tollere peccatum provocans Dei iram. Ideo, quia Judaei licet oraverint et jejunaverint, manebant tamen in peccato, consulentes Deum non sunt exauditi, dicente Domino per Isaiam: „Scire vias meas volunt, quasi gens, quae justitiam fecerit et judicium Dei sui non dereliquerit . . Quare jejunavimus, et non aspexisti?“ Respondetur: „Ecce, in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.“[4] Tertio consulens debet esse paratus et expectare et exequi divinum consilium, neque desistere ut Pilatus (qui quaerens, quid esset veritas, non expectavit responsum),[5] neque volens trahere ad suum affectum consulentem, ut faciunt illi, qui quia nolunt mores suos divinae legi accommodare, eam potius accommodant moribus suis, ut regulam Lesbiam. Quod ne fiat, juvaret imitari Saulem, qui mutato habitu consuluit pythonissam;[6] ita etiam hi in aliena persona casum deberent transfigurare, ne consultor studio placendi attractus, a vero deviaret. Quae quia non observantur, non est mirum, si

[1] Ps. 26, 12.
[2] Ms. I. et II. *tandem*.
[3] Ms. II. *enim*.
[4] Is. 58, 2. 3.
[5] Joh. 18, 38.
[6] I. Reg. 15, 3; 28, 8.

Digitized by Google

decipiantur, dicente Domino: „Juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetae erit.“[1]

Praestat igitur omissis cavillis et rationum fuco abstinere deinceps ab hujusmodi crimine, nec Evam imitari matrem, quae valde male habuit, quod seducta a serpente variis rationibus virum suaserit edere pomum vetitum. Quod licet ridens fecerit, post factum tamen amare flevit. Quem fletum, sicut et illum Magdalenae quaerentis Dominum tutius imitabuntur, ut in aeternum postea gaudeant. Alias verendum est, ne ducentes in bonis dies suos, postea in puncto ad inferna descendant.[2]

Cap. VII. Remedia contra abusum fuci et ornatus.

29. Superest ultimo de remediis tanti morbi tractare. Ante quae describemus, quomodo honesta mulier se habere debeat circa fucum et ornatum.

Et quod ad fucum attinet, tollendus omnino videtur usus cerussae et purpurissi et stibii et quaevis alia pellis unctio ad eam mutandam; sed contentari debet honesta mulier simplicioris alicujus aquae usu, quantum exigit faciei et manuum et totius corporis munditia et sanitas. Tertullianus „lavor“, inquit, „honesta hora et salubri, quae mihi colorem et sanguinem servet.“ Ultra hanc lotionem, quia, ut ait Clemens Alexandrinus, „pulchritudo est flos sanitatis,“[3] juvantia sanitatem juvant quoque pulchritudinem; quale est sobrie comedere, moderato exercitio uti, per quod calor excitatur et congrua fit cibi concoctio, ex quo bene coctus humor ad cutem faciei missus ruborem causat, sicut „ex igneo causatur fulgor et ex humido aqueo nitor et gratia, ex sicco[4] terreo[5] stabilitas, ex aëreo spirandi facilitas,“[6] eodem Clemente auctore.

[1] Ezech. 14, 10.
[2] Job. 21, 13.
[3] Paedag. lib. 3. c. 11; Migne P. G. 8, 639.
[4] Ms. I. *succo.*
[5] Ms. II. *terrae.*
[6] Ms. I. *stabilitas et aequilibrium.* Clemens Alex. l. c. ubi post *spirandi facilitas* additur: „*et par aequilibrium, ex quibus concinna et pulchra haec Logi (i. e. hominis a Deo creati) statua ornata est.*“

Digitized by Google

Tollenda est etiam avulsio pilorum a ciliis et fronte, et facies ut a Domino facta est relinquenda, nisi forte pauci aliquot extrahantur pili in loco minus decenti sexui positi, ut accidit eis, quae pilos in mento habent. Licet autem mulieri aliqualem curam habere capillorum, quatenus mundi sint et honeste locati; quia sicut Clemens Alexandrinus ait: Ut leo gloriatur mento, ita vir barba, et ut equus juba, ita mulier crinibus.[1] Sed ita est moderanda haec gloria, ut caveatur nimia lotio, ut flavi fiant; nocet enim capiti, et quae ea eo fine utuntur, dedignari videntur patriam suam et velle videri Germanae, quibus flavus pilorum color nativus est, ut ait Tertullianus.[2] Plus etiam cavendum est, ne utantur alicujus crinibus, quos Tertullianus „textilia capillamenta“[3] appellat et capitis vaginam; quia id, ut ait, horrori esse deberet, quia fortassis crines illi alicujus mortuae et damnatae erunt. Et, ut Clemens Alexandrinus ait, quum alienis crinibus in absolutionem imponuntur manus, non ea, quae illos defert, sed cujus sunt, videtur absolvi.[4] Crines etiam proprii non sunt intorquendi nec monstruosis modis circa caput involvendi. Velandum quoque caput est, praesertim in ecclesia, quia velum murus est pudoris, ne femina videatur; ideo occupare[5] debet quantum crines resoluti, teste Tertulliano.[6] Nam Sara etiam coram marito velavit se. Licet enim decor naturalis vestis quaedam urbana sit, tamen tegenda est ob proximi periculum, quod in Sara videmus, cui Abimelech dixit: „Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui te-

[1] Paedag. lib. 3. c. 3. Migne l. c. 579.

[2] De cultu fem l. 2. c. 6; Migne P. L. 1, 1322.

[3] Ibid. c. 7; Migne 1323.

[4] „Fit ut mortuis pilis cranium induant. Cui enim manum imponit presbyter? Cui autem benedicet? Non mulieri, quae est ornata, sed alienis capillis et per ipsos alii capiti.“ Paedag. lib. 3. c. 11. Migne l. c. 639. Cf. Paedag. lib. 2. c. 7; Migne l. c. 1324.

[5] Ms. II. *occultare*.

[6] De velandis virg. c. 7; Migne P. L. 2, 900.

Digitized by Google

cum sunt, et quocunque perrexeris; mementoque te deprehensam."[1]

30. Quoad ornatum autem vitandae gemmae et auri usus, dicente apostolo: „Non in auro et margaritis etc." Quamvis quod ad aurum attinet, posset anulo uti in digito pronubo, qui uxori dabatur loco clavis; quae sigillo signabatur[2] domi servanda, ne tangeretur a servis, ut ait Clemens ille Alexandrinus.[3] Unde lex Romanis erat, ne aurum gestaret matrona praeter anulum dictum et ne vinum biberet. „At nunc," ait Tertullianus, „in feminis prae auro nullum leve est membrum, prae vino nullum liberum est osculum."[4] Vestis autem juxta apostolum non debet esse pretiosa, qualis videtur aurea vel tota serica vel purpurea vel ea, quae nimium expensarum et artificii habet. „Quemadmodum enim," ait Clemens Alexandrinus, „militis et nautae et principis, ita etiam temperantis est propria vestis, quae non est curiose elaborata et est decora et munda."[5] Quoad colorem autem, licet Clementi Alexandrino[6] videatur color albus simplicior, quia tinctura fucus quidam est vestium et quia lanam comburit et minus durabilem reddit, tamen color niger honestissimus videtur et decens christianum luctum. Ideo Turcae et carnales maxime hunc refugiunt. Longitudo autem vestis moderata esse debet, quia nimis longa ambitiosa est et impedita, nimis etiam brevis minus honesta est, quia tibiae videntur et pedes. Calceamenta etiam honesta esse debent. Scriptum est enim de Judith: „Sandalia ejus rapuerunt oculos."[7] Sat autem est honestae matronae duplicem habere vestem, alteram, qua festis diebus utatur ad Dei laudem, sicut sacerdotes vestibus sacris uti debent, alteram vero pro diebus profestis. In regionibus autem nimis distemperatis

[1] Gen. 20, 16. [2] Ms I. *qui sigillo signabantur.*

[3] Cf. Paedag. lib. 3. c. 11. Migne P. G. l. c. 631.

[4] Apolog. c. 6. Migne P. L. 1, 304.

[5] Paedag. l. c. Migne P. G. l. c. 627. Locum in ms. vitiatum ex editione Migniana correximus.

[6] Paedag. ibid. [7] Judith 16, 11.

Digitized by Google

licebit etiam aliis vestibus hieme, aliis aestate uti, quamquam, ut Tertullianus monet, cavendae sunt nimis leves vestes, quod graves solent esse bursae et lasciviam et mollitiem nutriunt, sicut usus florum et aliorum odoramentorum,[1] si Clementi Alexandrino credimus.[2] Vestes veteres pauperibus essent erogandae. Signum denique congrui usus vestimentorum est, quum eis vestibus, quibus domi quis utitur apud suos, foris sine pertubatione et verecundia utitur[3] apud alios.

Servanda quoque est modestia in aliis utensilibus. Miserrimum enim est, egenis relictis, jumenta et muros ornare et vasibus argenteis vel aureis uti, quae et liquorem sapore suo inficiunt et, quum eum calidum continent, nimio calore offendunt. Vitanda quoque superfluitas in lectis, ex qua superbia et lascivia et pigritia et divitiarum jactura et fames et privatio prolis et inquietudo somniorum et mors sequi solet, dicente scriptura: „Qui dejecisti reges ad perniciem et confregisti facile potentiam ipsorum et gloriosos de lecto suo;“[4] et alibi: „Ab iniquo thoro semen exterminabitur;“[5] et rursus alibi: „Si dixero: Consolabitur lectulus meus et relevabor loquens mecum in statu meo, terrebis me per somnia et per visiones horrore concuties.“[6] Unde in lecto occisi Isboseth et Joas et Holofernes.

31. Quae jam descripta modestia, ut cum Dei gratia servetur, esset primum remedium, si pontifex, cujus est interpretari scripturam et apostolorum praeceptis positivis vigorem dare, in concilio vel alias declararet,[7] sententiam Pauli[8] etiam nunc obligare ad non gestandum aurum vel gemmas vel vestem pretiosam, etiam viro id praecipiente uxori; et si habetur praeceptum positivum, et id ob

[1] Ms. II. *ornamentorum.*
[2] Paedag lib. 2. c. 8; Migne l. c. 471. 475.
[3] Verba *apud . . utitur* desunt in ms. I.
[4] Eclus. 48, 6.
[5] Sap. 3, 16.
[6] Job. 7, 13. 14.
[7] Ms. I. et II. *declarare.*
[8] Pag. 463 s.

Digitized by Google

desuetudinem non obligans, posset papa ei vigorem dare denuo idem faciendo.

Secundum remedium est, supremas potestates saeculares sancire, ne quis comite inferior gemma vel auro vel integra veste serica vel alia certum moderatum pretium excedente utatur sub gravibus[1] poenis. Haec lex si observaretur, multum ditaret regna et multa mala ab eis averteret.

Tertium remedium est exemplum majorum et eorum, qui in dignitate constituti sunt. Si enim ipsi his superfluis non uterentur, sed eorum usum relinquerent, ut Lacedaemones, meretricibus et aliis infimae conditionis, ipsi quoque minores incitarentur. Quod ut[2] quivis faciat,[3]

32. Quartum remedium est: quivis radicem hujus morbi a se tollat. Haec autem est superbia, qua fit, ut quaevis velit alia videri major. Unde nascitur, ut quum aliam videat melius ornatam, statim velit eam excedere. Quod si facit, turget superbia, sicut ob copiam humorum tumet apostema. Si autem non potest superare alias, est in continuo dolore et perpetua inquietudine. Nascitur etiam ex hac radice continua formae ornamentorum mutabilitas. Sunt enim hae vanae mulieres ut Proteus quidam et Chamaeleon et ut vexilla, quae in tectis ad explorandum ventum figuntur. Ita enim istae ad quemvis ventum novae formae mutantur et subinde mutant quadrata rotundis. Hanc radicem volens evellere Petrus dixit: „Quarum non sit extrinsecus capillatura et circumdatio auri aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.“[4] Sic jubet Petrus interiorem hominem incorruptum esse et modestum et quietum; videt enim ex immodestia spiritus superbi nasci inquietudinem, quia ascendere in ornatu vult, et ideo ejus desiderio corrumpitur, ita ut supra facultates et vires debita[5] etiam

[1] Ms. II. *gravissimis.*
[2] *Ut* deest in ms. II.
[3] Ms. II. *faceret.*
[4] Pag. 473.
[5] Ms. I. *delicta.*

Digitized by Google

contrahendo ornet se, juxta illud prophetae: „Superbia ejus . . plus quam fortitudo ejus.“[1]

Ideo quintum remedium est crebra meditatio vitae Christi et sanctorum et praesertim Christi crucifixi. Quis est enim, qui Dominum nudum in cruce contemplatus et ejus in purpura irrisionem, deinde pompose indui volet?

Sextum remedium est meditatio propriae mortis et sepulturae. Quid enim juvat faciem depingere, aures inauribus, manus anulis, collum torquibus, brachia armillis et totum corpus veste pretiosa ornare, quum sciamus, omnia nostra membra cito casura et in scrobem sepulturae projicienda et a vermibus excipienda et comedenda?

Septimum remedium est consideratio inferni. Ibi enim daemon vere foedabit eas, quae se hic ornant. Loco enim evulsionis pilorum eas comburet, accendet quoque igne maxillas et nigras facies reddet super carbones, dicente scriptura: „Ignis devorabit speciosa deserti,“[2] et alibi; „Facies omnium eorum sicut nigredo ollae.“[3]

Octavum et ultimum remedium est cogitatio judicii, in quo ab uno extremo ad aliud ire cogemur. „Erit enim pro suavi odore foetor et pro zona funiculus et pro crispanti crine calvitium et pro fascia pectorali cilicium.“[4] Ideo praestaret tempestivam poenitentiam agere et Ninivitas imitari vel Esther reginam, de qua scriptum est: „Esther quoque regina confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat. Quumque deposuisset vestes regias, fletibus et luctui apta indumenta suscepit, et pro unguentis variis cinere et stercore implevit caput et corpus suum humiliavit jejuniis, omniaque loca, in quibus antea laetari consueverat, crinium laceratione complevit.“[5]

Quibus et aliis remediis si cum Dei gratia usi fuerimus, peccata et poenas hujus et futurae vitae vitabimus et vitam aeternam consequemur, in qua speciosi et ornati in aeternum fulgebimus, amicti „lumine sicut vestimento“[6] duplicique stola induti.[7]

[1] Is. 16. 6. [2] Joel 1. 20. [3] Nah. 2. 10. [4] Is. supra pag. 472.
[5] Esth. 14. 2. [6] Ps. 103. 2. [7] Gen. 45, 22.

Digitized by Google

VIII.
Documenta
ad bene interpretandas scripturas.

Quia interpres scripturarum velut instrumentum medium est inter Deum et auditores, quibus sacra eloquia interpretatur, alia ei necessaria sunt, ut bene se habeat erga Deum, alia[1] ut erga ipsas scripturas, alia[2] ut erga auditores.

Erga Deum.

Primo aptus redditur interpres, ut lumen excipiat a Deo, totius lucis fonte, utque ab eo bene dirigatur 1. per fidei rectitudinem in intellectu[3]; 2. per conscientiae puritatem in affectu; 3. per humilitatis submissionem in utroque, ab ipso Deo sperando bene intelligendi et interpretandi facultatem, non a se ipso.

Secundo debet disponi per intentionem rectam, quae intelligentiam scripturarum et interpretandi vim ordinet 1. ad gloriam Dei; 2. ad proprium profectum; 3. ad aedificationem proximorum; non ad vanitatem vel curiositatem.

Tertio disponitur per orationem, quae praecedit lectionem, 1. offerendo eam et omnia sua bona Deo; 2. petendo sibi gratiam bene interpretandi; 3. auditoribus bene intelligendi. Post lectionem etiam vertitur oratio 1. ad

[1] Ms. *aliqua*.
[2] Ms. *aliqua*.
[3] In ms. deest *in intellectu*.

Digitized by Google

gratiarum actiones de bene dictis; 2. ad petendum, ut suppleatur interpretis defectus; 3. ad fructus tam legentis quam auditorum.

Erga ipsas scripturas.

Primo debet ad scripturas tractandas accedere eo spiritu, quo factae sunt, qui est proprius discipulorum, et consistit 1. in abnegatione amoris terrenorum; 2. in voluntate affecta charitate erga divina; 3. in peculiari affectu imitationis Christi.

Secundo debet in scripturis progredi, ut convenit, videlicet 1. eo ordine, ut praeferat aliis, quae sunt ad salutem maturiora sibi et aliis; 2. eo studio, ut exactius ea tractet, quae ad majorem spiritualem fructum conferunt; 3. eo modo, ut non expectet in scripturis progressum definitionum, ut in naturalibus scientiis, sed eum, qui magis convenit ad impellendum affectum in bonum, ut minae, promissa etc. Ad hoc enim scripturae factae sunt.

Tertio diligentiam debet adhibere interpres 1. in legendo tam scripturas quam expositores selectos, notando quae ad rem magis faciunt; 2. in meditando id quod legit, ut melius id penetret ac digerat; 3. interrumpendo, non impediendo studia per orationem, sumpta ex eis occasione elevandi affectum in Deum, ex quo sensus ad scripturas intelligendas magis aperietur. Si autem diligentia adhibita difficultatem non superamus, certe agnoscendo nostram ignorantiam in humilitate proficiamus.

Erga auditores.

Curandum est interpreti, ut consulat intellectui auditorum, quoad ejus fieri poterit, ad bene percipiendum, memoriae ad bene retinendum, voluntati ad bene agendum.

1. Quomodo intellectui auditorum ad percipiendum consulendum.

Quod ad intellectum attinet, primo videat, quae doctrina sit ei adferenda; secundo quomodo animus ad eam disponendus; tertio quis modus in proponenda sit observandus sive tenendus.

Digitized by Google

Primo. Doctrina severa et solida[1] afferatur, quae sit 1. vel propria et irrefragabilis, videlicet quae testimoniis claris scripturarum et certae traditioni ecclesiae sive ejus definitionibus[2] in conciliis et decretis pontificum spectantibus ad fidem et mores innititur; 2. propria, sed non irrefragabilis, videlicet quae a sanctis doctoribus et approbatis hauritur; vel 3. externa, videlicet probabilis et utilis, quae a ratione naturali et philosophis vel aliis doctoribus saecularibus probatis petitur.

Secundo est etiam ad eam doctrinam disponendus animus, 1. excitando auditores ad attentionem ipso lectionis decursu, quum de rebus magnis vel difficilibus vel utilibus esse agendum admonentur; 2. admonendo auditores sui officii, quaeque ipsis praestanda sint, ut idonei reddantur ad scripturas intelligendas; 3. tuendo suam auctoritatem cum moderata significatione doctrinae, quo ipsi magis credatur, nihil temere dicendo, quod rationi vel auctoritati doctorum non innitatur; quamvis, si quid ei dederit Deus proprium, in explicatione scripturae possit in medium id afferre. Libertas etiam et gravitas in praelegendi munere auctoritatem faciet.

Tertio. Modus autem proponendae doctrinae hic videtur, ut primo litera ipsa explicetur, et si quid ex proprietate linguarum adducendum inde adjuvetur. Deinde sensus proprius et literalis, qui ceteris praefertur ex ipsa litera eliciatur, qui nimirum ab omnibus intelligi debet. Postmodum alios sensus literales persequi potest, qui a doctoribus gravibus, vel utcunque bene sentientibus hauriuntur. Demum in doctrina ad declarationem eorum, quae dicta sunt in litera explicanda, erit ratio habenda provectiorum; hic tamen magis haerendum in iis,[3] quae magis expedit declarari. Et doctores adducti citandi sunt, quo in loco aliquid dicant, si res controversa est; et si alioquin magni momenti vel valde pulchra fuerit, ipsa loca ad verba citari expediet. Post haec repetendi sunt errores,

[1] Ms. *solita.*
[2] Ms. *definitionis.*
[3] In ms. deest *in iis.*

Digitized by Google

quantum expedit, vel post literae explicationem, si sint in litera, vel post doctrinae declarationem, si ad res ipsas pertineant. Ultimo sensus mystici attingendi erunt, brevius in lectionibus, fusius in concionibus, si opus erit. Admodum etiam huc pertinet, ut distincte et ordinate procedatur, exemplis et manuductionibus utendo ad docilitatem auditorum, nec rerum multitudine ipsos obruendo. Postremo huc refertur elocutio ipsa, videlicet[1] accurata nec barbara, pura, simplex et gravis. Neque plus satis properet lector; non enim eum dicentem intellectu assequi possent auditores. Sed nec nimis lènte dicat, quod in fastidium et molestiam eorum verteretur.

II. Quomodo consulatur memoriae ad bene retinendum.

Primo ad memoriam confert, uti divisionibus moderatis et partes, prout propositae sunt, ordinate prosequi, et eis pertractatis quasi epilogo capita dictorum percensere.

Secundo confert, magis illic immorari et inculcare ea, quae magis retineri optet, eorundem etiam utilitatem commendare, ut cum affectu imprimantur fixius memoriae.

Tertio confert, dictare aliqua vel ita, ut excipi possint, dicere; vel si id non fieri poterit, quae lector dictavit, domi ascribenda post lectionem auditoribus offerre posset.

III. Quomodo voluntati consulatur ad bene agendum, quae debet.

Primo ad affectum curandum utile est, ut bene et libenter audiant; ad quod vitanda est prolixitas, nec ultra tempus praescriptum legendum. Progressus etiam in ipso textu mediocriter faciendus, quantum res ipsae permittent, quia et hoc gratum erit auditoribus. Dicere vero, quae auditorem exhilarent, si quando accidat, memor sit lector, quod dedeceat[2] virum gravem et scripturae interpretem; et magis adhuc facetiae leves apud populum devitandae sunt.

[1] Ms. *nec.*

[2] Ms. *deceat.*

Digitized by Google

Secundo exemplo suae modestiae, quum de aliis vel se ipso loquitur, auditores aedificet et charitatis significatione erga ipsos benevolos sibi reddat.

Postremo ex his, quae legit, sumat occasionem movendi auditores ad imitationem, reverentiam et amorem Dei, ad virtutes etiam morales et geminae charitatis affectum et omnem christiano viro dignam perfectionem.

Digitized by Google

IX.

Monita pro iis, qui concionandi munus suscipiunt.[1]

1. Quod primum prae oculis habendum est ei, qui munus concionandi suscipit, illud est ut noverit, quorsum tale munus spectet; quo fiet, ut media fini assequendo accommodata comparet. Ille enim, qui argentariam facit, si artis suae scopum ignorat, turpiter procul dubio errabit, ubi ventum erit ad instrumenta eligenda, quibus opus aliquod perficiatur. Nec secus erit cum verbi Dei praecone, qui verum concionatoris finem praeteriens, illum reputet vel in parandis divitiis, vel in honore aucupando esse positum.

2. Concionandi munus quale sit, Christus ipse indicavit, quum Petrum et Andream ad apostolatum vocans „Venite," inquit, „post me, et faciam vos fieri piscatores hominum."[2] His nempe docuit, concionatoris officium totum esse in lucrandis animis. Liquet igitur, a veritate magnopere aberrare, quicumque existimat divinae legis praeconium hanc habere metam, ut nomen sibi quis acquirat literati ornatique oratoris, vel ut pone se turbas audientium rapiat, vel ut subtilia dilucide et ordinate

[1] Haec instructio a Lainio hispanice primum scripta est. Praeter textum hispanicum etiam versio italica nobis praesto fuit; sed latina versio a quodam socio nostro recenter confecta, ut in lucem publicam ederetur, praeferendum visum est.

[2] Mat. 4, 19.

Digitized by Google

enarret. Concionator hominum piscator est eorumque ad coelestem patriam ductor.

3. Patefacto muneris scopo, ad perquirenda media gressum faciamus; munus enim quodlibet media sibi propria et instrumenta possidet, quibus apte geratur, in iisque probe tractandis tota praestantia concionatoris est.

4. Princeps porro medium ad animos ex concione lucrandos amor est, isque vehemens erga Deum. Amore Dei si quis careat, nec graves sui muneris labores ferendo par erit, nec verba ipsius auditorum corda movebunt. Id Christus nobis testatum voluit, tum scilicet quum pastoris munus Petro demandans ter petiit ab eo, an amaret ipsum, statimque subdens „Pasce oves meas.“[1] Quo ex loco infert S. Bernardus, pastoribus ecclesiae persuasum esse debere, magnam ab ipsis Deum erga se dilectionem requirere. Et merito quidem. Uti enim arbor quaevis, nisi magnitudinem natura quaesitam attigerit, nullus fert fructus, nec animalia generant, quamdiu non adoleverint, pari modo concionatori vehementi amore in Deum opus est, ut spirituales generet filios, homines videlicet divino mancipans famulatui. Quod iterum redemptor noster docuit apostolos: „Vos estis sal terrae . . . Vos estis lux mundi“ etc.[2] Unde patet, quanta in bono concionatore vitae sanctitas esse oporteat.

5. Amor hic divinus non uno ex capite oratori sacro necessarius est. Hinc oritur in primis recta in dicendo intentio, qua cavetur, ne magna auditorum frequentia inanem sui aestimationem generet, quod facile penes illos usuvenit, qui remisso in Deum feruntur amore. Hinc secundo loco animi constantia hauritur ad adversa quaeque ferenda, quibus serius ocius premitur quicumque verbi Dei praeconem rite agit. „Si me persecuti sunt et vos persequentur,“ inquit Jesus.[3] Profecto ei, qui nudam enarrat veritatem, oppugnatio aliquando non deerit. Concionator talia nunquam expertus prospiciat, ne non ad normam

[1] Joh. 21, 17.
[2] Mat. 5, 13. 14.
[3] Joh. 15, 20.

Digitized by Google

suo muneri satisfaciat. Iterum monet Dominus apud Johannem: „Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis . . . propterea odit vos mundus.“[1] Insurgunt mundani homines contra divinarum legum interpretes; plures enim isti veritates proponunt, quas illi non jucunde audiunt, plura carpunt vitia, quibus ii valedicere nullo modo volunt. Tum enimvero nisi concionator ferventi adversus Deum amore fulciatur, victus timore hominum pravae ipsorum indulgebit voluntati eritque de iis unus, quos propheta „canes“ appellavit „mutos, non valentes latrare.“[2]

6. Nec verus zelus praeterea nec in dicendo fervor nonnisi ex amore Dei originem ducunt. Profani rhetores illud ab oratore apprime expostulant, ut quos affectus in auditorum animis ciere intendit, eos antea in se ipse excitatos habeat; quod quidem impendio magis pro sacra eloquentia necessarium est. Si igitur auditores divinae charitatis ignem concipere debent, flagret primum concionator ipse divino hoc amore ac vehementissime flagret; quod ut assequatur, magna ipsi opus est familiaritate cum Deo. Quamobrem concionandi provinciam assumere quicumque intendit, diu multumque in antecessum pravos animi motus frangere consuescat multusque in orando sit. Oratione et constanti passionum impugnatione ferventem sancti omnes amorem Dei sunt consecuti. Inde fit, quod apostolus Titum ac Timotheum docet, eum, qui episcopus esse debeat, binis hisce virtutibus carere nullatenus posse. Hieronymus etiam in eandem sententiam loquitur in epistola ad Nepotianum de vita clericorum. Gregorius vero Magnus in Pastorali et in Ezechielem id saepe iterat, non esse pastorali muneri pares, qui virtutibus non sint exculti. Quapropter ii primum assidue orationi vacent, quemadmodum apostoli jussi sunt a Christo: „Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.“[3] Qui secus fecerint, magnopere periclitantur; non enim ovile per januam

[1] Joh. 15, 19.
[2] Is. 56, 10.
[3] Luc. 24, 49.

Digitized by Google

ingrediuntur, nec mirum accidet, si Spiritus sanctus istius januae custos eam ipsis non patefecerit, potius enim latrones quam pastores sunt.

Religiosus autem si quis fuerit, eique evangelizandi officium a superioribus demandetur, dum adhuc virtutibus non est instructus, is quidem ex eo saltem tempore sanctimoniae acquirendae toto pectore incumbat, ut praesens orandi studium seseque vincendi pristinam oscitantiam suppleat. Imitabitur nempe apostolum gentium, qui statim ac Deo sese dedit, simul et concionari exorsus est et castigare corpus suum, ne quum aliis praedicasset, ipse reprobus efficeretur.[1] Et his quidem de primo medio abunde sit dictum.

7. Alterum medium est, ut in qualibet oratione sua nitatur concionator de docendis, movendis delectandisque auditoribus. Haec tria, inquit Augustinus[2], praestari debent, ne quis incassum laboret; eadem tum scripturarum, tum ceterorum patrum auctoritate commendantur. Porro docendi officio satisfaciet orator sacer, si veram integramque enarrabit doctrinam; etenim ipsius est munus, ut animos coelo lucretur, id vero prava mendacique doctrina obtineri absurdum est. Ideo Christus dominus apostolis dixit: „Praedicate evangelium omni creaturae.“[3] Tum S. Paulus postquam Tito scripsit, non paucos futuros esse concionatores malos, subdidit: „Tu autem loquere, quae decent sanam doctrinam,“[4] monetque ut stultas quaestiones devitet, „sunt enim inutiles et vanae,“[5] eademque Timotheo commendata voluit.[6] Consentit his s. Gregorius, qui ostendit, concionatorem curiosa persequi non debere.[7] Comparatur enim ministro super familiam constituto, ut alimenta suppeditet, quem Christus fidelem servum appellat. Quamobrem qui populum curiosis detinet sermonibus, iis adnumerandus est, quos Paulus sugillat ut adulterantes ver-

[1] I. Cor. 9. 27.
[2] S. Aug. De doctr. christ. l. 4. c. 12. n. 27. Migne P. L. 34, 101.
[3] Marc. 16, 15.
[4] Tit. 2, 1.
[5] Tit. 3. 9.
[6] I. Tim. 1, 4.
[7] Cf. De cura pastorali l. 3. c 39. Migne P. L. 77, 124.

Digitized by Google

bum Dei.[1] Scripturae vero et sancti patres tot tantisque hunc perversum morem persequuntur, ut nimius sim, si pluribus hanc veritatem tutari velim. Attamen, quoniam praecipuae concionatoris partes in hoc sunt, rem illustrare nequaquam pigeat.

8. Probe auditores docere eo redit, ut illud quod exponitur non sit fucatum sed verum, non mirum sed utile, tantaque prudentia dictum, ut nil erroris concionem inficiat, auditores vero fidei dogmatibus ac bonis moribus imbuantur eo prorsus modo, quo evangelium postulat. Id ut praestet sacer orator theologiam scholasticam callere debet ceterisque disciplinis praestare; si secus fuerit, auditores facile fallet, et quin suspicetur, falsa plus semel proferet. Scripturis quoque sacris studuisse oportet sanctorumque patrum opera assidua manu volutasse. Nam in scholis quidem doctrina universali fere modo traditur; ut vero in peculiaribus casibus quid sit dicendum sciatur, id scripturarum lectio et sanctorum patrum praestabit. Quibus in casibus ne quid ex imprudentia peccetur, bina reperio adjumenta a sanctis viris usurpata. Primum est, ut vitiosa extrema dispiciamus in unaquaque re occurentia, hisque cognitis medium iter facile tenebimus. Sic S. Gregorium egisse videmus quoad omnia fere moralia documenta, quae in pastorali perhibet. Defectu enim et excessu in eadem re peccari potest. Medio autem invento itinere, diligentiore adhuc disquisitione opus est, ne quis decipiatur; et quina illa capita orator ad examen vocet, quae a S. Gregorio[2] referuntur: 1° quid velit pro concione dicere; 2° cui dicere debeat; 3° quo tempore; 4° quo gestu quibusque verbis; 5° quamdiu dicturus sit. Haec si quis probe considerat, non illum prudentia in dicendo deseret. Verum, quia his quoque exactis deceptioni adhuc subsumus, alterum adjumentum concionator adhibeat, Deo scilicet se commendet fusis e corde precibus. Si enim, ut docet apostolus, nomen Jesu ut oportet proferre non valemus nisi auxilio Spiritus Sancti,[3]

[1] II. Cor. 2, 17.

[2] XI. Hom. lib. 2. in Ezech. n. 2. Migne P. L. 76, 906. [3] I Cor. 12, 3.

Digitized by Google

id longe magis necessarium erit, ut quis solida loquatur hora. Ipse S. Paulus auxilium istud implorabat. Sancti etiam antequam pro concione dicerent, coelum precibus fatigabant. Magnae igitur temeritatis notam non vitabit concionator, qui, Deo non exorato, accesserit ad dicendum. Idipsum exemplo suo Christus edocuit, pernoctans in oratione.[1] Ipse enim, utpote Deo semper unitus, nocturno illo secessu non egebat ad concionandum die postero; verum id nobis documento esse voluit. Nec aliter Moysi factum videmus; montem conscendit, unde legis tabulas Judaeis retulit, ibique dum oraret, didicit a Deo, quae postea docuit populum. Si quis ergo auditoribus dicendo prodesse cupit, postquam studiose concionem paravit, ad orandum Deum accedat, ne quid imprudenter proferat.

9. Ut plenius de hac oratoris prudentia dicamus, illud et notatum volo, nunquam perfectum concionatorem futurum, qui naturali non polleat ingenio. Verum quidem est, Deum aliquando per os asinae locutum esse; id tamen miraculis adnumeratur. Non ergo Deum nos tentabimus, miracula praesumentes. Quod sane foret, si quis ingenio carens, solis precibus se rem confecturum speraret. Is naturali laborat impedimento, sicut oculus suffusus lacrimis aut velo obductus par videndo non est. Liquet hinc cognitionem electionemque alicujus ad conciones habendas opus esse sapientis viri, qui probe dijudicet, polleat necne candidatus eo ingenio, quod tanto respondeat muneri. Ingenio si cares, evidens est, Deum te ad verbi sui praeconium non elegisse; si enim elegisset, media quoque suppeditasset. Judicium vero de hac re penes alium esto, nam nemo bonus judex in causa propria. Sic et Christum apostolos misisse legimus; et Paulus ait: „Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?“[2] significans nempe, hoc munus a nemine privata sententia suscipiendum, non enim omnium humeri id valent. O quam districtam Deo reddent rationem antistites, qui homines exiguae prudentiae evangelii praecones constituunt! Imprudens scilicet impruden-

[1] Luc. 6, 12. [2] Rom. 10, 15.

Digitized by Google

ter loquetur, et quamvis doctus ille sit et pius, magno fidelibus nocumento erit.

Novi equidem, quae hucusque de docendi munere diximus, haud levem injectura metum religiosis viris, qui obedientia reguntur, quum videant, quam longe a perfecta hac scientia distent. Verum hi ne despondeant animum. Inscitiae supplebitur, modo ferveant zelo gloriae Dei attenteque perpendant singula, quae dicturi sunt, sive proprio studio sive aliorum sapientum consilio.

Quod autem in unaquaque oratione enarrandum erit, parum sit paucisque verbis, ut infra dicemus. Hoc pacto vel parum doctis res succedet, dummodo indicatis subsidiis sese juvent. Tum vero si nunquam loquentur nisi quod probe prius intellexerint, si prudentis judicio se gerent, scientiâ in dies augebuntur et brevi spatio quod satis muneri est possidebunt.

10. Post munus docendi diximus concionatori movendos esse auditorum animos, ut quod docti fuerint opere praestent. De hac etiam re Titum ac Timotheum discipulos monet s. Paulus.[1] Diversa vero in ciendis affectibus ratione agendum est a christiano ac a profano oratore. Profanus namque rationibus fidit suis vimque totam a praeceptis rhetoricae mutuatur; christianus contra Deo potius quam argumentis nititur atque ad movendos animos divinum implorat numen. Hoc si deest, dicendum erit cum David: „Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam; nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.“[2] Ideo scribit alibi s. Paulus: „Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.“[3] Quamobrem qui suis sermonibus movere auditores optat, multus hic sit in orando enixeque Dominum roget, ut virtutem impertiat verbis suis. Nam non solum ut sapienter quis doceat, fervida ad Deum prece opus est, verum etiam ut

[1] Tit. 2. 1. 8. 15; II. Tim. 6 s; 12 ss.
[2] Ps. 126, 1. [3] I. Cor. 3, 7.

Digitized by Google

quae dicuntur efficacitate non careant. Hanc porro efficacitatem ingenium concionandi vulgo nominamus.

Ex apostoli doctrina varias nunc Deus elargitur gratias cui ipsum libet ad agrum ecclesiae colendum. In ipsarum numero est etiam efficacitas in dicendo. Profecto reperire haud raro est oratores, qui suis sententiis corda auditorum penetrant; alii e converso etsi venustissima proferunt nihil tamen animos movent. Ii gratiam ingeniumque concionandi acceperunt, quibus alii privantur.

Hic vero, quandoquidem sese dat occasio, juverit advertisse, loquendi efficacitatem ex iis esse, quae munera gratis data in scholis nuncupantur, quaeque e sententia sanctorum patrum ad aliorum emolumentum spectant; alia autem gratia est, qua Deo amicitia jungimur. Ex quo infero, posse oratorem sacrum maxime valere in dicendo, dum etiam capitali noxa tenetur; neque efficaciam illam sanctimoniae esse indicium.

Hoc ergo dicendi dono si quis ornatur, ne insolenter se efferat; quum enim nullo suo merito sed gratia Dei illo fruatur, majore mulctabitur poena, ubi perperam usus fuerit. Eveniet simul, ut alii ad bonam frugem hortatu ipsius se recipiant, ipse vero aeternum pereat; iniquus namque servus creditam sibi non exercuit pecuniam. Contra est si quis et munere hoc praestet, et eo sancte utatur; is profecto apostolicus orator merito audiet, et „magnus vocabitur in regno coelorum.“[1] Talis habendus est s. Paulus; qui ad Corinthios scribit, non esse sermonem suum „in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis;“[2] id nempe significans, vim in dicendo suam non e rhetoricis oriri argumentis, sed ipsum Deum virtutem verbis suis gravitatemque impertiri, qua hominum mentes subigerentur.

Porro donum istud loquendi quibusdam a natura est; loquuntur et suadent, tantamque suavitatem prae se ferunt et efficaciam, ut auditor det manus victas, flectatur, obediat; alii vero precibus impetrant, idque praestantius longe

[1] Mat. 5, 19. [2] I. Cor. 2. 4.

Digitized by Google

est, utpote proprio partum labore. Tum ex iis omnibus sunt, qui hocce dono continenter fruuntur, sunt qui subinde tantum; nunc mira patrant, nunc incassum verba proferunt. Quamobrem universi, antequam pro concione dicunt, Deum rogent oportet, ut fructu loquentes nequaquam priventur. Omnes autem Christifideles hujusmodi evangelii praecones suis precibus obtinere conentur; siquidem monet Christus: „Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.“[1] Iis nempe Deus utitur ad animorum salutem. Nam quotidiana teste experientia, unus istorum aliquis regionem peragrans ampliorem fructum sua dicendi virtute facit, quam plures simul, qui tali destituantur virtute. Et hi quidem sterilitatem laborum suorum ne querantur; eo pedem inferunt, quo Deus non advocat; mirum ergo non fuerit, quod sermonibus suis aërem verberant.

11. Dolendum sane quum dicentes e suggestu audimus, quos Deus non misit. An non improbandus foret, qui quam non novit artem, in hac se exerceret? Quid ergo dicendum, quum cernimus evangelii praeconem agere, qui tanto muneri gerendo par non est? At si quis subditus hanc sibi provinciam a superiore demandatam habet, cui ipse non est idoneus, non subditus sed superior exposcenti Deo rationem reddet. Mittat proinde subditus metum; divinam tamen clementiam ne desistat precibus fatigare. Nobilem namque ac liberalem animum Deus gerit, tantaque obedientes benevolentia prosequitur, ut si petant, auxilium, quo digne commissum munus exerceant, non denegaverit. Videat e contra superior, quid Deo responsurus sit, si nullo facto periculo hac in re procedit. Ipsi improperabitur illud: „Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes extiterunt et non cognovi.“[2] Idoneos vult ministros in domo sua Deus, nec cerdonibus indiget. Nec obsequium illi praestant, qui ineptos evehunt, sed gravem potius afferunt contumeliam, quum concionibus habendis destinant, qui risus magis cient quam gemitus.

[1] Luc. 10, 2. [2] Os. 8, 4.

Digitized by Google

At enim qui aptior sit non suppetit, seges vero est ampla! — Nil haec ad excusationem faciunt. Amplior erat seges, quum apostoli concionari exorsi sunt; universamque terram ad Christi fidem traduxerunt. Orent antistites sacri, ut mittat Deus operarios; tum subditos scrutentur; videant qua ratione privatim concionentur; tandemque qui se huic officio idoneos produnt eos ipsi eligant. Sit quoque seges immensa, hoc pacto messores non desiderabuntur.

Quam multa hac de re occurrunt dicenda. Verum quum illuc ego spectem, ut doceam, quo modo conciones habeant, eos qui natura ad id praestandum sunt parati, hoc unum subdam, esse in ecclesia, ut apostolus perhibet, „divisiones gratiarum,“[1] nec eadem omnes donari. Et in actibus apostolorum egisse narrantur, ut alius acciperet „locum ministerii, de quo praevaricatus erat Judas;“[2] binos autem proposuere, qui necessariis videbantur dotibus instructi. Haud aliter se gerant antistites; idoneos eligant, ineptos rejiciant, ne Deum forte tentent, miracula ex eo sperantes nulla de causa. Quos Deus huic destinat officio, ii naturale quoddam ingenium atque in dicendo efficaciam jam inde ab adolescentia prae se ferunt. Efficaciam, inquam, in dicendo; non enim ad conciones habendas satis est, ut nitida quis voce utatur; verum tali eam inflectat arte, ut animos penetret, attentos teneat auditores, illosque quo velit rapiat. Hunc ego parem judico verbi Dei ministerio gerendo; huic adjumentis omnibus subveniendum censeo, quo perfectus evadat. Nam, ut idem repetam, suaviter Deus omnia disponit, soletque a primis annis ea cuique munera largiri, quae officio respondeant serius ab ipso gerendo. Dicta igitur haec sint, ne superior imprudenter in hoc negotio agat, subditus vero ut obedientiae fidat. Si enim evangelio nuntiando addicitur, dum necessario caret ingenio, potens Deus est, qui hoc

[1] I. Cor. 12, 4.
[2] Act. 1, 25.

Digitized by Google

ipsi ingenium suppeditet.[1] Si vero muneri alii destinatur, dum sibi ipse concionibus habendis videtur par, pro certo habeat, alia sibi non pauca deesse, quae evangelicus concionator habeat necesse est.

12. Illud autem ad persuadendum juvabit, si rationibus concionator rem suam conficere studebit. Quod etsi rhetorum proprium est, oratori tamen sacro non est omittendum. Documento ipse Christus est, concionatorum exemplum; ut quum rationibus evincit, amandos esse inimicos, nimiamque de cibo et potu sollicitudinem deponendam.[2] Nec secus egit apostolus ceterique viri sancti. Homo siquidem (rationale quippe animal est) rationibus maxime ducitur. Quamobrem perperam agit orator, qui, rationibus praetermissis, movere animos arbitratur.

Talia porro argumenta sint, quibus clareat, bonum id esse, quod suadere intendimus. Voluntas enim nonnisi illud amplectitur, quod bonum judicat intellectus. Idcirco non movetur unquam auditor, quin persuasum antea sibi habeat, bonum esse id ad quod impellitur. Omnes etiam, qui peccando dant operam, eo demum ad peccatum ducuntur, quod quum sibi delectationi vel terreno emolumento sit, bonum sectari putant. Fallacias ejusmodi discutere concionatorum est. Quibus proinde reperienda sunt argumenta, unde liquidum penes auditores fiat, bonum, quod ex peccato est, perniciosum esse ac fucatum, majoremque, si virtutem colant, ipsis gigni utilitatem. Utque prudens belli dux cum hostibus dimicaturus fortiores eligit milites atque arma, idem quoad ferenda argumenta praestet orator sacer, ut nempe iis suaviorem evincat esse virtutem, quam vitium. Quod si praestantiorem virtutis suavitatem demonstrare non valet, probet saltem alias haberi utilitates a virtute easque longe meliores, quam sit delectatio, quae ex peccato hauritur. Alias solidis item pro-

[1] Omissae sunt a nobis duae lineae, quarum sensum in mss. tum hispanico tum italico nimis hoc loco corruptis assequi non licuit; ceterum in iis res jam dictae repeti omnino videntur.

[2] Mat. 5, 25; 6, 26.

Digitized by Google

babit argumentis, vitium damnorum gravissimorum esse fontem. Quae propterea damna probe concionator cognita ac perpensa habere debet, ut auditoribus singillatim proposita eos ad virtutem transferant.

13. Cernis, quam multa in promptu sint concionatori subsidia, quibus flagitiosos superet. Modo enim virtutem fore delectabilem ostendet et ad amandam alliciet, modo honorificam evincet, subinde utilitatem patefaciet, alias vero, quod non sit ardua factu ac decore plena. Porro universa haec vel ex rei definitione depromet, aut si lubet a causis, ab effectibus, ex adjunctis locorum, personarum, temporis et si quae sunt alia. Idem de vitio quolibet tenendum, a quo reduci auditores debeant. Sicut enim voluntas, quod ipsi probatur bonum, prosequitur, sic et quod probatur noxium et turpe, aversatur. Qui rhetoricis praeceptis studuerunt, jam ista cumulate norunt; qui contra hoc studio expertes fuerint, abunde ipsis erit, si emolumentum, gaudium laudemque advertunt, quae virtutem comitantur, pariterque contraria, quae vitium sequuntur; omnia quidem a causis, ab effectibus, a circumstantiis deducta.

14. Tertio loco ad ciendos affectus apta vocis moderatio confert, ut materiae scilicet et auditoribus congruat. Vocem inter loquentis et aurem audientis nescio qui nexus interest, quo fit, ut, si orator vocem incondite effundit, irritentur, qui audiunt, et quin moveantur arescant potius. Ut magis perspicua res fiat, advertas triplici loquendi modo concionatorem in quavis oratione uti. Vel enim docet et narrat, vel cum suavitate dulcique insinuatione affectus excitat, vel demum objurgat et reprehendit. Jam pro diversis hisce modis diversimode moderanda vox est. Quod nisi commode suoque tempore fiat, de concione actum erit. Orator musico componitur; quo minus belle voce utitur, eo plus efficaciae perdit oratio.

15. Ad hanc igitur normam se gerat. Sive narret, sive doceat, servet naturalem modum. Erraret procul dubio, si cum praecipitantia diceret manibusque concrepantibus et clamosa voce. Docere et narrare ita quis debet ac si legat. Tunc enim orator erudire intendit, quod sane nec

Digitized by Google

celeriter fit nec clamose. Auditor quoque id exigit; quippe quod intellectus lente ac placide veritatem contemplari cupit vultque sibi illam distincte proponi. Nolim tamen, ne quis idcirco frigide remisseque procedat. In medio virtus. Quum ergo lente loquendum dicitur, non ita accipias, ut guttatim verba ex ore prodeant. Fervor adesse semper in oratione debet; alius tamen quum docendum, alius quum movendum.

Ut brevi omnia epilogo comprehendamus, orator narrans vel docens temperata et aequabili utatur voce; verba ab invicem distinguat; postremas syllabas ne sinat elabi; lento procedat incessu; brevioribus loquatur periodis, ne respiratio anhela sit; celeritatem caveat; demum sit sui dominus, sistat quum opus erit, initium et finem suo tempore periodis faciat, omnia distincte proferat, ut suspensos teneat auditores suoque ex ore pendentes.

16. Hac in re ii peccare solent, qui assueti sunt clamoribus concionari. Frigescere enim orationem reputant, nisi furiose clament; tum vero sive doceant sive moveant, cum strepitu omnia conficiunt. Alii quamvis hoc vitio minime laborant, nesciunt tamen orationem opportune intercipere; omnia concatenantur, loquuntur quin reciprocent spiritum, properant, praefocantur, et sic auditores taedio afficiunt. Alii contra sunt, qui verba nimium dividunt, syllabarum extremas protrahunt, unamque inter periodum et alteram morose quiescunt, quo tota alget oratio. Cujus rei causa inde videtur repetenda, quod ad periodi finem jam pectus defatigatum habent. Tum sane sistendum, tum recipiendae vires, antequam ulterius dicant. Ii vero altero quoque ut plurimum notantur vitio, quo ardore inter loquendum privantur. Nimirum periodum exordiuntur tenui voce, quam gradatim ad extremum usque vehementius intendunt; at longa periodus est; hinc pulmones defessi, hinc exhaustae vires, hinc languet oratio, hinc auditores dormitant. Haec ut caveat, servet diligenter orator sacer, quae superius data sunt monita.

17. Alia ratione flectenda vox est, si quando affectus ciere oportet. Tum vividiore actione utendum motuque

Digitized by Google

majore; his quippe stimulatur voluntas. Hoc vero interest inter alliciendum ac reprehendendum, quod alterum cum suavitate fit ac veluti paterno amore, alterum cum severitate et quasi herili auctoritate, ita vero ut auditores advertant, non ex furore reprehensionem gigni, sed ex virtutis amore divinique honoris desiderio.

Concludamus igitur. Concionator, sive docet sive narrat, aequabili id voce praestet, tamquam si magister in scholis praelegat. Quo autem proprius ad expugnandam voluntatem accedit, eo dicat ardentius, ut demum contentione maxima ad finem veniat.

18. Generatim ad usum vocis quod pertinet, binae dari possunt regulae. Prima est: Sub orationis initio naturalis vox, quae tamen audiatur, servetur. Hinc reputet secum ipse orator, sermonem se miscere cum duobus tribusve ex audientium corona, in iis etiam figat obtutum cogitetque, qua eos voce alloqueretur, si negotium aliquod cum illis haberet gerendum. Profecto non desunt concionatores qui, si quo modo e suggestu dicunt, eo cum privatis agerent, risu procul dubio exciperentur. Habeant hi pro certo, clamoribus nihil confici. Videntur enim lacunaris trabes alloqui magis quam auditores. Tum vero auditores sic adstant, quasi non ad ipsos fiat sermo. Liceat mihi fateri, quod experientia teneo. Sacrorum oratorum pars maxima, ubi haec animo non praeteriret, non male munus gereret suum. Libenter sane nemo oratorem non audiet, qui recta loquitur, qui ex animo loquitur, qui ea loquitur voce, quam ex Deo habet.

19. Secundam proponamus regulam, quae quidem subindicata jam est. Praecipua scilicet oratoris cura illuc spectet, ut ex animo dicat. Videmus enim, quod ubi aliquis, sive sapiens demum sit sive rudis, ex animo de re quapiam sermonem miscet, idonea eo ipso voce aptoque utitur gestu. Villicus exempli causa, qui in itinere alium affatur, rhetoricam ne nomine quidem novit; si tamen narrat, temperate loquitur; si contra amicum ad quid praestandum instigat, vocem intendit, brachia manusque agitat, quin advertat; reprehensionem quoque si adhibet, id

Digitized by Google

vox ipsa gestusque prodit. Quo pacto id fit? Nempe vilicus, nil de voce cogitans, amico omnibus modis suadere nititur, ut sibi morem gerat. Haec ergo prae ceteris servanda regula. Studeat concionator, ne zelus apud se detrimentum capiat; optet auditorum emolumentum; cetera non multum moretur, abesse enim nequaquam poterunt.

Tribus igitur huc usque traditis mediis, prece nimirum multa, solidis argumentis, apta pronunciatione, dubitandum non est, quin auditorum corda excitaturus concionator sit.

20. Jam veniamus ad tertium illud, quod in oratore sacro s Augustinus exquirit, nempe ut delectet.

Hac in re multum quoque discrepant evangelicus et profanus orator; unde et diversae utrisque ad delectandum leges. Finis profani oratoris est, criminalibus forensibusque disceptationibus detinere populum; mirum ergo nemini accidit, quum delectandi recreandique causa salibus utitur et jocis. At verbi coelestis praeco Dei nomine loquitur; seria tractat, quae animorum salutem spectant; sacro etiam loco dicit. Sacrilege igitur ab eo tempus saecularibus tereretur nugis; curet proin ut sancte pieque delectet. Ideo Nepotianum ab Hieronymo edoctum legimus, ut nunquam risus sed lacrymas dicendo cieat. Quod apostolis ipsique redemptori Jesu solemne fuit, quum ne semel quidem sermonibus illos suis invenimus movisse risum. Christianus orator, quo auditores in Domino delectet, concionibus rite componendis apprime studeat, figuris similitudinibusque venustis adhibitis, solidis argumentis, grato ornatoque stilo; quae si praestiterit universa, abunde ad hunc scopum habebit.

Paucis his verbis universa comprehenduntur, quae ad elucubrandas rite orationes usui esse debent. Breve quidem praeceptum, ast prolixius explicandum.

21. Ut igitur in dicendo delectationi simus, exemplar nobis petendum a probo architecto, qui primum necessaria struendo comparat, tum unumquodque decenter in aedificio collocat; et si deterius quid occurrit, eo ponit loco,

Digitized by Google

quo pulchritudini operis non adversetur. Haud aliter concionator dum sermones conscribit, optima proferre studeat ac decora; quae vero minus probantur, ita distribuat, ne ipsis cetera deturpentur.

Doctrinae porro, quae traditur, pulchritudo duobus maxime conficitur: vel quod proponitur, sit pluribus ignotum aut aliis non facile visum; vel si novum non est, nove tamen efferatur, arte nempe et rhetoricis figuris in auxilium vocatis.

Ad primum confert probatos legisse libros, ubi materies, de qua nobis agendum, tractatur. Pone quaeso, demissionem animi vel patientiam commendandam a te fore; tum argumenta aut motiva perquiras, quae non omnibus in promptu sint. Haec auditores cum voluptate excipient; novis quippe et venustis non delectatur nemo. Qui vero veterem semper crambem recoquunt, fastidium ac satietatem pariunt. Ne quis tamen perperam intelligat. Venustam doctrinam non ego vana et inutilia voco, etsi curiositati placent. Haec jam superius improbavi. Sed quaestiones quasdam intelligo a schola sanctisque doctoribus agitatas circa virtutes ac vitam christiano homine dignam. Hae populum fere latent; magno enim comparantur studio. Has ergo orator enarrare conetur ea concionis parte, quam vulgo doctrinalem nominant; eaeque tot sunt, ut solido anno copiam dicendi praebeant. Ad hunc finem legant ac perlegant oratores novi primam secundae, item secundam secundae s. Thomae, ubi de virtutibus et peccatis agitur. Vidisse etiam juverit opus illud, quod inscribitur „Summa virtutum et vitiorum"; pulcherrima ibi occurrunt nec sane vulgaria.

Ad secundum quod spectat, vetera scilicet novo modo efferre, id quoque apprime necessarium est. Quam multa enim millies repetita sunt, quae tamen quotidie fere iteranda veniunt. Ut his quoque gratia aspergatur aliqua, subsidio erunt rhetoricorum praecepta. De quibus quum tam multa exstent scripta, ea solum innuam, quae veterem materiam novo donant colore.

Digitized by Google

22. Ante omnia id assequimur, si similitudine quadam vel collatione proponatur res, mutuata illa quidem vel ex evangelio feriae vel ex materia sermonis. Exempli gratia adhortandi sint auditores ad animi demissionem; res quidem vulgaris est, tu vero dicas: christianorum virtutes niti fundamento debere solido radicibusque altis teneri etc. Secundo idem obtinetur, quum res per opposita illustratur. Quod si utrumque jungemus et rem per similitudinem pariterque per opposita explicabimus, tum profecto vividiore eam lumine collustrabimus. Addo exemplum. Virtus solido fundamento opus habet; hoc si deest, rimam aedificium facit ac ruit etc. Arbor nisi alte defigit radices, caret fructibus . . . Solidissimum virtutis fundamentum, altissima ejus radix humilitas est; ergo . . . Ast haec liquidiora fient, quum de ipsa sermonum structura dicemus. Teneamus interea, bina haec adjumenta praesto esse debere, tum quum orator docet, tum quum movet.

Rationes quoque, quas affert, confirmabit opportune auctoritate aliqua vel testimonio non levis tamen ponderis. Ad hoc percommodo accidet, assidua versasse manu scripturarum libros, praecipue si literalem sententiam attingere quis conatur. At enim hac scientia orator vacat. Tum vero concordantias volutet, usque dum pulchre aliquid dictum in rem suam e. g. penes prophetas reperiat. Consulat deinde Hieronymum vel exegetam alium in locum repertum; qui si venusti quid afferant, in orationem ipse suam transferat. Item si eruditione caret, utilitati ipsi erit Summa virtutum et vitiorum, de qua superius diximus, vel liber ille, qui „Pandecta“ inscribitur; neque improbo opus erit labore, virtutes enim ac vitia suo quaeque titulo distributa inveniet. Exstat et volumen aliud, cui adhibita inscriptio „Flores doctorum“, ubi plura sanctorum dicta ex ordine colliguntur.

Ad similitudines figurasque quod spectat, si in concione usurpabis, venustae illae sint; vetera enim fastidiunt auditores. Has etiam in libris collectas reperies; similitudines e. g. in eo, qui „Symbola sanctorum“ nomen praefert, figuras in aliis pluribus. Suadendum magnopere in hunc

Digitized by Google

scopum existimo, ut concionator libellum ad manum habeat, ubi quod in lectione quotidiana utile occurrit, adnotet.

Exemplis etiam propositis animus vehementer movetur; cavendum tamen, ne sint conficta et gravium destituta doctorum auctoritate. Sed hic non diutius moror.

Ad similitudines redeo. Quae quoniam magnae sunt utilitatis et orationem mire illustrant, normam hic aliquam visum est subdendam, ad quam orator eas facile efformet apteque proponat.

23. Illud ergo, quod est comparatione illustrandum, efferat orator, sive mente sive calamo, propositione aliqua, quae subjecto constet, copula ac praedicato. Difficile hoc factu non est; quidquid enim excogitaveris, id propositione vel categorica vel hypothetica valet exprimi, ubi tria illa necesse est occurrant. Tum vero ad similitudinem struendam subjecti et praedicati prioris loco duo nova subdat; ejusmodi nempe quae illis relatione aliqua vel convenientia respondeant; aut nonnisi unum, si lubet, mutet subjectum vel praedicatum. Hisce peractis, similitudo jam est in promptu. Exemplo res penitius clarebit. Sit auditoribus suadendum, ut letalem culpam sine mora excutiant. Primum quidem propositionem hanc mente fingamus: Homo peccatum sine mora desere. Similitudo heic exquirenda pro homine et peccato, aut pro alterutro tantum; melius tamen si pro utroque. Nunc, quaeso, advertito, creatis rebus omnibus boni aliquid ac mali inesse, ipsius nempe naturae vi. Id ergo quod est comparatione excolendum, qua bonum est cum bona alia re componi debet, qua mancum cum manca. Ad propositum exemplum redeamus. Duo ibi occurrunt, homo, qui bonus est, peccatum, quod malum. Jam ceteras lustremus res. Num quas offendimus, quae bonitate sua homini comparari queant? Ita sane. Aves invenimus et reliqua animantia, quae mundum ut homo incolunt; invenimus etiam urbes et castella, quae hospitio peregrinos donant; idem de arboribus dicas, de lapidibus pretiosis et alias id genus. Peccatum quoque non pauca habet, quibuscum turpitudine convenit; lutum, puta, aegritudinem, servitutem, laqueum,

Digitized by Google

viperinum morsum etc. Hisce inventis, nil modo superest, nisi ut comparationem instituas. „Si quis iter faciens gradu, medio luto, fallatur, an non illico assurgit? Haud secus ille agat, qui in peccatum prolapsus est.“ Heic, ut vides, peccatum solum luto componitur. Alia ratione sic dices: „An non vidistis aliquando aviculam venantis laqueo deprehensam? Alas misella concutit totisque nervis amissam libertatem recuperare nititur. Si quis ergo peccati laqueo tenetur, ne sistat miser quoad inde se expediat.“ Habes hic hominem aviculae, peccatum laqueo comparatum. Haec ratio exquirendarum similitudinum difficilior initio videbitur; verum si exercitatio privata non deest, res brevi tempore nullo ipsi labore stabit.

Quaecumque demum fuerit tractanda materia, similia sponte sese offerent, quibus eam illustret utilitate auditorum maxima. Inde etiam facilitas ipsi creabitur in rite applicandis sacrarum scripturarum symbolis, ex iisque documenta morum deducendo.

Quibus omnibus abunde sit dictum, qua ratione facultatem sibi orator comparet ad sermones cum venustate parandos.

Superest ut de textura ipsa sermonum atque ordine dicamus. Uti enim cibi etsi varii sunt et exquisiti, si tamen una omnes permixti lance exhibentur, stomachum movent, diversitas autem ferculorum famem exstimulat ornatque convivium, sic pulchra quamvis sint, quae sis dicturus, ea si apta carent dispositione, auditores fastidient.

24. Textura haec sermonum varia est, pro varia concionatorum indole. Modos omnes indicare non est mihi animus, nec si foret, tenuitas ingenii mei ad id praestandum valeret. Quas vero ipse rationes in mea diuturna dicendi exercitatione inveni, proponam paucis, quibus lector, si visum fuerit, utatur. Et quoniam nulla est oratio, quae non debeat pluribus constare partibus, quas vulgo puncta nominamus, dicam in antecessum, quam ego normam reperi pro puncto quolibet amplificando, sive ad docendum sive etiam ad affectus movendos. In singulis igitur punctis

Digitized by Google

singulae proponantur veritates; tum argumenta sequantur sive suavia sive fortia ad concitandos animos. Hoc tanquam epilogo universa amplificationis ratio continetur. Integrum porro oratori est, veritate tantum explanata, argumentis supersedere, aut unico uti argumento, si satis est, aut coacervare plura, prout nempe magis minusve amplificatione opus habet. Veritatem, quam diximus, primo semper loco efferat proponatque conclusionis instar selectis apertisque verbis, ne sit captu difficilis. Improbandus autem videtur ille, qui confuse hac in re procedit vel verbose nimis. Auditores enim nil certi capiunt; quumque quid agatur ignorent, animis etiam rigescunt. Brevitati ergo et perspicuitati in docendo studeamus; excessum tamen caventes, ut non doctis solum, sed rudibus etiam perspicua sit oratio.

25. Ad hoc juverit unam eandemque veritatem bis terve enuntiare, mutata scilicet verborum forma, et in hanc modo partem auditorii respiciendo, modo in illam. Ita et veritas pleno lumine perspicietur, et satietas vitabitur variatione verborum. Haec tamen unius rei repetitio minus videtur commode fieri medio sermone ac sub finem; utilius ab initio aut cum intellectu difficiliora occurrunt. Post haec gressum orator faciat ad media copiose exponenda, unde excitetur voluntas; prudenter autem id agat, et quo gratior sit, auctoritates, ut dictum est, usurpet comparationesque et figuras; curet vero semper, ut auditores quod reliquum est sermonis avide appetant. In quo duo veniunt notanda. Primum est, ut inter ea quae afferuntur non desideretur connexio: quare si vel testimonium aliquod vel comparationem inserere orationi placet, pauculis verbis fiat, ut superioribus apte cohaereat. Alterum est, ut in argumentorum amplificatione fiat saepe transitus ad contraria; opposita enim juxta se posita magis elucescunt. Ita e. g. ad suadendam animi demissionem inquies: humiles Deus beneficiis cumulat; quod postquam auctoritate aliqua confirmasti, exponas quam implacabili Deus odio prosequatur superbos. Sed haec clariora inferius apparebunt.

Digitized by Google

26. Etiam in movendis affectibus earundem sententiarum repetitio non erit inutilis; servatis tamen regulis de diversa semper auditorum parte respicienda. Quod facile praestabit orator, si binos ternosve practicos, ut vocant, casus pro materia, quam tractat, proponet perinde ac si solus cum solo sermonem misceat.

Exemplum accipe. Suadeas humilitatem, ratione inde petita, quod Deus humiles in deliciis habet. Id porro firmes Isaiae testimonio: „Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum ... et trementem sermones meos?“[1] Tum sermonem ad unum aliquem convertens: „Audi, mi frater, subdas, quae Deus ipse testatur. Si demisso fueris corde, benigno te Dominus oculo intuebitur. An forte hic adsit nobilis aliquis, qui vano ductus honoris desiderio, rixas ubique et contentiones movet? Eja, dilectissime, si ad petendam ab adversario pacem te demiseris, paratus Deus est ut in suam te recipiat amicitiam. Aut unus aliusve est, qui in bono exequendo humanas aucupatur laudes? Ames, quaeso te, despici ac proteri inter homines; tum enimvero coelestibus affluues deliciis. Tuque, o mulier, quae ad humana pectora allicienda exquisitiorem affectas cultum, mittas, precor, vanitates istas; modesto contentam ornatu Deus ipse te diliget, inquit enim: ad quem respiciam“ etc.

27. Ut quisque videt, haec amplificandi methodus maximo auditoribus emolumento est; quum enim ad peculiaria semel iterumque deducatur oratio, quisque habet, quod pro se dictum accipiat. Ut vero casus hosce practicos sine nimio labore invenias, hanc normam adhibeto: Aut de vita christiane instituenda generatim agis, aut de virtute aliqua nominatim vel vitio. Si primum, illos ex triplici totius nequitiae radice repetas, superbia scilicet, avaritia ac voluptate. Si alterum, desumas eos ex peculiaribus hominum conditionibus, nobilium, opificum, sacerdotum, religiosorum et ita porro.

Jam aliud exemplum proferam, ubi universa hucusque tradita unico intuitu conspiciantur. „Intravit Jesus

[1] Is. 66, 2.

Digitized by Google

in quoddam castellum."[1] „Hinc mala nobis omnia, auditores, proveniunt, quod nempe castello similes nequaquam sumus; hinc neque Jesus ad nos divertit. Studeatis, quaeso, hoc probe intelligere. Deusne in animabus vestris ut habitet desideratis? Estote ergo firmi solidique in virtutibus tamquam castellum aliquod. Si Domini invisitionem cupitis, ne in bono nutetis, arreptamque semel viam constanti gressu percurrite. Qua ratione Deus illum respiciet, qui bonum inter et malum indesinenter claudicat? ‚Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Juda? anima vestra quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens.'[2] Haec nobiles quotquot estis audite, qui perseverantiam bonorum coeptorum tam facile despicitis. Quid faciam vobis? Concionibus quidem interestis, recta quoque consilia capitis; nulla haec tamen stabilitate, quasi nubes matutina. Vobis vix e templo progressis, concepta evanescunt proposita, quasi ros mane pertransiens. Tu vero, frater, qui pietati studes, qui orationi es addictus, qui sanctum morem coelestia meditandi tenes; quid faciam tibi, ait Dominus? quid ut dulcedine mea te repleam? quid ut muneribus cumulem? tu enim quasi nubes, quasi ros pertransiens mutaris in dies . . Opifex desidiose, quid faciam tibi? quî ego miseriis medebor tuis? En tu versabilis nimium ac piger es. Labori insistas, virtutem constanti animo colas; tum sane meo numine felix eris. O quae nobis et quanta bona constantia parit! Guttula aquae, si continua est, magnos quoque lapides cavat. Coeptum ergo bonae vitae institutum servemus, dilectissimi; superabimus tandem naturae desidiam recteque agendi habitum acquiremus. Sacramentis persaepe uti es aggressus? Etsi piget, perseveres fortiter; idipsum brevi tempore cum voluptate facies. Taedet te modo carcere detentos vel morbo laborantes invisere? At perge strenuus, haec tibi deinceps delectationi erunt. Utinam hanc vestris animis veritatem alte defigerem! Innumeris teneris forsitan, dilectissime,

[1] Luc. 10, 38.
[2] Os. 4, 6.

Digitized by Google

peccatorum vinculis; ne animum idcirco despondeas. Gutta cavat lapidem; constans bonorum operum exercitatio voluntatem superabit. ‚Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit'[1]; sic ipse Deus spondet. Voluntas perseveranti labore firmabitur, gratiis quoque suis vos Dominus cumulabit aeternamque demum assequemini beatitatem. Id unusquisque pro certo habeat, nil potius Dei ministros dolore afficere, quam minimam hanc animorum in bono stabilitatem. Tu vero, dulcissime mi Jesu, heu quam amaro vulnere dilaceratum cor geris ex tanto hoc perseverantiae defectu!"

28. „Postquam Jerichuntinam urbem cepit Josue, transiit inde cum exercitu universo ad expugnandam Hai.[2] Quid vero? Quum e militibus nescio quis grave admisisset crimen, permisit Deus, ut in hostium conspectu turpi sese Israelitae darent fugae. Tum Josue scidit vestimenta sua, pronus cecidit in terram clamavitque ad Deum: Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem? Heic, dilectissimi, quid cum Jesu actum est, agnoscite. Virginea ipsius caro flagris ad columnam dilacerata est, clavis in cruce transfossa est, perseverantiae scilicet nostrae defectum luens. Poterat Christus sola nos incarnatione redimere. Quod vero tot id supportatis doloribus effecit, id, si fides ecclesiae patribus adhibenda, ad inconstantiam hominum expiandam evenisse etiam credendum est. Heu quantum Jesu dolori est, eos ad vitia redeuntes cernere, qui jam in sacra exomologesi iisdem valedixerant! ‚Amice, ad quid venisti'?[3] sic ipse Judam est allocutus; ejus nempe detestatus mutabilitatem, qua amicus in hostem, apostolus in perduellem sese converterat. Tu etiam aliquando, frater, animi demissionem colebas; non te, quaecumque oblatrarent homines, dimovebant, tanto scilicet amore Dei flagrabas. Nunc vero ne verbulum quidem asperum perfers, irasceris, furis. Cerne, quaeso, divina Christi membra largo manantia sanguine. Tu nempe castus quondam, nunc tentationibus superatus,

[1] Mat. 24, 13. [2] Jos. 7, 1 ss. [3] Mat. 26, 50.

Digitized by Google

infando vitiorum coeno volutaris. Aspice vulneratum Deum; percontare ipsum: Ecquid, bone Jesu, tot te flagris proscissum? Reponentem audies: Ut scilicet exemplo meo tuam roborarem constantiam, ut hostes profligares strenue, ut ne fugam turpiter capesseres! — E contra summa Deum voluptate perseverantes afficiunt. ‚In ipsa hora exultavit (Jesus) Spiritu Sancto'.[1] Reversi quondam apostoli ex urbibus, ad quas fuerant ad concionandum missi, haud levi gaudio narrabant, suos nequaquam fructu caruisse labores, ac populos ad bonam frugem revocatos esse. His auditis, magnopere delectatus est Jesus.[2] Eja, fratres, nemo ergo hic aderit, qui tantam Christo laetitiam pariat? Peccatis igitur sit satis datum. Virtutem constanti amplectamur animo. Quas tu tentationes forti pectore pateris, quas tu hostium insidias retundis, mirum quam cordi Jesu jucundae adveniunt. An non haec sibi merito postulant, quae pro nobis est passus? Ita sane, dilectissime Jesu; hoc ego doloribus rependam tuis, disrumpar potius, quam te rursus offendam; totus licet obloquatur mundus, ego tamen injurias inimicis condonabo libens etc.“

29. Hoc exemplo primam in amplificando methodum propositam habes. Primo enim loco, similitudine haud obvia ex castello petita enuntiatur doctrina de constantia in recte coeptis. Tum proposita dilatatur conclusio. Subjicitur his ad movendum ratio ex damno deducta firmaturque auctoritate adnexis casibus nonnullis practicis. Deinde affectus etiam ex opposito excitantur, perseverantium nempe felicitate, quod amplificavi comparatione guttae lapidem cavantis, subjecta iterum scripturarum auctoritate. Post haec fit transitus ad argumentum alteram a Christi passione mutuatum addunturque, ut supra, exemplum, testimonium, casus practici. Tandem oppositum quoque affertur ex laetitia Jesu, et epilogo finis imponitur. Hic modus sua venustate non caret; ac servatis servandis, poterit orator adductum imitari exemplum. Advertat tamen, etsi hic transitus ad opposita fit adducendo similitudines,

[1] Luc. 10, 21. [2] Luc. 10, 17.

Digitized by Google

auctoritates etc., non teneri ipsum stare huic ordini. Agat pro lubitu, servata semper argumentorum varietate.

30. Plures adhuc suppetunt amplificandi rationes. Alia sic conficitur. Enuntiata conclusione, eam orator probat ex binis oppositis, quorum utrumque confirmat narratione aliqua e scripturis deprompta non sine adjecta testimonii auctoritate. Probe autem advertat, quo procedendum sit ordine. Nam conclusione adducta eaque quantum opus est dilatata, affertur narratio, unde colligatur, quantum illis obventurum sit damnum, qui a proposita agendi norma sese reduxerint. Secundo autem, quantam alii ex ea perceperint utilitatem, indicatur narratione altera. Sequitur adhortatio ad postremos hosce imitandos, auctoritatibus ad omnium confirmationem non praetermissis.

Exemplum hic quoque attulisse juverit. „‚Intravit Jesus in quoddam castellum'.[1] Ideo, dilectissimi, ad nos non divertit Jesus, quod nempe castello similes nequaquam sumus. Studeatis, quaeso, hoc probe intelligere. Deusne in animabus vestris ut habitet desideratis? Firmo ad hoc solidoque pectore est opus ad Dei placita sancte constanterque servanda. Qui secus egerit, difficile dictu est, quanta ipsum maneant incommoda. Scripturae sacrae id aperte produnt. Quum ratum Deo esset, Sodomam et Gomorrham incendio delere, advocatum ad se Lot jussit inde discedere cum familia universa ac montium viam arripere; quod ille dicto audiens praestitit. Addidit vero Deus, fugam sic ab ipso suisque capessendam, ut ultro semper procederent, nec quantumvis exaudirent strepitum corruentium urbium, retro respicerent; aliter si qui fecerint, perituros. Ecce autem dum iter properant, tumultuarius a longe rumor. Tum vero uxor Lot, quippe quae debilior ideoque inconstans, oculos retro ferre; ast eo ipso instanti versa est in statuam salis,[2] quam usque in praesens lingunt armenta. Quid, quaeso auditores, sperandum ei superest, qui bonum inter ac malum indesinenter claudicat,

[1] Luc. 10. 38.
[2] Gen. 19, 26.

Digitized by Google

nisi ut in lapidem demum vertatur? Vos Deus pro benignitate sua e Sodomis evocavit, e peccatorum eripuit nexibus; virtutis iter jamdiu tenebatis; quum subito passiones obstrepunt, concidit cor. Ergone quod insipiens obmurmuret mundus, timor vos occupat, victas vos datis manus, divinoque nutu posthabito a coepto virtutis tramite aberratis? Quid, rogo iterum, quidnam sperandum superest, nisi ut obdurato corde vertamini tandem in statuam salis, quo passionum vestrarum pascantur armenta? Haec procul dubio instabiles manent. ‚Quid faciam tibi, Ephraim, quid faciam tibi, Juda'?"[1] . . Tum sequitur amplificatio ut in superiori exemplo; qua perfecta, ad alteram narrationem venitur hoc fere modo. „Colluctabatur Jacob cum angelo, quumque magis magisque incalesceret fervor: ‚Dimitte, rogavit angelus, dimitte me, jam enim ascendit aurora.' At instare Jacob; manus conserere ardentius, simulque clamare: ‚Non dimittam te, nisi benedixeris mihi'.[2] Profecto tanto luctatus ardore est, ut adveniente die optatam assequeretur benedictionem, quin et ipsum nomen ab angelo immutatum habuit. Sic nempe Deus cum perseverantibus egisse solet. Vos quoque, dilectissimi, utroque brachio dimicate strenue, actione scilicet et contemplatione, amore Dei ac proximi. Durate, quaeso, per hujus vitae tenebras, aeterna donec aurora consurgat. Luctantibus hic fortiter coelestis destinatur corona. ‚Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit'."[3] . . Addatur demum allatae auctoritatis declaratio, atque epilogo, ut supra, absolvatur.

31. Hoc quoque amplificationis genus facile venustumque est; scripturarum enim historiae figuris et comparationibus ornatae magna audiuntur delectatione. Quod vero pro unico argumento fieri posse ostendimus, idem et pro pluribus usui esse potest.

32. Tertiam proponamus methodum. Veritate aliqua enuntiata conclusionis instar ac dilatata, ut superioribus

[1] Os. 6, 4.
[2] Gen. 32, 24 ss.
[3] Mat. 10, 22.

Digitized by Google

dictum est exemplis, proferatur illico auctoritas vel testimonium, unde pateat permagni momenti eam esse, quippe quam Deus ipse suis firmaverit verbis. Tum ex ipsa proposita auctoritate occasionem nactus, addat orator argumentum aliquod a minori ad majus; quod ut vim majorem exerat, confirmet exemplo, exemplumque binae ternaeve sequantur figurae summatim prolatae. Hisce peractis, ad eos corripiendos transeat, qui contrario modo se gerunt. Reprehensionem vero auctoritate pariter, argumento a minori exemploque roborare studeat.

Oculis rem subjiciamus. „Intravit Jesus in quoddam castellum.“ Amplificatio ut supra. Tum sequamur: „Quum de veritate hac nemini dubium esse debeat, eam ipse Deus testatam voluit. Canticorum namque cap. 3. legimus: ‚En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi‘.[1] Ac si diceretur: Ne vestra, dilectissimi, vos fallat opinio; pectus, quod Deo thalamus esse velit, fortitudine polleat necesse est. Sexaginta fortes ambire illud debent ex fortissimis Israel; consilia nempe ejus non qualiacumque sed tenacia sint. His sane cordibus utitur lubens ad habitandum, ad quiescendum Deus. Quid vero mirum? An non homines quoque, si hostes habeant, tutum sibi optant domicilium? Si igitur ad labilem nos vitam tutandam id facimus, injuriane Deus fortia pectora sibi quaeret, ut infernorum hostium aggressiones superet? Scio equidem, vim Deo inferri nequaquam posse; verum si nos, ut sumus instabiles, libero abusi arbitrio, flagitium aliquod perpetramus, et Deus nos relinquat necesse est domumque deserat, quam tanta incolebat cum voluptate. Ne, quaeso fratres, nos ipsi nos decipiamus. Hostium plena sunt omnia, nec absunt, sed ingruunt. Qui ergo Deo adhaerere cupit, qui ejus benevolentia frui, propositi sui tenax esto, paratus disrumpi potius, quam a lege Dei ne transversum quidem unguem recedere. Haec magnus ille apostolus quum probe nosset, semetipsum nobis rupe fortiorem exhibuit,

[1] Cant. 3, 7. 8.

Digitized by Google

clamans: ‚Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames'? etc.[1] Non mea, inquit, uti vestra nutantia consilia sunt. Christo ego inhaerebo immotus. Non me ab illo aerumnae, non me labores, non me gladius, non quaevis alia divellent. En quinam merito arci comparatur inexpugnabili! Nec sane tales vos ego dixerim, qui daemoni allicienti ultro semper victas porrigitis dexteras. Hanc Deus constantiam exigit. Haec nimirum petra illa est, quam supra Christus domum aedificatam voluit, quae nec ventorum impetu, nec fluminum violentia dejiceretur.[2] Haec mons ille Domini est, cui David componit, qui confidunt in Deo; nec in aeternum commovebuntur.[3] O felix perseverantia! columna ignis, quae filios Israel per desertum ducis; nubes, quae radios nobis divinae justitiae arces! Deum enixis rogemus precibus, ut hanc nobis impertiat.“ . .

„Verum proh dolor! quam rara constantia haec inter homines. Quamobrem jure Deus penes Oseam queritur: ‚Quid faciam tibi Ephraim'? etc. . . (Amplificatio ut in primo exemplo). Vos ego consulo, dilectissimi; an non merito opificii cujusdam magister irascitur, quum pueros tabernam deserentes conspicit? Jam agite; si artem quamlibet ut bene quis teneat, perseverantia opus est, nulla opus erit perseverantia, quum de re longe magis ardua, de comparandis, inquam, virtutibus agemus? Hinc et a Job dictum legimus: ‚Etiam si occiderit me, in ipso sperabo'.[4] Tales Deus optat famulos, mediis nempe afflictationibus, media morte constantes.“ . .

33. Tertium hoc amplificationis genus gravitatis plus habet penes doctos praesertim, utpote quod literali scripturarum sententia ad suadendum utitur. Oratores, qui robusta gaudent voce, hoc genus commode usurpabunt. Illud tamen advertant, hic plus quam alibi decoram venustamque pronuntiationem requiri.

[1] Rom. 8, 35.
[2] Ps. 124, 1.
[3] Mat. 7, 24 ss.
[4] Job. 13, 15.

Digitized by Google

34. Nunc demum de textura ipsa sermonis dicere aggrediamur. Ea quoque multifariam componi potest.

Ac primum veteres patres imitari possumus, Chrysostomum nempe et Gregorium, qui locum aliquem evangelii percurrere fuerunt soliti, adjectis hic illic explanationibus. Locum ergo evangelii, quem enarrandum sumimus, perlegamus attente, adhibitis etiam exegetis ad literalis sensus assecutionem, Chrysostomo inprimis, qui in novo testamento explicando ceteris omnibus antecellit. Post haec videamus, quaenam inde christianae vitae documenta erui sponte possint. Inventa vero sic in tres quatuorve partes dispescamus, ut pars postrema postremis evangelii verbis respondeat. Qua in re si difficultas oboriatur, catenam auream divi Thomae consuluisse juverit. Tot enim ibi referuntur sanctorum patrum sententiae, ut aliquot doctrinae capita inter illas arduum reperire non sit. Singula porro haec capita proponemus conclusionum instar, quas traditis superius modis amplificabimus.

Ut vero res majori cum delectatione cedat, initium fieri orationi potest aliquot evangelii verbis ad modum sententiae prolatis; statimque primum doctrinae caput breviter explicetur, uno tantum ad movendos animos adhibito argumento. Redeamus deinde ad evangelii verba, quibus tamdiu immorabimur, quamdiu occasio non sese praebeat alterum proponendi doctrinae caput. In hoc diutius sistendum est, binis allatis argumentis. Item de tertio intelligatur, quod erit in longius adhuc trahendum. Demum absoluta evangelii explanatione, sequitur postremum punctum, quod curabit orator et ut reliqua amplitudine superet et ut maximi momenti sit, quo scilicet in fine calescat oratio. Integrum porro cuique fuerit punctorum numerum augere; tum vero brevius unumquodque sit, ut diutius in postremo versetur, apteque ac venuste orationem claudat.

35. Ab hac non valde discrepat secunda sermonem texendi ratio. Quae tota in eo est, ut evangelium brevibus interjectis notulis integrum perlegatur. Tum ex ipsa re dubium aliquod velut sibi obortum proponat breviter orator,

Digitized by Google

quo nempe auditorum mentes excitentur. Inde bina vel terna doctrinae capita inferet, quae traditis superius modis amplificabit, docens pariterque movens ad recte agendum. In fine propositum enodabit dubium, non jejune quidem, sed large fuseque. Sic ergo dubii propositione, punctorum divisione ac dilatatione, dubii rursus enodatione tota constabit oratio.

Exemplum subjicio, punctorum tamen amplificatione omissa. Sit evangelium dominicae primae post Epiphaniam, ubi narratur, quod remansit puer Jesus in Jerusalem. Historia igitur praecedat, brevibus, ut dictum est, annotationibus. Tum dubitans inquirat orator: „Quorsum, o bone Jesu, sic tuam dolore afficis matrem? Si verum est, poenas infligi hominibus vel propria vel aliorum culpa, nec ipsa quidquam tua mater peccavit, nec ei redimendi humani generis demandata provincia est. Cur ergo sic illam saucias? Ut via responsioni sternatur, advertite, quaeso, ad triplicem hunc scopum operari quemquam posse. Primum quidem ad peccatorum veniam impetrandam. Sublimis hic scopus est. Utinam quam grande malum peccasse sit, omnes ex animo cogitaremus! ‚Fili peccasti, ne adjicias iterum, sed de pristinis deprecare'.“[1] . . Punctum. hoc postquam aliquantisper dilatatum fuerit, secundus proponatur agendi scopus. Ex. gr. „Est et alter quoque operandi finis. Quod nempe, delictorum piatione exsoluta, omnia ad gratias Deo agendas dirigamus. Sublimior, ut patet, haec ratio agendi est.“ . . Hujus puncti dilatatio amplior sit oportet, nonnullis recensitis muneribus a Deo in nos collatis. Gressus demum fit ad tertium punctum. „Sunt et hominum quidam, qui sola Dei dilectione moventur ad operandum. Perfectorum hoc genus est, qui laborum, insectationum quidquid est ultro libentes amplectuntur.“ . . Ejus porro doctrinae amplificatione peracta, sequetur dubii solutio. „His omnibus liquet, amoris perfectionem in eo esse, ut quis pro eo, quem diligit, patiatur. . . Hinc est, quod Deus tam multa tamque gravia bea-

[1] Eclus. 21, 1.

Digitized by Google

tissimam matrem perferre voluit. Quid enim illa non est perpessa?“ . . Fiat enumeratio. Auditoribus demum ad miserendum imitandumque excitatis, claudetur oratio.

36. Quoad hunc modum illud notandum venit, quod solutione dubii proposita, tres subdi queunt interrogationes, quarum singulae singulis respondeant punctis. V. gr. „Jam quaeso, dilectissime, ad quem finem operationes tuae diriguntur? Num ut noxarum impetres veniam? Quidnam de eo diceres, qui ad restinguendum ignem oleum apponeret aut ligna conferret? oh te infelicem nimium! potius quam Deum iratum places, flagitia flagitiis cumulas, divinaeque justitiae furorem irritas. .Super quo percutiam vos ultra, addentes praevaricationem'?“[1] Sic et reliquis interrogationibus occurrendum, comparationem aut exemplum aliquod usurpando, unde pateat, quam praepostere agat, qui sese aliter gerit. Postremae interrogationi placida responsio fiat. „Qui ex amore operantur, hi milites Christi appellari merentur, similes iis tribus fortissimis David, qui per medios iverunt hostes, ut cyatum aquae referrent de cisterna Bethlehem.[2] Nullos profecto hi metuunt labores . . dum Deo offerre queant, quod ipsi non sit ingratum.“ Posset id quoque illustrari binis ternisve scripturarum exemplis, quibus finis dicendo fieret. Hic modus non modicae venustatis est. Qui tamen si adhibetur, ne nimius sit orator in punctorum dilatatione.

37. Alia etiam suppetit sermonis texendi forma. Evangelium prouti jacet recitatur primo. Tum additur: „Duo hinc colligimus. Primum est“ . . et aliquod proponitur doctrinae caput evangelio vel festo conveniens; eoque quantum satis est amplificato, fit transitus ad secundum. Vel si lubet, unumquodque caput binis ternisve argumentis confirmet; tum ex utrisque simul morale aliquod documentum inferat, additisque ad confirmationem figura vel auctoritate aliqua, sermoni finem ponat. Methodus ista opportuna maxime videtur in festis servatoris nostri beataeque ejus matris. Sit ergo exemplum pro festo virginitatis Ma-

[1] Is. 1. 5.

[2] II. Reg. 23. 16.

Digitized by Google

riae. „Duabus de causis Deum voluisse autumo, ut ejus mater virginitatis laude floreret. Prima est, quod carnalis voluptas, utut in matrimonio, christianae vitae perfectionem remoratur. Unde Deus ipse testatur“ . . Rationes aliquot heic afferuntur, quibus pateat non decuisse Dei matrem tali labe notari. Continuetur deinde: „Secunda ratio est, ut nascens ex virgine matre manifestum ipse faceret, venisse se ad corda hominum purificanda tergendasque peccati maculas. Quamobrem inquit propheta“ . . Hoc etiam puncto absoluto, subjiciat demum: „Ex his vero quid eruendum? ‚Sanctificatio vestra.‘[1] ‚Ecce virgo concipiet et pariet filium.‘[2] Vidit rex Nabuchodonosor lapillum ex alto delapsum, qui sine hominis ope statuam dejecit.‘[3] Jam tempus est, fratres, ut statua dejiciatur superbiae nostrae. En petra delabitur. ‚Petra autem erat Christus.‘[4] . . Vidit quoque Ezechiel portam clausam, Domini domum plenam gloria ejus[5] . . Benignitate virginis plena erit terra“ . .

38. Quartus adhuc texturae modus habetur. Enarrato evangelio subjicies: „Hodie ecclesia hoc prae oculis habet. . . Cujus nomine non hoc vel illud intelligendum est, tali vel tali de causa . . . Hoc ergo respicit“ . . Hic vero aliqua veritas proponatur ac dilatetur. Post haec prosequere: „Verum non id sufficit; aliud quoque requiritur tale vel tale“ . . Exponet heic secundum punctum, amplificationem faciet, remedia suppeditabit, suasiones adhibebit.

Exemplum ducamus ab evangelio, ubi de infirmis sanatis sermo est. „Febrim vestram ecclesia sanare cupit; non corporis inquam, haec enim subinde est utilis, nam infirmitas gravis sobriam facit animam (hic ad aegrorum solatium infirmitatis exponantur emolumenta); sed febrim spiritus intelligo. Febris nostra avaritia est, febris nostra . . Infirmitas nostra ex tali vel tali vitio oriuntur . . Nam . . At enim quid nobis remedio erit? Adveniat utinam coelestis ille medicus. Ille vos docebit quid agatis . .

[1] I. Thess. 4, 3. [2] Js. 7, 14. [3] Dan. 2, 31 ss.
[4] I. Cor. 10. 4. [5] Ezech. 44, 2 ss.

Digitized by Google

quid caveatis . . quam bene ipse sanum illum vel illum reddidit, eo quod hoc vel illud praestitisset" . .

Idem modus servari potest, ubi de virtute aliqua sermo sit; v. gr. de misericordia: „Misericordiam ne, quaeso, putetis positam in sensu nescio quo naturalis teneritatis. Is enim animae nec bonus est nec malus, verum prout a nobis adhibetur utilis vel nocivus evadit. (Hic explicetur pluribus, quo pacto naturae dona, etsi per se indifferentia, bonis emolumento sunt, malis perniciei; quamobrem recte illis utendum tali vel tali ratione). Sed quid est misericordia? quid ut sit virtus requiritur?" Hoc perspicue orator doceat, commoda ostendat, media suppetat, virtutem ipsam denique laudibus prosequatur, figuris quibusdam adjectis appositorum instar.

39. Et haec quidem de sermonum structura sufficiant. Dummodo enim puncta singula rite amplificare quis noverit, nulla difficultas supererit in apta eorundem dispositione. Illud semper ante oculos orator habeat, ut quae in concione docet, aut literali nitantur evangelii sententia, aut historia, quam idem evangelium vel diei celebritas memorat. Hac ratione nunquam illum doctrina deseret; etsi enim sublimia tractat et insolita, ea tamen evangelio fulciuntur. Praeterea si materia sermonum evangelio respondeat, varietas hujus varietatem illorum gignet. Quid tamen ubi diversis diebus unum idemque legatur evangelium? Tum vero diversis incedendum viis; idem namque evangelii caput plures exhibet veritates, quae amplam suppetunt dicendi materiam. Hic rursus inculcare libet, ut proponenda veritas novitate quadam aspergatur. Sic superius factum, quum de perseverantia diximus similitudine arcis allata. Sic fieri etiam potest in evangelio de parvulis, ubi captata ex parvulis occasione, de humilitate non inepte quis disseret. Difficultas hac in re nonnulla aderit, quum perspicuam quandam doctrinam sine parabolis evangelium exhibet, v. g. „Diligite inimicos vestros." Attamen tum quoque novum aliquem aspectum, quo res proponatur, reperire non est arduum. Magno ad hoc auxilio erit lexicon Petri Bercorii. Tribus omnino tomis ex-

Digitized by Google

hibet ille literarum ordine digesta quotquot sunt scripturarum verba. Adnexam cuique verbo amplam cogitationum copiam concionator inveniet.[1]

40. Monere demum non abs re fuerit, ut in qualibet oratione illae usurpentur figurae, quae ad movendos animos plurimum faciunt, ut est exclamatio. V. gr. „Te angelorum, bone Jesu, laudet beata cohors, qui tam saeva pro nobis es passus!“ Vel etiam precatio: „Te, Domine, horum omnium nomine precor, ut lumine nos regas misericordiae tuae.“ Haec aut similia percommode tum cadunt, quum puncti cujusvis peracta amplificatione, affectus sponte excitantur. Juverit etiam auditores ipsos alloqui: „Quaeso te, dilectissime, per Jesu viscera,“ aut admiratione uti: „Jesu bone, quis hoc unquam crederet!“

41. Hucusque igitur adjumenta concionatori suffecimus, quibus usus sermones apte componeret. Antequam finem faciam, visum mihi est indicare materias etiam, quae frequentius summoque emolumento tractentur. Quamvis enim immensus heic cámpus oratori pateat, quaedam tamen sunt, quae utpote christianae sanctimoniae radices saepius iterasse necesse est, unde et saepius in scripturis occurrunt.

I. Frequens sit orator in demonstrando, quam necessarium sit, ut noscat unusquisque, quid in suo munere praestare debeat. Hujus rei ignorantia multorum delictorum origo est, nec tamen excusat homines ante tribunal Dei. Major christianorum pars temere in hoc negotio procedit. Monendi ergo sunt, suadendi, inducendi, ut a doctis, piis prudentibusque viris, quae sint officia cuique propria, perquirant.

II. Doceantur filii ac famuli, quid eorum conditio postulet, simulque parentes ac domini moneantur, quam severam Deo reddituri sint rationem hac super re. Quotidianas preces scivisse non est satis; sed suasionibus ac poenis curare debent, ut filii ac famuli peccatorum vinculis eximantur. Reprehendatur etiam mancipiorum neglectus (si mancipia eo loci sint); caveatur, ne bestiarum

[1] Bercorii Repertorium morale, Argentinae 1473. Norimbergae 1499, etc.

Digitized by Google

more tractentur, nulla animis adhibita cura permissoque inter ipsos concubinatu, quo nempe numero augeantur. Demum commouefiant parentes, ut probis magistris filios erudiendos tradant; magistrorum enim mores discipuli imitantur.

III. Hortandi magistratus, ut aequum justumque judicent pravosque populorum convellant mores. Maxime hoc inculcandum; gravis enim fere ubique adest negligentia, unde fame, lue aliisque poenis a Deo plectuntur populi.

IV. Pluribus quoque commendandum, ut probe omnes considerent, quam vitae conditionem amplecti unusquisque debeat, multis hac super re fusis ad Deum precibus multaque adhibita consultatione. Utut enim probata quaevis vitae conditio sit bona, non omnes tamen huic vel illi accommodati sunt. Hic vero sumenda occasio, ut moneantur parentes de officio, quo tenentur, ut talem filiis vitae conditionem suscipiendam curent, quae eorundem incliuationi respondeat. Districtam ab illis reposcet Deus rationem, qui cogunt filias monasteriis sese includere, filios vero sacerdotium assumere, nullo nempe Dei nutu, sola beneficiorum victusque comparandi causa. Si quis autem filiorum religiosae vitae institutum Deo vocante amplectitur, tenentur parentes inquirere, in quod illi monasterium sese recipiant, ne nempe eo veniant, ubi religiosae vitae disciplina labefactata sit. Haec frequentissime orator tractet, apprime enim necessaria sunt.

V. Confessariis inculcetur, ut a poenitentibus peccata exquirant, quae contra cujusque officium admissa fuerint; raro enim de his cogitatur. Confessio extremum tribunal est a Deo in ecclesia constitutum, ubi illata aliis damna sarciri queant. Gravissime igitur confessarii delinquunt, qui muneri suo perfunctorie satisfaciunt.

VI. De amore, quo nos Deus prosequitur, saepe sit sermo, deque ipso creatore omnium Deo. Omnes enim nosse debent, eum esse unum ac trinum, summe amabilem, perfectionibus cumulatissimum. His amorem Dei concipiunt homines, qui si deest, per vetita quaeque labuntur.

Digitized by Google

VII. De providentia Dei non rara sit mentio, et quo pacto bona ipsius voluntate universa reguntur in hominum emolumentum. Hinc pronum erit hortari auditores, ut aspera quaevis aequo animo ferant. Nullus homo est, qui laboribus careat; Deus omnia disponit; solatium ergo capiendum atque inscrutabilia Dei veneranda judicia.

VIII. Saepe etiam de redemptione dicendum, quantumque Deus in nos contulerit beneficium, quum filium suum unigenitum dedit, qui mortem pro nobis oppetiit. Quanta hinc non eruenda utilitas? Id modo necessarium inprimis est. Haeretici enim sus deque omnia vertunt; oportet ergo ut probe catholici edoceantur. Redemptionis gratia extollatur. Idcirco loquendum de originali peccato; quanta ex eo derivata sint mala; quam summa nobis redemptoris necessitas. Patet hinc, quo amore, quam grato animo in Patrem aeternum ejusque Filium nos ferri oporteat; simul apparet, qua ratione redemptionis commoda in nos derivemus, fide nempe, charitate bonisque operibus.

IX. Ne fatigetur unquam orator sacer auditores suos hortari, ut sacramenta saepe suscipiant, misericordiae opera exerceant, charitatem servent, orent ac coelestia meditentur, ex quibus postremis immensa parantur commoda.

X. Vehementer et saepe invehatur in occasionem peccandi, adversus castitatem praesertim, simulque contra familiaritates varii sexus personarum. Mariti ac matres advertant sedulo, quibuscum agant uxores et filiae; inter cognatos enim turpia saepe flagitia committuntur ob virorum ac parentum negligentiam.

XI. Superbia et vana suimet existimatio magnopere reprehendatur, illa enim vitiorum omnium origo est. Ad animi etiam demissionem saepe excitandum; quo loco acriter insectetur concionator nimium in vestibus ornatum, damnis inde profluentibus perspicue indicatis. Otium quoque carpendum saepe.

XII. Ostendatur multoties, quam felix ille sit, qui amicitia jungitur Deo, et e contra, in quanto versetur pe-

Digitized by Google

riculo, qui letali culpa tenetur. Pecuniarum cupiditas ac nimia terrenarum rerum cura saepius improbanda.

Haec sunt, mea quidem sententia, de quibus crebrius concionator dicat; bonorum enim malorumque omnium radices sunt. Inquirat porro, num quae peculiaris adsit necessitas eo loco, ubi conciones habiturus est.

Epitome munerum concionatoris.[1]

Finis remotus: Dei gloria; vita aeterna. Finis proximus: Purgare; illuminare; inflammare.

Concionatoris aptitudo, quae fini respondeat: Ordo; doctrina; missio.

Materia, quae sit solida et evangelium spirans.

Media: Unio cum Deo et exemplum, quum sit medium utrumque extremum respiciens; humilitas; oratio; lectio evangelii cum glossa et aliquo doctore pro captu et sui et auditorum; oratio cum meditatione; dispositio omnium et notatio, ubi forte magis quadrabunt, quae dicta sunt e suggestu.

Pronuntiatio: Gestus; sublatio vocis, hoc est aperta pronuntiatio atque ex corde locutio; quae inter concionandum occurrunt, nisi sit doctus et exercitatus, omittantur, praecipue si sint de re difficili, aut unde potius laedi quam aedificari possint auditores sive magistratus spiritualis vel civilis; non turbetur.

Post concionem: Oratio; reflexio et gratiarum actio; si quid item minus apposite dixit, id observet, ut posthac caveat.

[1] Monita haec breviora in forma tabellae composita edidit Antonius Possevinus S. J. in sua bibliotheca selecta de ratione studiorum tom. I. lib. V. c. 41. (Venetiis 1603 pag. 242). Sequentem notam ibidem adjecit celeberrimus editor: „Tabella haec Jacobi Lainez, praepositi generalis societatis nostrae, viri sane acerrimi judicii, saepe legatur a concionatoribus."

Digitized by Google

X.

Ex lectionibus de oratione.

Lectio 20.

Ut ostenderemus orationis excellentiam ex laudibus scripturae attulimus in praecedenti lectione[1] aliqua scripturae loca, quae mystice orationi applicata magnam explicant illius dignitatem. Nunc vero tres nobis scripturae sacrae auctoritates vel sententiae proponendae sunt, quibus oratio secundum literam sacrificium vocatur, luctamen Deum vincens et nuntius inter Deum et creaturam. Ex quibus omnibus patebit ejus excellentia, et via nobis sternetur ad explicandum modum, quo oratio facienda sit. quod quidem paulo post latius dicendum est.

Primus locus est Oseae: „Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba et convertimini ad Dominum et dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum.“[2] Dicitur inprimis hic peccator corruisse in iniquitate sua, non quidem locorum situ, sed quoad sui animi affectiones et mores; quia vere ex altissimo loco in infinitum cadit peccator, quando amorem Dei, qui summus est, in amorem creaturae confert, quae cum Deo comparata nihil omnino est in conspectu ejus. Jubetur deinde peccator tollere verba orationis. Nam quum indignum sit, in conspectu Dei vacuum apparere,[3] gratissimum Deo est, si quis in conspectu ejus apparens orationem ei ferventer offerat. Estque hic modus loquendi quasi diceret: Tollite veluti in sacco verba et orationem, sicut dicebat Jacob filiis suis: „Sumite de optimis terrae fructibus in vasis vestris, et deferte viro munera.“[4] Unde Beda ex hoc modo loquendi notat, quod oratio sit gratissimum Deo munus.

[1] In eodem codice ms., ex quo praesens lectio desumpta est, fol. 159.
[2] Os. 14. 2. 3.
[3] Eclus. 35. 6.
[4] Gen. 43, 11.

Digitized by Google

Tenor autem orandi sequentibus verbis praescribitur: „Omnem aufer iniquitatem et accipe bonum.“ Cujus sensus est: Aufer quaeso a me. Domine. superbiam. invidiam, simoniam et quodcunque peccatum aliud, quod in me tibi displicet, et hoc per misericordiam tuam penitus destruatur; id vero, quod in me est boni, naturae videlicet, quod ad tui imaginem et tuae capax beatitudinis sum creatus, id accipe quaeso, reforma et exorna per gratiam tuam. Haec namque duo facit Deus, quoties impium aliquem justificat. Observa, quod facere solet mercator prudens, qui si videt equum bonum, procerum, bonum pectus et costas et alia naturalia equorum ornamenta habentem, licet macilentus sit, magno eum emit pretio; non quod amet equi maceriem, sed quod exornare se posse putat, quae in illo pejora sunt, ut optimus equus fiat. Ita Deus si solum spectaret peccata nostra, nullo modo nos amplecteretur, juxta illud: „Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?“[1] Nunc vero has purgans et destruens respicit nos intuitu misericordiae suae, sicut „Dominus respexit Petrum,“ et ipse „flevit amare,“[2] et efficit, ut quod boni est in nobis, ab ipso probe exornetur et totus homo per gratiam gratissimus ipsi fiat.

Sequuntur postea verba: „Et reddemus vitulos labiorum nostrorum.“ Ad literam significat, quod omnes peccatores promittant, se pro holocausto et gratiarum actione reddituros Domino orationem sanctam; quamvis etiam per „vitulos labiorum“ intelligi possint vituli, quos antea promisissent se oblaturos Domino. Quasi diceretur: Justifica nos, Domine, et tum grata tibi erunt sacrificia nostra, quae divinae majestati tuae vovimus et persolvere desideramus. Sic enim dicitur in Psalmis: „Introibo in domum tuam, in holocaustis reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea.“[3] Item: „Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut aedificentur muri Jerusalem. Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta; tunc imponent super altare tuum vitulos.“[4] Quibus verbis significatur, opera in gratia facta summe Deo placere; quia non est verisimile, tunc universum populum Israel votum fecisse vitulos offerendi, ad quos tamen ibi communiter est sermo prophetae. Optime ergo per „vitulos labiorum“ intelligitur oratio, juxta illud: „Laudabo nomen Domini cum cantico et magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.“[5] Dicitur namque oratio esse „labiorum,“ quia labiis nostris efficitur[6] et pronuntiatur. „Vitulorum“ nuncupatur, quia conditiones habet boni vituli, in quo medullam, carnes, ossa, nervos, pellem et pilos invenies.

Inprimis medulla orationis est bona intentio, ut[7] pro ecclesia et aliis necessitatibus orans pure spectes Dei gloriam et animarum salutem, non autem commodum aut existimationem temporalem, ut multi

[1] Ps. 129, 3.
[2] Luc. 22. 61. 62.
[3] Ps. 65. 13. 14.
[4] Ps. 50, 20. 21.
[5] Ps. 68. 31. 32.
[6] Ms. *affirmatur*.
[7] Ms. *utrum*.

Digitized by Google

pessime faciunt, quum e contrario tanquam eleemosynae et veluti accidentalia quaedam accipienda sint terrena munera. Haec ergo intentio, quae secundum Dei voluntatem, orationem facit velut medullam ipsamque Deo gratissimam reddit qui in omnibus actionibus[1] nostris potissimam animi nostri intentionem spectat.

Ossa et nervi orationis sunt fortitudo illa qua maxime opus est in oratione. Existimant multi, otio torpere monachos et sacerdotes, quamquam plurimum laborant,[2] si recte secundum suum officium orationem facere studeant. quia contra occurrentes corporis distractiones et dolores, sensualitatem, repugnantiam et denique contra diaboli innumerabiles tentationes maxima opus est fortitudine. ut quis cum fructu in oratione perseveret. Qua quidem fortitudine quia carent nostri aulici, tam multa saepe sibi proponunt de oratione, confessione deque aliis piis operibus, quorum pauca aut nulla deinde exequuntur, si vel minimam patiuntur injuriam, dicentibus nonnullis, quod sunt phantastici, Theatini etc. Qui sane satis demonstrare videntur nequaquam se futuros constantes si abnegandus esset Christus vel martyrium subeundum. Sic namque dicit divus Paulus eos, qui jam propter Christi fidem bonis suis spoliati erant, ad majorem exhortans[3] constantiam: „Ne fatigemini, animis vestris deficientes; nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes "[4] Et sine dubio magna opus est fortitudine, ut spernamus impedimenta orationis et profectus spiritualis et superemus. Deinde dicitur: „Reddemus vitulos labiorum nostrorum."[5] Non immerito dixit David, orationem esse , vitulum novellum, cornua producentem et ungulas,"[6] ut jam citavimus. Ibi namque per cornua fortitudinem necessariam designat, per ungulas vero discretionem in oratione habendam.

Caro vero orationis est ipse verborum intellectus, ut quid ores, grammatice et quid significet intelligas. Magnus namque abusus est, quod sacerdotes multi, qui adolescentiam suam otiis et nugis transegerunt, ne grammatice quidem psalmos, missam et alias orationes et officia ecclesiastica intelligant[7] Etenim scriptum est: „Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est."[8] Ex ejus enim officio alios docere tenetur. Operam ergo dare deberent, ut saltem grammatice, et adhibito quodam interprete bono, secundum sensum psalmos et alia quae orant intelligant. In simplicibus non est hoc perinde necessarium. Sicut enim papa acceptat supplicationem latinam, quam offert ei aliquis ab alio compositam, licet ipse non intelligat latine. ut facere solent illi curiae sollicitatores,

[1] Ms. *intentionibus.*
[2] Ms. *laborare*
[3] Ms. *hortatur.*
[4] Hebr. 12. 3. 4.
[5] Verba *Deinde . . nostrorum* supplevimus; ms. hoc loco aliquid omisisse videtur.
[6] Ps. 68. 32.
[7] Ms. *intelligere.*
[8] Mal. 2, 7.

Digitized by Google

quia ex illa voluntatem et desiderium ipse literas sciens agnoscit, ita etiam Deus latinam orationem perfectissime intelligens etiam non intellectas simplicium preces, bona tamen intentione prolatas. acceptas habet et gratas.

Pellis orationis est distincta et bene articulata pronuntiatio verborum, quae sic ligat et astringit orationem sicut pellis animalis intestina et omnia, quae in illo sunt. Ceterum quia nemo potest distincte legere, qui non etiam intelligat quae legit, necessarium est, ut sacerdos coram aliis lecturus operam det intelligere et distincte pronuntiare orationes, quas Domino persolvit.

Pili orationis est ipse orationis strepitus sine ordine et intelligentia. Illi ergo qui prae inscitia ne legere quidem satis norunt, quae precantur, sacrificium macilentum Deo offerunt, excitantes solum verborum strepitus et sonum, quod faciendum non est.

Hinc ergo patet insignis laus orationis, quae sacrificium est acceptissimum in conspectu Domini, dummodo conditiones illas vituli habeat, quas jam diximus.

Secundus scripturae locus docet orationem esse luctam cum Deo, quae etiam ipsum Deum vincit. In Genesi enim scribitur, sanctum Jacobum redeuntem ex Mesopotamia traduxisse primum uxores, filios et alias sarcinas trans vadum Jaboc, et deinde permansisse solum [1] sine dubio, ut a sollicitudinibus expeditus per orationem luctaretur et vinceret Deum, ut etiam postea fecisse describitur.

Ubi primo discas ex ipsius patriarchae exemplo, eos etiam, qui matrimonio juncti sunt et mundi curis astricti, posse et debere servire Deo; quia iste vir sanctus quatuor habens uxores et plurimas substantias, etiam in procinctu peregrinationis constitutus aptum fixit tempus Deo vacandi. Porro quid sub lucta ista orationis intelligendum sit, pulcherrime nobis declarat Oseas de Jacob dicens: „In utero supplantavit fratrem suum, et in fortitudine sua directus est cum angelo; et invaluit ad angelum et confortatus est; flevit et rogavit eum, in Bethel invenit eum et ibi locutus est nobiscum."[2] Ubi nota, Oseam et alios prophetas interpretari solere quinque libros Moysis, sicut in epistolis suis apostoli evangelium interpretantur. Nota deinde illum angelum, qui luctabatur cum Jacob non fuisse veram substantiam Dei, quia Deus non accipit hominum corpora, quae luctari possunt; sed angelus erat in corpore aëreo suscepto; qui nihilominus Deus dicitur hic et alibi saepe, quia repraesentabat personam Dei, sicut vulgo dicimus fieri per dominum, quod ejus nomine vel servus procuratorve ipsius facit. Sic etiam dicebat angelus: „Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti"[3] Et simili modo alibi saepe loquitur. Sed ad explicationem auctoritatis veniamus. Illud „flevit et rogavit eum" potest uno sensu referri ad ipsum angelum victum, ut significetur, quod angelus contra

[1] Gen. 32, 22—24.
[2] Os. 12, 3. 4.
[3] Exod. 20, 2.

Digitized by Google

quem invaluit et confortatus est Jacob, fleverit et rogaverit eum, demonstrans quasi se victum esse, sicut puer quum in terram prostratus flens veniam implorat et se victum fatetur; ita metaphorice dicitur, angelum in terram prostratum et flevisse.[1]

Hoc quod sequitur: „In Bethel invenit eum et ibi locutus est nobiscum." ad eundem angelum pertinet et incarnationem Christi significat, qua incarnatus Dei filius in Jacob nobis etiam omnibus locutus est qui in carne nostra assumpta veluti luctatus est nobiscum, flendo, exorando omniaque alia opera pro nobis faciendo, ut aeternam salutem consequeremur. Formam namque servi suscepit Dei filius; super Jerusalem flevit, dum diceret: „Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi;"[2] ita ut merito dicat Isaias: „Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas."[3] In cruce deinde fortissime cum diabolo et morte luctatus est. Porro in Bethel i. e. in domo Dei inventus est Deus, quia humanitas Christi vere est templum Dei, quod dicebat ipse, si Judaei solverent in triduo reaedificandum; in quo „inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,"[4] ita ut in Christo Deum et omnem gratiam ac profectionem inveniamus et obtineamus. „Flevit et rogavit," videlicet angelus,[5] qui Dei vices gerebat. Ceterum non minus commode referri potest illud „flevit" ad Jacob, ut significetur ad literam, quod Jacob non solum corpore, sed multo magis vehementi animi affectu cum angelo per orationem lacrymosam luctatus sit et orando impetrarit; ut hinc intelligamus orationem esse luctam efficacissimam ad convincendum etiam ipsum Deum, si recte insistamus.

Quod sane fit, si luctantis conditiones in orando observemus.

Lucta conflictus duorum est, in quo unusquisque 1. quantum potest vires suas intendit, ut alterum vel dolo vel aperto marte vincat. Sic in oratione primo vires animi recte omnes intendere debemus, ut rogemus bene et impetremus, ad sapientis imitationem, qui dicebat: „Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiae, scire, cujus esset hoc donum, adii Dominum et deprecatus sum illum et dixi ex totis praecordiis meis etc."[6]

2. Conatur luctans supplantare hostem, summopere nitens, ut alterum pede detineat vel supplantare aut fluctuare faciat et prosternat. Sic cum Deo nobis agendum est in oratione. Etenim Deus habet pedes duos, justitiae divinae unum, alterum misericordiae. Justitiae pes peccatis nostris tanquam terrae infigitur. Si ergo vincere vis et ad te

[1] Sequuntur in ms. haec verba quae sensu carent: *Quod dicit . . . Quod nihil jam deerat, quia fleret et flendo herbam manusque victrici porrigere. Et sic* hoc quod

[2] Luc. 19, 42. [3] Is. 65, 2.

[4] Col. 2, 9.

[5] Ms.: *Prior iste Jesus est hic, ut* flevit et rogavit *pro nominativo habent* angelus. Quod quia sensu destituitur, supra correctum est.

[6] Sap 8, 21.

Digitized by Google

inflectere Deum, auferas peccata tua, et pes justitiae divinae non consistet, sublata terra cui infixa erat. Sicut sublato asino totum onus concidit, ita sublato isto justitiae pede facile Dei misericordiam ad quodcunque tuum desiderium inclinabis et vinces juxta illud divi Pauli: „Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae ejus, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno."[1]

3. Qui luctatur, vincere conatur ingerendo caput suum intra pedes adversarii, ut sic illum extollat super terram et magno impetu dejiciat. Ita erga Deum se gerit et eum in quodcunque bonum impetrandum inclinat, qui suscipit in humeris suis suavissimum jugum Christi, juxta illud: „Jnjice pedem tuum in compedes illius et in torques illius collum tuum; subjice humerum tuum et porta illam et ne acedieris vinculis ejus. In omni animo tuo accede ad illam et in omni virtute conserva vias ejus. Investiga illam et manifestabitur tibi, et continens factus ne derelinquas eam etc"[2]

4. Conatur luctans hostem superare levando a terra suum pedem et toto corporis impetu in adversarium se inclinando, ut illum opprimat et prosternat. Ad hunc modum vinces luctando Deum, si sublato altero tuo pede propriae fiduciae toto cordis affectu fiduciaque in Deum te conjicias, ut jam non confidas in tua scientia, fortitudine, habilitate vel dono aliquo alio, sed integre et solum in Domino Deo tuo. Etenim hoc nos docet mystice nervus ille Jacob, qui in lucta ab angelo tactus marcuit,[3] ut non confidamus propriis nostris viribus in conversatione cum Deo; alioquin sane mera fuisset superstitio, quod post hoc factum non comedunt Judaei nervum, nisi significatio aliqua mystica isti rei subesset. Hoc et directe docet David dicens: „Non veniat mihi pes superbiae et manus peccatoris non moveat me;" nam, ut sequitur, „ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare."[4] Id est, quod si peccator toto cordis affectu ad Deum recurrat, nunquam sane fraudabitur, quia, ut inquit David: „Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet; quum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam."[5] Habebit vero indubitatam victoriae spem, si usque ad finem constanter in hujusmodi fiducia quis speret, quantumvis magnus peccator fuerit, ut docet pulcherrimis his verbis divus Augustinus: Aperiebatur enim mihi . . continentia serena et non dissolute hilaris, quae dixit: „Tu non poteris, quod isti, quod istae? An vero isti et istae in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas et non stas? Projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet ut cadas, projice te securus, excipiet te et sanabit te."[6]

Quibus quidem verbis ingens praebetur in Deum confidentia omni-

[1] Hebr. 4, 16.
[2] Eclus. 6, 25.
[3] Gen 32, 25
[4] Ps. 35, 12. 13.
[5] Ps 36, 24.
[6] Confess. lib. 8. c. 11. Migne P. L. 32, 761.

Digitized by Google

bus hominibus. etiamsi magni sint peccatores, ut secure se in Dei misericordiam rejiciant. qui salus nostra, fortitudo et pax est, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Lectio 21.

Postquam ostendimus praecedenti lectione, luctam quandam spiritualem esse orationem, qua Deus ipse vincitur, nunc dec'arandum est, veluti in duello conflictari hominem cum Deo et ab homine ipsum Deum certo quodam modo superari Addemus deinde tertiam scripturae auctoritatem, qua declaratur orationis excellentia, quia nuntius quidam est inter Deum et hominem.

Quod orationis sanctae virtute non solum cum daemone sed etiam quodammodo cum ipso Deo duellum ineamus et in illo etiam superemus, satis declarant verba psalmi: „Qui docet manus meas ad praelium; et posuisti ut arcum aereum brachia mea,“[1] quod quidem aliqui de oratione interpretantur. Nam quum antiqui patres expansis brachiis in arcus modum se habentes orationem facerent, significare vult propheta, brachia sua ad orationem faciendam non esse carnea, quae facile lassantur. sicuti de Moyse legitur, quod ipsius brachia quum oravit lapidibus suppositis sustentabantur,[2] sed ferrea omnino et non secus ac si aerea essent.

Ceterum ut modum intelligas, quo vincere possis fortissimum Dominum Deum exercituum contra te in duello stantem. arma illius agnosce, ut illis eum exuens victor evadas. Judicaturus Dominus homines armatus introducitur in libro Sapientiae: „Induet,“ inquit, „pro thorace justitiam. et accipiet pro galea judicium certum; sumet scutum inexpugnabile aequitatem; acuet autem duram iram in lanceam.“[3]

Quum pro thorace dicitur Deus indui[4] justitia, significatur, quod in corde sive voluntate sua perfectissimam habeat justitiam, quam sine personarum acceptione unicuique reddit prout meretur; quia thorax pectus tangit, in quo cor constitutum est. Et simul etiam docentur omnes, qui judicis vel superioris officium gerunt, quod inviolabilem debeant habere voluntatem et propositum, juste unicuique quod suum est reddendi, alioquin abusus istos pessimos, quos quotidie tot et tantos videmus, difficile vitabimus. Dicitur deinde Deus pro galea habere judicium certum, quia in intellectu suo perfectissimam habet omnium rerum sapientiam et cognitionem, ut nullis falsis testibus. allegationibus vel fraudibus decipi queat, quin quod certum est judicet. Galea namque caput tegit, in quo peculiariter constituitur intellectus, juxta illud: „Audi. fili mi. disciplinam patris tui et ne dimittas legem matris tuae, et addatur gratia capiti tuo et torques collo tuo.“[5] Ad Dei enim si-

[1] Ps. 17, 35.
[2] Exod. 17 12.
[3] Sap. 5. 19—21.
[4] Ms *tuus*.
[5] Prov. 1. 8. 9.

Digitized by Google

militudinem non sufficit[1] ad recte judicandum et praesidendum aliis, si quis desiderium habet recte judicandi; quia si certum desit judicium et scientia, quid et quomodo fieri debeat, fallet et falletur saepius. „Dum caecus caecum ducit, ambo in foveam cadunt."[2] Dicitur deinde Deus pro scuto habere aequitatem, quia sicut justissimus est, severitatem tamen extremae illius suae justitiae misericordia motus mitigat,[3] juxta illud: „Justus Dominus et justitias dilexit, aequitatem vidit vultus ejus;"[4] etenim aequitas, ut ex Aristotele et aliis philosophis constat veluti remissio est quaedam illius extremi et summi juris. Alia versio legit pro „aequitate" „sanctitatem," qualem maximam in Deo esse certo scimus. Docentur vero omnes judices et superiores, tantam se debere habere aequitatem, ut nullus subditus licet malus et perversus in faciem ipsorum perpetrare possit peccatum aliquod grave, quod vel scandalum sit vel mortale. „Duram iram pro lancea" dicitur habere Deus, quod exactissimum executorem illum justitiae significat. Hoc etiam in judice et superiore summopere est necessarium.

Sed dices, si hujusmodi armis prodit in duellum fortissimus Deus exercituum, quis tandem hominum valeat tantae potentiae resistere? Certe oratio sancta debito modo facta non solum resistit,[5] sed haec arma etiam de manibus Dei aufert ipsumque vincit et superat

Inprimis justitiam Dei contra te tollis, te humiliando in oratione et juste dijudicando, peccata tua plangendo et de eis debitam poenitentiam faciendo. Dura sane res est, quae damnatis maximum affert[6] cruciatum et nos merito pudefacere debet. Quotidie nos Deum offendimus mille modis, qui tamen adeo benignus est, ut paratus sit omnes nostras culpas dimittere, si certo judicio contra nos ipsos dijudicemus nostrumque agnoscentes reatum[7] poenitentiam faciamus; non secus ac si pontifex multis offensus omnia vellet subito condonare, mox ubi se offensor peccasse agnoscet et poena se dignum judicaret. Si ergo Dei contra nos justitiam flectere volumus, judicemus juste peccata nostra et causam nostram, juxta illud: „Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum."[8] Id autem fiet, si ex animo cum Daniele dicamus: „Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei."[9]

Eodem modo certum judicium Dei tollis tuo, si contra ipsum hoc statuas, quod per peccata meruisti. Si insuper mansuetudinem adhibeas, iram vindicativam ex manibus ipsi Deo excuties. Nam responsio „mollis frangit iram."[10] Simili modo aequitatem Dei tua aequitate erga te inflectes, ut non tam noceat quam prosit. Si ergo dijudicando teipsum per humilitatem veram aliasque virtutes in oratione ad Deum

[1] Ms. *sufficere.*
[2] Mat. 15, 14.
[3] Ms. *interimit.*
[4] Ps. 10, 8.
[5] Ms. *non resistit.*
[6] Ms. *aufert*
[7] Deest in ms.
[8] Ps 57, 2.
[9] Dan. 9, 7.
[10] Prov. 15, 1.

Digitized by Google

recurris,[1] ipsemet Deus duello quodam fortissimo vincetur Sic namque sponsus victus se fatetur a sponsa: „Vulnerasti cor meum," inquiens „soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum,"[2] id est vera fide et recta operum tuorum intentione, quae animae nostrae oculus est, „et in uno crine colli tui," id est in vera et perfecta obedientia, quia per crines facile trahis homines quocunque velis. Hoc sane utile est et gloriosum duellum.

O Romani, non intelligitis illud? Miseri[3] homines, minima quapiam re ad iracundiam provocati, in particulare certamen vocare sese invicem solent, praecipue hic Romae Non aliter enim se homines trucidant, quam si bubali essent. Ad quod tamen plurimi etiam alii miserrimi tanquam ad solemne quoddam spectaculum occurrunt. Maximum sane hoc peccatum est, quandoquidem hic ludus in illorum successit loco, qui olim apud Romanos gladiatores fuerunt,[4] qui spectante populo intra se solebant conflictari et ad populi principumque delectationem mutuis se vulneribus conficere. Qui sane ludus usque adeo displicebat Deo ut tempore Honorii optimum quendam eremitam occidi permiserit, qui in furentem populum se ingerens dissuadere conabatur hujusmodi miserias.[5] Nam et Deus illi oranti antea promiserat, quod Romam pergens ludos istos tolleret. Isto ergo eremita contra omnem justitiam occiso. jussit Honorius imperator, ne unquam in posterum Romae tales ludi exhiberentur, sicut diserte narratur in Historia tripartita.[6] Unde disces. gloriosam hunc eremitam mortem sortitum et nequaquam suo desiderio defraudatum. Nam quum semel mori debuisset, in magnam totius reipublicae utilitatem eo est mortuus modo, ut tantus abusus tolleretur. Quapropter nostri temporis[7] abusus merito nobis displicere debent; quia potius, injuria aliqua lacessiti ad Deum recurrere deberemus. Si enim ipse a nobis se vinci permittit injuriam omnem condonando, si humiliemur sub potenti ejus manu[8], quanto magis nos non tam duello quam misericordia et benigna remissione inimicos nostros, aut quos inimicos censemus, suscipere debemus.

Hujus rei exemplum insigne est, quod aliquando intellexi. Duo erant nobiles, qui graves et capitales intra se exercebant inimicitias. Uterque hac de causa multos domi alebat milites, ut se ulcisceretur et defenderet. Alter vero vehementer cruciabatur quotidie ab illis, quos domi habebat Quae vexatio in tantum crevit, ut taedio affectus, de ipsis se expedire volens, suum illum adversarium accerseret. Ecce, inquit, domine mi, tu nobilis es atque discretus; tu dicis, me injustam habere causam; et ego idem existimo de te; quidquid sit, ecce ego in manibus tuis sum, fac quod placet de me; malui ego semel ad tuum libitum

[1] Ms. *recurrendo*.
[2] Cant. 4, 9.
[3] Ms *Quo miseri*.
[4] Deest in ms.
[5] Nomen hujus monachi fuit Telemachus.
[6] L. X. c 2. Migne P. L 69, 1164.
[7] Ms. *nostris temporibus*.
[8] Ms *Sicut*.
[9] I. Pet. 5, 6.

Digitized by Google

mulctari, qui homo discretus es, quam quotidie indigna pati ab istis nebulonibus, quos hujus inimicitiae gratia domi alo. Quid multis? Istis permotus est adversarius verbis adeo, ut uterque sibi invicem noxam condonarent moxque boni amici efficerentur. Quod est christiani opus, et ita facere necesse est. In secunda parte reliqua videbimus.

Secunda pars.

In[1] *medio lectionis exhortatus est populum ad eleemosynam, dicens, illam dici justitiam in scriptura sancta, quia quum dicat Dominus: „Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, mox subjunxit: „Quum ergo facis eleemosynam“*[2] *intelligit justitiam esse eleemosynam.*[3] *Et merito sane, quia qui eleemosynam dat, illud alteri dat, quod superfluum est illi. Indigentibus necessario erogandum. praecipue his temporibus, quia propterea isti tam multa donavit Deus, ut aliis esset misericors. Vide quaeso quantum grata Deo sit eleemosyna. Nam in ea*[4] *omnia illa munera sunt, quae hodie obtulerunt Jesu tres magi; myrrha inprimis, quia sicut myrrha conservat corpora, quae alioquin putrescerent, sic eleemosyna pauperum vitam sustentat et corpora, quae alioquin erant peritura; thus, quia quum eleemosynam accipit pauper, vehementer incitatur ad Deum laudandum et orandum pro te, oratio vero incensum est in conspectu Domini juxta illud: „Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium respertinum;“*[5] *quinimo et aurum, quod propter suum fulgorem sapientiam significat; vera enim sapientia christiani est, Deum et ejus providentiam agnoscere; incipit autem hunc cognoscere clarius pauper quam ante, quia quum erat de corporali sustentatione sollicitus, per eleemosynam tuam agnoscit, omnia suaviter a Deo disponi et nullum ab eo relinqui, qui in eo fiducialiter sperat etc*

Ultima scripturae auctoritas, quae orationis dignitatem explicat, est, quae ostendit illam esse veluti nuntium inter Deum et hominem. Legitur enim: „Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet non consolabitur, et non discedet donec Altissimus aspiciat.“[6] Sensus est: Adeo efficax est oratio et nubes penetrans, ut non quiescat, donec ipsa pertingat ad divinam majestatem; inde vero non discedit, donec benignum et placatum vultum Dei obtineat. Similitudo sumpta est ab eo, qui omnino contendit obtinere aliquam gratiam a papa vel illum videre; qui per medium contendit populum animo indefesso. et postquam in conspectu papae est, omnino satagit, ut vultum benignum vel munus aliquod accipiat, necessitatem et negotia sua exponens.

[1] Sic pergit ms. [2] Mat. 6, 1. 2.
[3] *Justitiam . . eleemosynam* deest in ms.
[4] *In ea* supplevimus. [5] Ps. 140, 2.
[6] Eclus. 35, 21.

Digitized by Google

Quum vero nuntius dicatur oratio, easdem conditiones necesse est habeat, quas in nuntio esse scimus.

Debet nuntius, quando ad aliquem principem venit vel in itinere est, gratiam habere et prudentiam sive sapientiam. Hae namque si deficiunt, facile spoliatur, occiditur aut vulneratur in itinere, et postquam ad principem devenit, non efficiet quod habuit in mandatis. Opus est ergo inprimis divina gratia ad orationem nostram, ne in itinere aliquid patiatur. Spoliabitur enim oratio nostra in itinere, si de Deo cogitare volentes ad vana et inutilia cogitanda convertamur. Vulneramur, si propter hujusmodi occurrentes occupationes in multa absque recta ratione feramur, in quibus venialiter peccamus. Denique occidimur in itinere, quando non solum veniali sed etiam mortali alicui peccato consentiamus. Ab his ergo per Dei gratiam cavendum est.

Ad quae deinde accedere debet sapientia, quae viam rectam docet ad Deum, ne, dum ad coelum ascendimus, ad terrena et vilia deflectamus. Jam vero coram ipso Deo opus est gratia, ut accepta fiat oratio tua, ne nuntius per ullum peccatum mortale sit veluti excommunicatus coram illo accedere. Ut ergo oratio tua sit bonus nuntius, procuranda inprimis est peccatorum remissio per poenitentiam, juxta illud: „Claudus pedibus et iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum,“[1] quia iste verba et sententiam adulterans[2] causam deteriorem reddit. Porro stulta est oratio tua, quando non intelligis merita et demerita sive pericula causae, quando item non attendis amicos sive inimicos tuos; nam negotio cuilibet ineptos illos judicamus, qui haec ignorant. Inprimis ergo scias oportet, quod inimici orationis duplices sunt: peccata propria, quae omnino fortitudine spiritus destruenda sunt, si succedere debet[3] oratio; quod quidem fiet, si voluntatem propriam et malam, qua illa innituntur[4] subtrahas; hac namque sublata cadent illa. Alterius generis inimici sunt proximi, qui non destruendi sed conciliandi sunt, antequam possit oratio tua valere. Amici orationis et causae tuae sunt beati omnes et boni homines, quos concilias tibi obsequiis ut causam tuam coram Deo velint promovere; sic namque vides illum patronos undique advocare, qui negotium aliquod transigere conatur.

Quando jam inimicos tuos vel destruxisti vel reconciliasti, et bene propitios habes amicos et procuratores bonos, nihil nocebit, imo juvabit plurimum ad impetrandum quod desideras, si Deo munus aliquod offeras, sicuti homines saeculares regibus et magnatibus facere solent.

Erit sane gratissimum Deo, si cum tribus magis ad praesepe Domini Jesu ab oriente venientibus aurum, thus et myrrham offers.[5] Offerebant illi, teste Ambrosio, Tertulliano, Cyrillo Irenaeo et aliis doctoribus, haec tria duplici de causa; primo quia ab initio semper obser-

[1] Prov. 26, 6.
[2] Ms. *numerans*.
[3] Ms. *succedet*.
[4] Ms. *quibus illa innititur*.
[5] Ms. *offerentibus*

Digitized by Google

vatum fuit, ut qui Deum vel principem aliquem magnum accederet, de optimis, quae possidebat, offerret. Sic etiam filiis suis in Aegyptum pergentibus dicebat Jacob: „Sumite de optimis terrae fructibus in vasis vestris et deferte viro munera.“[1] Deus vero benedictus adeo benignus est, ut etiam grata habeat pro muneribus illa, quae nos habemus optima. Sic enim legitur: „Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino,“[2] quod dicit: Quum non potestis Deo offerre munera, quae celsitudo ejus requirit, offerte saltem illi meliora vestra, sicut principi et duci vestro facere soletis. Magi ergo isti ab oriente venientes optima terrae suae munera obtulerunt, aurum et odores, myrrham et thus. Nam „fortitudo Damasci,“[3] quae in oriente est, aurum est et odores, ut dicit Tertullianus. — Secunda ratio fuit, quia his ipsis donis significabant suam fidem et promissionem, quam de Christo habebant. Solebant enim antiqui non solum verbis, sed etiam rebus ipsis animi sui conceptus significare. Sic Aegyptii offerre solebant Deo suo oculos et aures diversae materiae, ut testatur Clemens Alexandrinus, quibus significabant, quod Deus tanquam videns et audiens omnia summam habet rerum omnium providentiam. Sic quoque idem scribit de bello inter Darium et regem Aegypti, quod Darius per nuntium misit aurum, loricam, ranam, avem, sagittam, aratrum, nihil prorsus verbis nuntians; quae quid significent alii aliter interpretantur.[4]

Sic[5] ergo sapientes isti per se auro isto, thure et myrrha, quae offerebant, in Christo et confitebantur veram divinitatem, animam et corpus, humanitatem, regnum sive divinitatem; juxta illud: „Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Caput ejus aurum optimum,“[6] quod dicit: Sponsus et dilectus meus, Christus, candidus est moribus et innocentia vitae et mortis passione rubicundus, et quod optimum in ipso est, divinitas est; „namque caput Christi, Deus.“[7] Thus deinde animam Christi significat, juxta illud „Quae est ista, quae ascendit per desertum quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii?“[8] Etenim benedicta illa Christi anima omnibus omnium gratiarum et virtutum donis scaturiebat et Trinitati sanctissimae gratissima erat. Myrrha denique significabat, quod corpus Christi ab omni semper corruptione alienum fuit, juxta illud: „Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem,“[9] quod sanctus Petrus de Christi humanitate interpretatur.[10] Eodem modo myrrha humanitatem Christi significabat, aurum regnum, thus divinitatem, sicuti cantat ecclesia.

[1] Gen. 43, 11. [2] Mal. 1, 14.
[3] Is. 8, 4.
[4] His ultimis verbis abbreviamus ea quae manuscriptum satis corrupta de sensu dictorum donorum habet.
[5] Ms. *si*. [6] Cant. 5, 10.
[7] I. Cor. 2, 3. [8] Cant. 3, 6.
[9] Ps. 15, 10. [10] Act. 2, 31.

Digitized by Google

Ad horum imitationem nos quoque gratissima offeramus munera, aurum nempe fidei et sapientiae sanctae, thus sive incensum orationis, myrrham mortificationis; aurum substantiae temporalis ad honorem ejus libenter impendamus, thus honorum saecularium et existimationis ei offeramus, et denique myrrham totius curae corporis et animi nostri ad Dei voluntatem expendamus.

His muneribus si ad Deum accedamus, non dubium, quin oratio nostra boni nuntii officia exerceat, et facile impetremus quodcunque desideramus ad animae nostrae salutem et Dei optimi maximi gloriam, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Specimina diversa ex aliis lectionibus de oratione.

Lectionis primae exordium.

Finiremo con la gratia del Signore quella clausula cominciata, dove diceva s. Luca (Act. 2, 42): „Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus.“

Si suol dire che habbiamo bisogno di dui cose, cioè de consiglio et agiuto. De la dottrina pigliamo consiglio, et li remedii de la communione et oratione. De la dottrina et communione havemo già detto. Resta, che parliamo della oratione. Della quale hogi comminciaremo a ragionare con la gratia del Signore.

La intentione del canto mio saria de far profitto prima in me, perchè sempre in questo exercitio si puo crescere, et poi procurare che voi faciate il medesimo. Nè per altro si è parlato della parola di Dio et della communione, se non per esortarvi a quelle medesime cose. A questo medesimo effetto dunque parlaremo hora della sancta oratione. La quale havete da sapere, che non la impararemo mai se non la mettiamo in pratica. Questo conobbe anchora Aristotele dicendo delle scientie speculative: „Si fermano et hanno il suo fine nel sapere et speculare; ma ne le scientie pratiche, se non si viene alla pratica, tutte le fatiche sono perdute.“ Et più presto noceno, quia servus sciens voluntatem domini sui et non faciens vapulabit multis. (Cf. Luc. 12, 47.)

Di modo chè parlando della oratione bisogna insieme orare, se la volemo imparare, sicome il putto per imparar a caminare, bisogno che spesso camini et alcuna volta caschi et poi si rizzi, infino chè ha imparato molto bene ad andare. Così noi, se volemo imparare la oratione mettiamola in pratica, et insieme imprendaremo la scientia et la pratica. Della quale oratione dice un santo padre Isaac, che è un schola che ci insegna a parlar con Dio, et quando ci parla la ragione Dio (sic) e alla quale quando si repugna, si repugna a Dio. Dice s. Agustino in una epistola 112. a Paulina parlando del modo de veder Dio in excessu mentis: „Qui autem hoc non potest, oret et agat, ut posse mereatur, nec ad hominem disputatorem pulset, ut quod non legit legat,

Digitized by Google

sed ad Deum Salvatorem, ut quod non valet valeat."[1] Tu non puoi, va a Dio, et quello che non puoi potrai.

Per venire dunque al punto del trattar della oratione, cinque cose pensava proporvi,

1. che cosa è oratione;
2. come excellente cosa sia l' oratione;
3. a che modo si deve fare;
4. che remedii ci sono per saper et poter ben farla;
5. darvi esempii, per li quali più facilmente s' intendi la dottrina della oratione.

La prima cosa ci servirà chè l' intenderemo meglio La seconda servirà ad inclinar la voluntà nostra ad orare. Perchè acciochè sapiate, per questo effetto si dicono et raccontano le lode della virtù, et non per rettoricare, ma per inclinar la voluntà a l' amor di quelle e per questo bisogna saperla fare; al che servirà come si è detto la terza cosa. Ma perchè molti sanno et non fanno, perchè non possono, per questo sarà buono de trovar delli rimedii per poterla ben fare; al che servirà la quarta cosa. Et poi per raccorre il frutto del tutto daremo alcuni esempii accommodati; il che si farà nella quinta cosa.

Quanto al primo, che cosa sia oratione, è da sapere che alcuni dicono. che si piglia in tre modi et così bisognarebbe dare tre definitioni. La prima si piglia largo modo et vuol dire ogni operatione buona, che si fa, et a questo modo si magna, si beve, si dorme, si fa limosine a gloria di Dio; et finalmente qualunque opera buona fai, sarà oratione. Et questi tali si fondano in alcuni lochi; quando si dice nel Ecclesiastico a capo 18 (v 22) „Non impediaris orare semper et ne verearis usque ad mortem justificari" . . che dicano che s' intende far bene sempre infino alla morte. Così quel de Esaia capo 62 (v. 6) „Super muros tuos Jerusalem constitui custodes; tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt" . . Così intendano quello di San Luca a capo 18 (v. 1): „Oportet semper orare et non deficere"; così quello di Paulo I. ad Thessal. capo 5 (v 17) „Sine intermissione orate". Et a questo modo ogni operatione che piace a Iddio si chiamarà oratione etc. . . Eccovi dunque il primo modo de oratione secondo l' opinione di questi.

Ma che diremo quà? È proprio modo questo de oratione? No.

Ne in la scrittura bene intesa si chiama questo propriamente orare. Et che ciò sia vero, li lochi allegati questo non concludeno. Perchè quando dice: „Oportet semper orare et non deficere", non parla del far bene ma del orare. Il chè si dechiara per quello che seguita del giudice cattivo et ingiusto et della vedova, la quale lo pregava, che la vendicasse del suo avversario, et non volendo per molto tempo farlo fu tanto importuna pregando et ripregando, che final-

[1] Haec epistola olim n. 112 nunc numeratur 147. Locus invenitur in cap. 12. Migne P. L. 33, 610.

Digitized by Google

mente per importunità ottenne Ecco quà, che costei niente operava, ma solo pregava. Per il che è chiaro che non s' intende del operare bene.

Ma sapete come sempre si ora?

Quando a li tempi suoi si ora. Et in quello che si dice *sempre* è una figura hyperbole; come se si dicesse v. g.: In Alemagna tutta la notte le sentinelle vegliano et quando suona la campana c' è una guardia che sempre grida, non s' intende che sempre gridi, ma alle hore che deve. A questo modo il religioso dicendo le sette hore, ed il maritato che la mattina ora et ogni mattina et ogni sera, si dice che sempre ora. Et così l' intendono li doctori ne li luoghi sopra allegati.

Donque lassamo questo modo de oratione, che non è proprio, et pigliamo li altri dui.

Penso adonque, che orare si può intendere in dui modi, et in questo conveniremo con (il) grammatico, il quale intende questo nome de oratione in dui modi, in un modo largamento pigliando orare per parlare; così Cicero in Bruto de oratore: „Oratione beneficus est qui verbis multa pollicetur;" sic orare causam et dicere causam idem est. In un altro modo lo pigliano più strettamente et allhora orare vuol dire rogare, petere, domandare.

Che fa il theologo? Ci serve di questi dui modi del grammatico, et intende nel primo modo largamente, nel secondo strettamente.

Primo modo intende (il grammatico) indifferentemente ogni sorte di parlare; così questo intende ogni parlare religioso, che si fa con Dio, o sia pregare, o ringratiare, o lodare, o altra cosa simile. Quello nel secondo modo intende pregare; et questo intende pregare Dio. Et così l' una oratione è specie de l' altra.

Hora vediamolo nella scrittura; et prima, come si piglia per ogni ragionar con Iddio. . . Havemo del primo modo quando si dice del Signor: „Erat pernoctans in oratione Dei" (Luc. 6, 12). Certo è che il Signor non sempre domandava, ma alcuna volta lodava, alcuna volta ringratiava. . .

Et tu medesimo si vai nanzi a l' altare a laudare et ringratiare Iddio, ognun dirà che fai oratione, et così nelle hore canoniche non sempre ci domanda. Ita Paulus ad Philipp. 4 (v. 6) „In omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum." Ita justus in oratione „confitebitur Domino."

Dico *parlare religiosamente con Dio;* perchè se tu parli con Dio con biasteme, chiaro è che non fai oratione ma tutto il contrario, provocando Dio, come odii hieri un putto; gran culpa certamente de li padri et matri, et anche delli maestri di scola, li quali ne tengon tanto poco conto, che se falla il putto contro le regole di Donato, lo batteno, se falla contra la legge di Dio, non ve fa parola.

Donque far oratione primo modo s' intende in qualunque modo religiosamente parlar con Dio o laudando o ringratiando o domandando con la mente o con la voce o con la contemplatione. C' è un altro modo

Digitized by Google

di far oratione più stretto et è il secondo, et questo è domandar a Dio etc. . .

Ex oratione interposita lectioni 23.

. . Staranno alla porta alcuni homini da bene. Dateli bona limosina, perchè loro la distribuiscano bene. Vanno per Roma, vedano et sanno, che quel povero homo si more di fame et quel altro; a chi danno un giulio, a chi tre, a chi quattro, a chi sei, secondo il bisogno, et così quelli poverelli hanno occasione di respirar et ringraziar Dio. Fate limosina hora, che ce n'è bisogno. Perchè per dire il vero, quando vo per Roma et vedo in questa piazza, che si vende il pane, et par che li homini si fanno ammazzar per comprare un poco di pane, et il medesimo vedo in quella et quel altra piazza. Et finalmente quando vedo et vedo non trovo abondantia di altro che de fango et loto; et mi penso che Dio lo faccia, poichè vede che nel anima nostra non ci è altro che fango et loto . . . Ci manda donque Dio la povertà, la miseria, diluvii et tribulationi, acciò buttiamo via il loto del anima. Et come? Oltre l'oratione, digiuni, confessione, gran rimedio di deporre ogni imperfettione et peccato è la eleemosyna etc. . .

Ex simili oratione interjecta lectioni 25.

Vi ho da raccomandare l'ospitale delli incurabili. Già vi ho detto, che ha infinite spese, perchè per la umidità del tempo non ponno stare in una sola stanza, et multiplicando le stanze bisogna necessariamente più ministri, più salarii, più spese; si chè crescono le spese et li bisogni. La carestia è grande. Et oltra di questo per li peccati nostri manca anche la charità. Perchè dicano li ricchi: Io comparo il pane; quando faceva il pane in casa, lo dava; hora non posso. Et quando la vorai dare, se non lo dai hora che è il tempo? Per l'amor de Dio, il quale è liberale, già vedeamo il bon tempo et speramo sarà bona ricolta. Per gratia del Signore, non vi sparagnate! Perchè se al giocatore gli basta l'animo pigliar danari in presto per giocare, se al prete li basta l'animo pigliar danari a cambio et ad interesse per assicurarsi de il suo beneficio, per far simonie et mille altri peccati, perchè non haverete ardire dar un poco de eleemosina per assicurarvi in cielo la vostra anima in aeternum? Fretto, fretto! Perchè vene prego per la passione de Jesu Christo etc. . .

Finis ultimae (30.) lectionis.

La legge de Dio vole in certi articoli che pregamo . . La lege positiva dice anchora lei questo . . et per questa lege siamo obligati a far oratione prima le feste . . ancora siamo obligati quando li superiori ci commandano, v. g. vede sua Santità pericole de guerra, de peste o de altre male cose; che fa inspirato dal Spirito sancto? Ci commanda il digiuno . . Habbiamo il concilio Toletano et il Remense IV., che dovemo saper il Pater noster et Ave Maria. Ma che accade? Che

Digitized by Google

molti non lo sanno, et lo masticano di modo chè dicano ogni altra cosa che quella.

Quando anche siamo obligati a pregar per questa lege? Saì quando? Li sacerdoti che pigliano et hanno ordine sacro o qualche beneficio. tanto si hanno quanto se no (sic), son obligati a dire il suo officio sotto pena che si non dicano le hore canoniche pro rata ha da restituire li frutti. Così dice il concilio . . Che più? Li religiosi professi, se ben non hanno (ordine sacro). Perchè, vedete, perchè questi nostri hanno la sua cella, il mangiare, il vestire, la commodità di bona compagnia, si non perchè faccino oratione? Perchè se non la fanno, robano la eleemosyna, che magnano. . .

Ma qual (oratione) è più perfetta ceteris paribus? Quella ch' è obligata più che quella che è libera; se ben par ad alcuni il contrario.

Perchè chi fa peggio lassandola? Quello che è obligato. Se è donque contraria a cosa più cattiva, è megliore. Et poi credi tu, che Dio benedetto sia più inclinato a castigar che a remunerare? Non già. Donque se più punisce quelli, che sono obligati, se la lassono, perchè non voi, che anche molto più li remuneri? C' è un altra ragione, perchè quello che fa oratione per obligo, da il frutto e l' arbor a Dio, quello che non è obligato, li da il frutto solo. Non è più dar l' arbor et il frutto? Sì senza dubio. Quello che si obliga, da la persona sua, la voluntà et ogni cosa. Quel altro non fa così, ma solo li da il frutto.

Dipoi ci è questo, che quanto la mente è più ferma, tanto è più grata a Dio. Chi è più fermo? Quello chi è obligato. Perchè, dimmi un poco, quando sta più ferma la porta, quando solo è mandata là, o vero quando ci è posto il catenaccio? Senza dubio quando ci è il catenaccio; perchè senza quello ognuno facilmente aprirà; con quello non potrà far questo, se non li apre uno di dentro. Chi non è obligato, è come la porta solo mandata là senza catenaccio. Tu sta a dir l' offitio; viene un compagno: e che voi fare. viene andamo un poco a giocar, andamo un poco a spasso; et tu perchè non sei obligato più che tanto. subito ti lassi menare dove quello vuole. Ma chi è obligato — se però vuol far il debito suo — se bene è chiamato, dice: Non voglio venire, perchè son obligato a dir il mio officio.

Ma che accade? Che l' officio da molti si dica con gran negligentia, et le altre oratione et divotione straordinarie con gran diligentia.

Et questi fanno a la roverscia. Perchè quello a che sono obligati et che è più, lo masticano presto, et al altro a che non son obligati servano tutta la divotione. Perchè non attendi donque prima a quello che sei obligato et poi alle altre, si vuoi?

Così interviene del Pater nostro. Il quale perchè lo sapemo alla mente, come l' Ave Maria, sempre lo dicemo masticando et barbottando, solo facendo strepito di parole et non pensamo niente a quello che diciamo. Non fa così, ma fermati in quelle parole, che son piene di succo. Vedi quello che fece San Francesco, che andando per viaggio

Digitized by Google

et passando presso ad una chiesa disse al suo compagno: Fermiamoci quì a dir una Ave Maria. Vanno et si ferma un hora. Come furon usciti, disse il suo compagno a San Francesco: Voi dicevate, che non volevate dir se non una Ave Maria, et io ho detto tre corone. Rispose San Francesco et disse: In verità che io non n' ho detto più d' una Ave Maria, anzi non l' ho finita.

Consideralo donque e di: Io dico Pater, che vol dire padre de tutti li christiani, et come li son figliolo io, che ho il mio fratello inimico? Donque pensalo bene, et di un Pater nostro ben pensato et con divotione, che sarà meglio che dire molte altre divotione alla balorda et più Dio l' esaudirà.

Et questo basti per hora fin qui della oratione. Restavan dui altri punti de quella, li quali piacendo a Dio li diremo un altra volta; per hora circa di questo farem pausa.

Digitized by Google

Index nominum

utriusque voluminis.[1])

A.

Abraham II. 168.
Albertus Magnus B. 135. 315.
Albertus V. Bavariae dux II. 14*. 25*. 68.
Albigensis ep. v. Cigada card.
Aleander Hier. archiep. II. 64*.
Alexander Halensis 289. 355. 368. II. 44.
Alexander II. papa 81. 109. 179. 358.
Alexander III. papa 52. 270. 271. 313. 326. 335. 359. II. 114.
Allifiensis ep v. Nogueras.
Almansa de, Didacus Enriquez, ep. Coriensis 415. 444.
Alphonsus Abulensis 139.
Alphonsus de Castro II. 385. 399.
Altemps Sit. card. 95*.
Alvarez a Vosmediano ep. Accitanus vel Guadicensis (Guadix) 66*. 441.
Amani, Joh. Paulus, ep. Anglonensis 431.
Ambrosius S. 12. 87. 91. 160. 176. 180. 194. 231. 232. 278. 357. II. 349. 358.
Ambrosius Camaldulensis 192.
Amulius card. 438. 448.
Anacletus I. papa S. 3. 44. 78. 80. 85. 90. 113. 203. II. 76. 378.
Anastasius II. S. papa 233. 351.
Andreae Joh. II. 373.
Andries J. B. 58*.
Angelus de Clavas II. 385. 387. 389. 390.
Anglonensis ep. v. Amani J. P.
Anicetus papa S. 80. 116. 265.
Antherus papa S. 264. II. 76.
Antibarensis ep. v. Bruni.
Antinori 430.
Antoninus a Corduba II. 133.
Antonius archiep. Florent. S. 137.
Antonius rex Navarrae 444. II. 46*.
Apollonius de Montano II. 335.
Aquaviva Claud. gen. 54*.
Aquilejensis ptcha v. Barbaro D.
Aragon de, Barth. Seb., ep. Pactensis (Patti) 444.

[1]) Ubi numerus tomi indicatus non est, tomus primus intelligitur.

Digitized by Google

Arco P. II. 10*.
Aristoteles 8. II. 289. 470.
Atestinus Al. card. Ferrar. Galliarum protector 432. 454.
Athanasius S. 5. 333. II. 89. 92. 337.
Augustana pax II. 21*.
Augustinus S. 5. 12. 14. 17. 18. 30. 53. 54. 67. 89. 113. 163. 177. 180. 196. 225. 259. 311. 334. 353. 358. II. 39. 189. 349. 457. 509.
Augustin Antonius ep. Leridensis 488.
Auriensis ep. v. Blancus.
Aussera vide Babou.
Auxerre v. Babou.
Avalos d', Ferd. Franc., marchio Pescariensis, gubernator Mediolani, legatus Philippi II. apud concilium 433. 436.
Avila, Ludovicus de, delegatus a Philippo II. ad s. sedem 510.
Ayala Perez, Martinus 35*. 62*. 399. 428. 429. 447.

B.

Babou Philibert., card. de la Bourdaisière, ep Antissiodorensis 448.
Badia Th. II. 64*.
Baldus de Ubaldis II. 387.
Barbarò, Daniel, ptcha Aquilejensis 69*.
Bartoli 23*. 47*. II. 59*.
Basilius S. 6. 61. 176. 180. 220. II. 336.
Beaucaire de, Franc., ep. Metensis 64*.
Beda Ven. S. II. 82. 329. 339. 355.
Bellay du, Eustachius, ep. Parisiensis 46*. 400.
Bercorius Pet. II. 538.
Bergomensis ep. v. Cornaro Frid.
Bernardus S. 3. 45. 47. 49. 51. 55. 126. 179. 224. 226. 241. 312. II. 82. 172. 215. 325. 352. 360. 367. 368. 369. 379. 381. 404. 446.
Bertinorensis ep. v. Vanini.
Bessarion card. 142.
Beza, Theod. II. 47*.
Biel, Gabriel 137.
Blancus, Franc., ep. Auriensis 65*.
Boero, Jos., 22*. 24*. II. 40*.
Bolani, Dominicus, ep. Brixiensis 477.
Bologna 509.
Bonaventura S. 134. 281. 315. 389. II. 120.
Boncompagni, Hugo, ep. Vestanus 76*. 409. 477. 486. 492.
Bongalli, Scipio, ep. Civitatis Castellanae II. 32*.
Bonifatius IV. papa S. 268.
Bonifatius VIII. papa 345. II. 92.
Borromaeus v. Carolus.
Bracarensis ep. v. Martyribus.
Brandenburg 512.
Brixiensis ep. v. Bolani.
Bruni, Joh., archiep Antibarensis 428.

C.

Cajetanus (De Vio) 137. 200. II. 388. 390. 487.
Calinus, Mutius, archiep. Jadrensis 36*. 42*. 87*. 436. II. 33*. 44*.
Calixtini II. 14*.
Callistus papa S. 70. II. 91.
Canisius v. Petrus Canisius.
Capua de, Petrus Antonius, ep. Hydruntinus 76*. 83*. 401. 424. 435. 477. 486.
Caraffa card. II. 64*.
Carolus Borromaeus S. 32*. 37*. 39*. 69*. 78*. 95*. 99*. 344 ss. II. 43*.
Carolus V. imp. II. 17*.

Digitized by Google

Casal de, Caspar, ep. Leiriensis II. 26*.
Castagna, Joh. Bapt., archiep. Rossanensis 69*. 409. 436. 448. 453. 477. 486. II. 26*.
Castelli, Joh. Bapt., canonicus Bononiensis 76*. 409. 477.
Castillonius II. 49*.
Catharina Medicaea II. 45*. 49*.
Cavensis v. Thomasius.
Cavillonius, Joh. 52*.
Cervantes, Caspar, archiep. Messanensis 399.
Cicada, Carolus, ep. Albinganus 477.
Cicero 49.
Cigada Joh. Bapt., card. II. 9*.
Civitatis Castellanae ep. v. Bongalli.
Clemens Alexandrinus 15. 17. 23. 226. II. 473. 474. 476 sqq. 484. 488. 495 sqq.
Clemens I. papa S. 3. 89. 90. 113. 202. 263. 264. 311. II. 378.
Clemens III. papa 125. 270. 313.
Clemens V. papa 276. 282.
Clemens VII. papa II. 18* s.
Clementinae 297.
Coelestinus III. papa 314. 336. 343
Colonia Agrippina II. 39*.
Colonna, Marcus Antonius, archiep. Tarentinus 424. 477.
Comanus, Cornelius, theol. 507.
Commendonus, J. F., ep. Zacynthiorum 466. 500. 507. II. 12*.
Concilium Ancyranum 331. 332.
Concilium I. Arausicanum 329. 330.
Concilium II. Arelatense 332.
Concilium Ariminense II. 12. 20.
Concilium Basileense 80*. 128. 217. 479. 505. II. 44*. 18. 90.
Concilium Bracarense 206.
Concilium Carthaginiense an. 256, 207.
Concilium IV. Carthag. II. 210.
Conc. Chalcedonense 330. II. 12. 20. 89.
Conc. Constantiense 62*. 489. 491. 505. II. 89. 114.
Conc. VIII. Constantinopolitanum 329. II. 80.
Conc. Eliberitanum 332.
Conc. Ephesinum 329.
Conc. (Pseudo-) Ephesinum II. 11.
Conc. Florentinum 79*. 350. 456. 476. 479. 496. 501. II. 91.
Conc. Ilerdense II. 89.
Conc. III. Lateranense 360. II. 80.
Conc. V. Lateranense 218. II. 91. 115. 251.
Conc. II. Lugdunense 501. II 89.
Conc. Meldense 126. 277.
Conc. I. Nicaenum 330. 349. II. 127.
Conc. Sinuessanum II. 79.
Conc. IV. Toletanum 356.
Conc. VIII. Toletanum 350.
Conc. XI. Toletanum 277.
Conc. XII. Toletanum 333.
Conc. Triburiense 355.
Conc. Tridentinum II. 109. 112 125. 126 et passim.
Conc. Turonense II. 381.
Conc. Vaticanum 50*.
Condaeus princeps II. 46*. 48*.
Constantinus M. 195.
Contarenus card. II. 64*.
Cordova y Mendoza de, Martinus, ep. Dertosensis (Tortosa) 444. 486.
Coriensis ep. v. Almansa.
Cornaro, Frideric., ep. Bergomensis 415.
Covarrubias, Didacus, ep. Salmanticensis 444.
Crescentius card. 33*. 34*. 60*. 397. 409. 418.
Crivelli, Alexander, ep. Geruntiensis 101* ss. 503.
Cuesta Andr., ep. Legionensis 42*.
Cyprianus S 6. 36. 38. 80. 90. 102. 104. 112. 192. 193. 223. 277. 310. 357. II. 8. 81. 115. 126.

Digitized by Google

D.

Damasus papa S. 66. 334.
Danes, Petrus, ep. Vauriensis 45*. 46*. 65*.
De Backer 25*. 27*. 29*.
Delfinus nuntius 99* ss. 429.
Dertusensis ep. v. Cordova.
Dilarino 23*.
Dionysius papa S. 115. 265 311. II. 19.
Dionysius (Pseudo-) Areopagita 20. 100. 102. 191. 234. 257. 386. 387. II. 117. 211.
Dionysius Carthusianus 347. 361. II. 405. 407.
Dittrich v. Contarenus.
Döllinger II. 64*.
Draskovič, Georgius, ep. Quinque-ecclesiensis 31*. 399. 404. II. 21*. 27*. 30*. 34*. 38*.
Durandus Guil. 85. 136. 281. 316.

E.

Eckius Joh. 139.
Elnensis ep. v. Govilla.
Ennodius II. 80.
Epiphanius S. 25. 26. 364.
Espencaeus II. 47*.
Estensis Hipp. card. 18*. II. 46*.
Eugenius IV. papa 128. 218. 346. II. 87.
Eusebius papa S. II. 77.
Evaristus papa S. 264.

F.

Fabianus papa S. II. 31.
Facchinetti, Joh. Anton., ep. Neocastrensis 76*. 477.
Felix II. (anti-) papa II. 79. 92.
Felix III. papa 64. 325.
Felix ep. Messanensis 160.
Ferdinandus I. imp. 80*. 83. II. 8*. 18*. 21*.
Ferrariensis card. v. Atestinus.
Ferrier du, Arnoldus 45*. 46*. 82*. 428. 489.
Flacius Illyricus 431.
Foscarari, Aegidius, O. Praed., ep. Mutinensis 89*. 422. 488. II. 32*.
Francofurtum, diaeta 451.
Fridericus Palat. II. 40*.
Fumus Bartholomaeus II. 387. 390

G.

Galese 454.
Gallego, Arias, ep. Geronensis 414. 426.
Gallicani episcopi 63* ss. 81*. 483. 489. 491. 492. 496. 505. 512. Gallicanismus II. 44*.
Gaztelù 504. 510.
Gelasius papa S. 16. 64. 156. 268. II. 77. 92.
Geronensis ep. v. Gallego.
Geruntiensis ep. v. Crivelli.
Ginuccius card. II. 64*.
Glirici, Albertus de, ep. Vegliensis 438. 452.
Gonzaga card. Mantuanus 60*. 84*. 95*. 435. 441. 447. 490. II. 25*. 35*.
Govilla, Lupus Martin. de la, ep. Elnensis (Perpinianum) 414. 426. 444.
Granatensis archiep. v. Guerrero.
Grassi, Carolus, ep. Montis Falisci 435.
Gregorius Magnus papa S. 65*. 106. 124. 224. 242. 265 sqq. 312. 325. 343. 350. 351. II. 81. 92. 119. 356. 369. 508. 509. 510.
Gregor. IV. papa 124.
Gregor. VII. papa S. 53. 236. 355. II. 2. 344.
Gregor. IX. papa 120. 296. 307. 352. 368.

Digitized by Google

Gregor. X. papa B. 276. 336.
Gregor. XI. papa 407.
Gregor. XIII. papa II. 40*.
Gregorius Nazianzenus S. 6. 62. 92. 98. 229.
Grimanius, Joh., ptcha Aquilejensis II. 51*. 137.
Grotto, J. B., ep. Reginensis 76*. 477.
Guadicensis ep. v. Alvarez.
Gualtieri, Sebast., ep. Viterbiensis 430. 434. 435. 445. 456. 460. 464. 485. 494.
Guerrero, Petrus, archiep. Granatensis 30*. 34*. 62*. 71*. 399. 409. 410. 424. II. 15*.
Guisa de, Carolus, dictus cardinalis Lotharingius 59*. 63*. 71*. 74*. 80*. 87*. 91*. 423 ss. 445 ss. 455. 463 ss. 475. 482 ss. 492. 505 ss. II. 46*. Vide Possiacense colloquium.

H.

Hadrianus I. papa 119.
Hadrianus II. papa 338. 342. II. 81.
Helvetia 446.
Henricus Gandavensis 174. 199. 299.
Hervaeus Natalis 136. 281.
Hieronymus S. 12. 16. 18 91. 158. 161. 220. 222. 278. II. 325. 339. 357. 508.
Hilarius Pictav. S. 367. II. 328. 339. 344.
Hispani episcopi 30*. 33*. 91* 458. 480.
Honorius III. papa 159. 275. 346. 352.
Hormisdas papa S. 75. II. 344.
Hosius, Stanislaus, card. ep. Varmiensis 66*. 95*. 410. 485. II. 19*.
Hugo de s. Victore II. 82.
Hus Joh. II. 135. 147.
Hydruntinus ep. v. Capua.

I.

Ignatius (Pseudo-) 219. 226. 238.
Ignatius S. Antiochenus 62. 190. 387.
Ignatius de Loyola S. 5. II. 79*.
Ildephonsus S. II. 138.
Ingolstadiense collegium II. 68.
Innocentius I. papa S. 53. 79. 116. 324. 359. II. 76.
Innocentius III. papa 56. 67. 125. 155. 157. 178. 181. 188. 220. 236. 271. 272 sqq. 284. 288. 296. 302. 305. 309. 312. 313. 327. 335. 344. 352. 360. 363. 365. II. 76. 78. 92. 113. 120. 418.
Innocentius IV. papa 4. 501. II. 408. 409. 418.
Irenaeus S. 243. II. 17.
Isola dell', legatus Caroli IX. regis Galliarum apud curiam Romanam 406.

J.

Jadrensis archiep. v. Calinus.
Janua II. 61*.
Joachimus Perionius 192.
Joh. Chrysost. S. 18. 36. 38. 84. 92. 160. 226. 259. 342. II. 338. 348. 358. 534.
Johannes XXII. papa 171. II. 92.
Julianus apostata 65.
Julius I. papa S. 122. 265. II. 92.
Julius III. papa 18*. 218. II. 9*.
Justinianus 28.

L.

Lactantius 48. 255. II. 379.
Lancianensis ep. v. Marini.
Lancillotto 500.
Lanojus II. 38*.
Lansac, Ludovicus 45*. 46*. 82*. 406. 423. 425. 438. 454. 488.

Digitized by Google

Leccavella, Sebastian, ep. Litterensis 414. 415.
Legionensis ep. v. Cuesta.
Leo I. papa S. 4. 12. 63. 71. 82. 105. 122. 158. 178. 205. 206. 265. 311. 324. 358. II. 4.
Leo III. papa S. II. 81.
Leo IV. papa S. 118. 271.
Leo VIII. papa 343.
Leo IX. papa S. 110. 118. 119. 132. 229. 269.
Leo X. papa 120. 218. II. 429. 432. 440.
Le Plat II. 30*.
Leridensis ep. v. Augustin.
Liberius papa 205. II. 92.
Litterensis ep. v. Leccavella.
Lotharingius card. v. Guisa.
Lucius I. papa S. 114. II. 381.
Lucius III. papa 327.
Lullus Raimundus 407.
Luna, Comes de, Claudius Quignones 421. 437. 500 507.
Lutherus Mart. II. 16*. 17*.

M.

Madruzzo, Christoph., card. Tridentinus 481. 484. 486. 488. 497. II. 26*.
Mantuanus card. v. Gonzaga.
Marcellus papa S. 115
Marini, Leonardus, O. Praed., archiep. Lancianensis 76*. 422. 424. 432. 435. 448. 477. 488. 492. II. 21*. 26*.
Martinus V. papa 218. 251. 380.
Martyr Petrus II. 46*. 48*.
Martyribus de, Bartholomaeus, ep. Bracarensis 36*. 399.
Massarelli, Angelus, ep. Thelesinus, secretarius concilii 25*. 40*. 429 II. 57*
Massetti com. 95*.
Maximilianus II. rex Rom. 457.
Mazzoleni abb. 97*.
Melchiades papa S. 116.
Meletius ep. S. 196. 279.
Messanensis ep. v. Cervantes.
Metensis ep. v. Beaucaire.
Micheli, Johannes Vincentius, ep. Minervinus 461. 477.
Migne J. P. 52*.
Minervinus ep. v. Micheli.
Monachiense collegium II. 68.
Moronus Joh. card. 18*. 89*. 96*.
Montis Falisci ep. v. Grassi.
Mueglitz archiep. Pragensis II. 21*.
Mula, Marcus Antonius de, ep. Reatinus, successor Osii II. 27*.
Musottus secretarius card. Seripandi 399.
Mutinensis ep. v. Foscarari.

N.

Navarrus Mart. A. II. 340. 390.
Neocastrensis ep. v. Facchinetti.
Nicheloso, Hieron. Mich., ep. Teanensis II. 32*.
Nicolaus I. papa S. 54. 108. 206. 269. 306 359. 364. II. 77.
Nicolaus II. papa 117. 389.
Nicolaus III. papa 111.
Nogueras de, Gilbert, ep. Allifiensis 66*. 441.
Nolanus ep. v. Scarampi.

O.

Odescalchi, Paulus, ep. Pennensis 503.
Oenipontanum collegium II. 68. Acta Oenip. theologica 23*. 71*. II. 14*.
Origenes 16 17. 18. II. 359. 444.
Ortenburg II. 39*.
Orvieto v. Vanzi.
Osio, J. Bapt., ep. Reatinus 436. 468.
Otranto v. Hydruntum.

Digitized by Google

P.

Pallavicinius (Sfortia) card. 41*. 104*. 32*.
Palaeottus, Gabr., postea archiep. Bononiensis 25*. 31*. 41*. 76*. 77*. 409. 477. 482. 491.
Pampelunensis ep. v. Ramirez.
Panormus II. 74*.
Parisiensis ep. v. Bellay.
Paschalis I. papa S. 111.
Paschalis II. papa 269. II. 78.
Passaviensis conventio II. 21*.
Patti v. Aragon.
Paulinus S. Nolan. 286.
Paulus III. papa 17*. II. 18* s. 64*.
Paulus IV. papa 18*. II. 64*. 322.
Pavesi, Julius, archiep. Surrentinus 448. 477.
Payva, Didacus de, theol. 507.
Pelagius II. papa 206.
Pennensis ep. v. Odescalchi
Peretti Fel. II. 52*.
Perez Barth. 54* ss.
Pescara v. Avalos.
Petrus ab Alliaco II. 369. 373.
Petrus Canisius B. 84*. 105*. II. 39*.
Petrus Cluniacensis 2. 3.
Petrus Martyr v. Martyr P.
Petrus de Palude 289. 315. 347. 349. 361. 368.
Pisani Franc., ep. Tarvisinus 415.
Pius IV. papa 18*. II. 7*. 12*. 19*. 25*. 38*. 50*. 53*. II. 72. 111. 436.
Pius V. papa S. II. 40*.
Polancus II. 49*.
Polycarpus S. 239.
Pontianus papa S. II. 91.
Possevinus II. 542.
Possiacense colloquium 18*. 24* II. 46*.
Pragense collegium II. 68.
Ptolemaeus 25. 26.
Puteus card. II. 9*.

Q.

Quinque-ecclesiensis ep. v. Draskovič.

R.

Rabanus Maur. 235.
Ramirez Sedeño, Didacus, ep. Pampelunensis 400.
Reatinus ep. v. Osio et Mula.
Reginensis ep. v. Grosso.
Ribadeneira Petr. 19*. 21*. 23*. II. 60*.
Richardus abb. II. 27*.
Richardus de Mediavilla 84. 135. 315.
Rossanensis ep. v. Castagna.
Rovere, Urbanus Vigerius de la, ep. Senogalliensis 511. II. 32*.
Rupertus abbas 236.

S.

Sacchinius Franc. 23*.
Salmanticensis ep. v. Covarrubias.
Salmeron Alph. 17*. 20*. 30*. 52* ss. II. 23*. 55*. 57*. 60*.
Salzburgum II. 39*. Salzburgenses archiepiscopi I. 66*.
Saracenus card. II. 9*.
Sarpius 41*. 53*.
Sbardellatus ep. Tiniensis 31*. 66*. II. 21*. 31*. 35*.
Scarampi, Anton., ep. Nolanus 507.
Schmalkaldicum bellum II. 21*.
Schrader Clemens 22*.
Scotus Dionys. 13. 18. 45. 360
Segobiensis ep. v. Ayala.
Senogalliensis ep. v. Rovere.
Seripandus card. 95*. 433. 439. 447. 463. 484. 490. II. 54*. 56*.
Sforza, Alex., ep. Parmensis 477.
Sickel Theod. II. 8*.
Silvester de Prieria II. 384.
Simonetta card. 67*. 95*. 423. 453. 485. 486. II. 64*.
Sirigus 40*.

Digitized by Google

Sixtus I. papa S. 116. II. 91.
Sixtus II. papa S. II. 91.
Sixtus III. papa S. II. 79.
Sixtus IV. papa II. 65*.
Sixtus V. papa v. Peretti.
Socrates 334.
Sorbona 87*. 478. 479. 483. 498. II. 44.
Sorrento v. Pavesi.
Soto, Dominicus de, 138. 281. 316. II. 133. 387. 391. 393.
Soto, Petrus de, 416. 417.
Sotvellus 21*.
Spittler II. 17*.
Summa Rosella II. 387.
Summa Tabiena 386. 387. 389. 396.
Surrentinus archiep. v. Pavesi.
Sylvester I. papa S. 40. II. 79.
Symmachus papa S. 54. II. 79. 80. 92.

T.

Tarentinus archiep. v. Colonna.
Tarvisinus ep. v. Pisano.
Teanensis ep. v. Nicheloso H. M.
Tertullianus 21. 244. 367. II. 339. 379. 467. 481. 483. 485. 490. 491. 493. 495. 496. 497.
Theiner Aug. 25*. 26*. 74*. II. 30*. 56*.
Thelesinus ep. v. Massarelli.
Theodoretus 37. 38. 362.
Theophilus Alex. S. 6.
Theutonius II. 23*.
Thomas Aquin. S. 65*. 10. 11. 13. 15. 18. 19. 23. 29. 46. 52. 83. 131. 132. 158. 183. 196. 250. 279. 280. 297. 314. 337. 341. 360. 364. II. 132. 468. 469. 487.
Thomas Argentinensis 361.
Thomasius de S. Felicio, ep. Cavensis 441.
Thun Sigism. II. 21*.
Tilesia v .Massarelli.
Torresius 53*.
Trajanus II. 183.
Trevisano, Joh., ptcha Venetiarum 69.
Tridentina bibliotheca 97*. Trid. card. v. Madruzzo. V. conc. Trid.
Truchsess Otto, card. Augustanus 18*.
Turrecremata, Joh. de, card. 139. 199. 249. 250. II. 470.
Tyrnaviense collegium II. 68.

U.

Urbanus I. papa S. 204.
Urbanus II. papa B. 352. 353. 354.
Urbevetanus ep. v. Vanzi.

V.

Vanini Teoduli, Lud., ep. Brictinoriensis (Bertinoro) 461.
Vanzi, Sebast., ep. Urbevetanus (Orvieto) 477.
Vargas Franc. 437.
Varmiensis card. v. Hosius.
Vauriensis ep. v. Danes.
Vegliensis ep. v. Glirici.
Venetiae II. 67*. Venetiarum ptcha v. Trevisano.
Vestanus ep. v. Boncompagni.
Vicecomes Carol. (Visconti) ep. Ventimiliensis 34*. 43*. 86*. 401. 435. 448. 460. 461. 485. 497. 498. 502.
Victor I. papa S. 3. II. 91.
Victor Vitensis II. 340.
Victoria de, Franc. 31*. 80*.
Viennense collegium II. 68*.
Vigilius papa 118. 122.
Visconti v. Vicecomes.
Viterbiensis ep. v. Gualtieri.

W.

Wiclif Joh. II. 143.

Z.

Zacharias papa S. 156.

Digitized by Google

Digitized by Google

Zu beziehen durch alle Buchhandlungen.

Nilles, Nicolaus, S. J., **Kalendarium manuale** utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis academiis clericorum accomodatum. Tom. I. und II. vergriffen. Tom. III. 1885 (soeben erschienen). CXX und 1088 S. — Bildet auch ein abgeschlossenes Ganzes für sich allein. 13 Mark.

Perrone, J., S. J., **Praelectiones theol.** de **Virtute Religionis** deque vitiis oppositis, nominatim vero de mesmerismi, somnambulismi ac spiritismi recentiori superstitione. Cum Autogr. D. N. P. Pii IX., Pont. Max. 8°. 440 p. 4 M.

— — **Idem,** de **Virtutibus Fidei, Spei** et **Charitatis.** 1865. 8°. 464 pag. 4 Mark.

Schneider, Jos., P. S. J., **Lectiones quotidianae** de Vita, Honestate et Officiis Sacerdotum et Clericorum, quas ex S. Scriptura, Conciliorum Decretis, S. Pontif. Constitutionib., Episcop. Epist. pastoral., SS. Patrum etc. operibus collegit, disposuit et edidit. 1870. 8°. 768 p. 4 M. 20 Pf.

— — **Manuale Clericorum** in quo habentur Instructiones asceticae liturgicaeque, ac variarum precum formulae, ad usum eorum, qui in Seminariis clericorum versantur. Editio secunda emendata. 1877. 16°. 736 pag. 4 Mark 20 Pf.

Stentrup, F. A., S. J., **Praelectiones Dogmaticae de Deo uno.** (Liber Manuscript.) (Oenip.) 1879. 8°. 772 p. 6 M. 50 Pf.

— — **Praelectiones Dogmaticae de Verbo incarnato.** Pars prior. **Christologica.** 2 vol. (Oenip.) 1882. 1328 p. 10 M.

Suaresii, P. Fr., Granatensis, S. J., **Defensio Fidei** catholicae et apostolicae adversus Anglicanae Sectae errores etc. 2 Tomi. (Napoli.) 1872. 4°. 672 p. Ermäss. Pr. 6 M. 40 Pf.

— — **Opuscula, sex, inedita** nunc primum ex Codicibus Romanis, Lugdunensibus ac Propriis eruit et praefationes instruxit J. R. D. Jo. Bapt Malou, Episc. Brugensis. (Bruxellis.) 1859. Fol. min. 392 pag. Original-Preis 12 Mark. Ermässigter Preis 4 Mark 50 Pf.

Thesaurus Resolutionum S. Congregat. Concilii quae consentanee ad Tridentinorum PP. Decreta aliasque Canonici Juris sanctiones prodierunt usque ad annum 1874 cum omnibus constitutionibus et aliis novissimis declarationibus Ss. Pontificum ad causas respicientibus. Primum ad commodiorem usum ordine alphabetico concinnatus opera et studio W. Mühlbauer etc. 1875/83. 4°. Vol. I. 1168 p. Vol. II. 1142 p. Vol. III. 1462 p. Vol. IV. 1650 p. 164 Mark.

Digitized by Google

Digitized by Google

89097244685

B89097244685A

Digitized by Google